Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Wilhelm Bernsau

Theologia Dogmatica Methodo Scientifica Pertracta ...

Pars I. Sec. 1 : In Qua Ea, Quae In Sacris Literis De Dei Essentia Et Attributis Traduntur, Eidemque Per Eminentiam Ac Improprie Tribuuntur, Demonstrantur Fundamentis Errorum Una Subversis

Halae Magdeburgicae, 1745

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323

Band (Druck) Freier Zugang



Pr. 541 p
XIV. Pr p 543 – 940. Zud
52 b. 7.

T. h – 1007.

21. V. 9.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn823346323/phys_0002
DFG

THEOLOGIA DOGMATICA METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATA

PARTIS PRIORIS

SECTIO PRIOR,

IN QVA EA,

QVÆ

IN SACRIS LITERIS

DE

DEI ESSENTIA ET ATTRIBVTIS

TRADVNTVR,

EIDEMQVE

PER EMINENTIAM AC IMPROPRIE TRIBVVNTVR,

DEMONSTRANTVR

FVNDAMENTIS ERRORVM VNA SVBVERSIS

AVTORE

HENRICO WILHELMO BERNSAU

LINNEPA-MONTANO

CVM PRÆFATIONE

CHRISTIANI WOLFII,

UNIVERSITATIS HALLENSIS CANCELLARII.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ, MDCCXLV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academicae
Rostochiensis

CHRISTIANI WOLFII

UNIVERSITATIS HALENSIS CANCELLARII

PRÆFATIO.

Methodum demonſtrativam, quæ nonniſi Logicæ accurata applicatio eſt, & recto uſu operationum intellectus exercetur, ad Theologiam quoque revelatam transferri poſſe, in Horis ſubſecivis Marburgenſibus monuimus, ibidemque oſtendere cœpimus, quænam obſervanda ſint, ut in tam arduo negotio nos ſatis cautos ac circumſpectos præbeamus, reliqua, quæ adhuc deſiderantur, addituri, ſiquidem eas continuandi otium nobis ſuperfuiſſet. In Theologia revelata doceri debet, quidnam in Scriptura ſacra de Deo ejusque decretis ac eorundem executione tradatur. Atque adeo dicta Scripturæ principia ſunt, ex quibus ſingula demonſtranda veniunt, nec ſine iis quicquam

dicendum. Verba autem Scripturæ revocanda ſunt ad notiones diſtinctas, quas per ea indigitare voluerunt Autores ſacri, neque enim niſi ex diſtinctis notionibus procedit demonſtratio. Demonſtrandum vero etiam eſt, notiones iſtas eſſe menti Autorum ſacrorum conformes, ne ſenſum alienum inferas, conſequenter principia ſumas, quæ perperam pro iis venditantur, quæ Scriptura ſacra ſuggerit. Atque hac in re haud raro peccant interpretes Scripturæ, multoque frequentius oratores ſacri, qui, quæ memoria de rebus ſuggerit, verbis Scripturæ accommodant, ſuaque cogitata Autoribus ſacris tribuunt, quaſi ipſorum ore loquerentur, dum ſuo loquuntur. Evenit hoc modo, ut, qui rationis infenſiſſimi hoſtes ſunt, non tamen alia proferant, quam quæ rationi conſentanea ipſis videntur. Et quamvis recte omnino damnent ſententiam iſtam, quam integro tractatu adſtruere conatus eſt quidam *Spinoſæ* diſcipulus, quaſi ratio Scripturæ ſacræ interpres eſſe debeat; incauti tamen ipſimet ſenſum Scripturæ rationis ſuæ modulo metiuntur. Enimvero ut metam pertingas, ad quam hic contendendum; verſionibus non inhærendum, ſed ipſi fontes ſunt adeundi: qui enim verſiones dederunt, in reddendis vocabulis non fuerunt admodum ſcrupuloſi, quemadmodum requiritur

tur, ſiquidem mentem autorum ſacrorum ex aſſe aſſequi volueris, & præſens inprimis inſtitutum urget, ubi ex verbis Scripturæ eruendum, quid de Deo & ejus operibus doceat; & quidnam Scriptura magiſtra pro vero ſit habendum. In eruendis notionibus menti Autorum ſacrorum conformibus utendum omnino eſt Philoſophiæ principiis, aut ſi mavis, rationis, cum ſine iis illarum cum mente loquentium conformitatem demonſtrare haud quaquam detur. Notiones iſtæ diſtinctæ, quæ verbis Scripturæ reſpondent, principia fœcunda ſunt, ex quibus tanquam ſeminibus naſcuntur veritates aliæ, inde porro legitimo ratiociniorum nexu deducendæ. Ratiocinia ſupponunt principia. In horum vero numero non modo ſunt veritates revelatæ, quæ notionibus inſunt vocabulis Scripturæ reſpondentibus, verum etiam principia rationis ex veriori Philoſophia petenda, cum extra omnem controverſiam poſitum ſit, revelationem, quamvis in multis ſphæram rationis tranſcendat, eidem tamen minime contradicere. Non puto, quenquam fore, quem dicta offendant: dudum enim Theologi, quorum nomen orthodoxia commendant, integros Tractatus de uſu principiorum Philoſophiæ in Theologia conſcripſerunt, &, ſi qui fuerint hebetiores, quam

ut eundem caperent, quid rationi acceptum ferri debeat, quid Scripturæ, non satis internoscere potuerunt, mentem præpeditam habentes vesano quodam odio Philosophiæ, cuius nihil intelligunt. Postquam ego Philosophiam methodo demonstrativa in systema veri nominis redigere cœpi; non defuerunt alii, qui institutum hoc imitati sunt in Jurisprudentia & ipsa quoque Theologia revelata. Quamvis vero non semper conatibus responderit successus; eorum tamen laudanda est voluntas: etenim in magnis & voluisse sat est. Immo si quæ ab aliis minus recte facta sunt; ea prodesse possunt aliis, ut rectius faciant: neque enim insolens est, ut aliorum aberrationes monstrent viam rectam, qua eundum. Absit adeo, ut frivolis censuris eos vexemus, quorum in nonnullis defecerunt conatus; quin potius operam demus, ut emendanda emendemus, quæ a nobis nondum perfecta sunt aliis perficiendis relicturi. Hos ergo mores convenire existimo civibus Reip. literariæ, quorum est mutuis auxiliis promovere scientiæ incrementa ad communem generis humani utilitatem. Ego doctoribus accenseo etiam eos, ex quorum errore rectius sapere didici, honorem iisdem habeo eosque amo beneficium ejus me habere reputans, qui quocunque modo ad veritatis cognitionem, qua imbu-

imbutus est animus meus, concurrit; ingrati autem animi, quem odio Vatiniano constanter odi, non fallax indicium est non agnoscere, a quibus didiceris. Facile mihi persuadeo, Cl. Autorem, qui Theologiam dogmaticam methodo demonstrativa tradere aggressus est, in hisce mecum consentire. Videtur mihi a recto tramite, quo incedendum, minime aberrasse. Operam enim dedit, ut, cum Theologiam revelatam tradere velit, eandem cum naturali minime confundat, ex principiis rationis demonstrando, quæ ex dictis Scripturæ demonstranda sunt. Ubivis enim locum aliquem Scripturæ non sine selectu sumit, ex quo tanquam principio demonstret, quod de Deo affirmandum. In seligendis vero Scripturæ locis non versiones sequitur, sed ipsum textum authenticum tam veteris, quam novi fœderis. Significatum vocabulorum, qui ad distinctas notiones revocandus, non sumit, sed scrutatur & determinat. In demonstrando principiis utitur philosophicis, sicubi opus est, nec ea precario sumit, sed ex operibus nostris citat, in quibus eadem demonstrata sunt. Neque enim solum doctrinam ex ore meo hausit, cum Marburgi docerem; verum etiam postea in legendis operibus Latino sermone conscriptis

assiduus

assiduus fuit. Facultates superiores, quæ dici solent, Philosophiam supponunt, sine qua in iis nil penitus intelligitur, haud raro cœcutiunt, qui lyncei sibi videntur. Systema igitur doctrinarum ad Facultatem aliquam superiorem spectantium adornare minime licet, nisi supponas systema philosophiæ, cum quo connectatur, quemadmodum Mathematicorum Scripta ad partes Matheseos mixtæ spectantia cum Elementis *Euclidis* connectuntur. Hæc ratio utique fuit, cur Cl. Autor systema suum Theologiæ dogmaticæ cum systemate nostro philosophico connectere voluerit, principiis philosophicis, quibus ad demonstrandum opus habuit, inde petitis. Quodsi idem eadem industria systema integrum absolverit; nulli dubitamus, quin abunde satisfacturus sit desiderio illorum, qui veritates divinitus revelatas intimius perspicere gestiunt; nec dubitamus fore, ut ejus exemplo discant alii ad Theologiæ studium animum appellentes, qua via sit eundum, ut doctrinam solidam assequantur. Halæ d. 23. April.

MDCCXLV.

SECTIO

CAPUT I.

DE EXISTENTIA DEI ET ATTRIBVTIS INDE PENDENTIBVS.

§. 1.

Cum S. paginæ Deum autorem omnium rerum, quæ exſtiterunt unquam, quæ ſunt, vel olim exiſtent, deſignent; neceſſe duximus inquirere ante omnia, ſub qua notione S. S. nobis illud ens repræſentet. Notionem illam perſpectam habebimus intelligendo S. Scripturam. Literæ vero S. tum demum intelliguntur, quando cum ſingulis verbis eas conjungimus notiones, quæ ex intentione Dei, autoris hujus revelationis, cum iisdem jungendæ, ſive ſenſum agnoſcimus genuinum. Hunc jam ſenſum indagare nobis animus eſt, ut ſciamus, quid S. S. per vocem Deus nobis indicare velit. *Inſtitutum autoris.*

§. 2.

Principium primum per quod Deus cognoscitur.

Qui S. unquam evolvit literas, ignorare nequit, eas inchoari hisce verbis *Gen.* I, 1. *In principio Deus creavit cœlum & terram.* Quis sensus horum verborum sit genuinus, nostrum est penitius indagare (§. 1.).

§. 3.

Quid Hebræi per cœlum & terram intelligant.

Neminem fugit, libros a *Mose* conscriptos esse lingua *Hebraica.* Constat vero *Hebræis* non fuisse vocabulum, quo mundum tanquam nomine suo insignirent.

§. 4.

Unde colligendum.

Gentium Apostolus testatur, *nobis unum esse Deum, ex quo omnia sunt.* 1. *Cor.* VIII. 6. *Idque extendit ad omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, visibilia & invisibilia* &c. ea dicit *omnia a Deo per Christum condita esse, & per eum consistere. Coloss.* I. 16. 17. Consequenter Deus creavit omnia, quæ extra eum existere cœperunt. Quare, cum *Moses* creationem describit, hæc omnia simul, quæ præter Deum existunt, intelligenda sunt. Etenim, si *Moses* non hæc omnia intelligeret, quædam omitteret, quæ tamen creata sunt. Unde sequitur, vel Deum non omnia juxta sententiam *Mosis* creasse, quod absonum; vel *Mosen* totum opus creationis non descripsisse, quod cum contra contextum, hinc absurdum. Quamobrem *Moses* sub vocabulis cœli & terræ, ea omnia, quæ præter Deum sunt, & ab eo creata, simul intelligere debet.

§. 5.

S. S. omnia ea, quæ creata sunt, mundum appellat.

Gentium Doctor per mundum intelligit omnia ea, quæ a Deo creata sunt; ubi dicit: *Dei enim invisibilia, jam inde a condito mundo ex iis, quæ fecit, mente perpensa pervidentur. Rom.* I. 20. Ex quo luculenter apparet Paulino sensu mundum esse ea omnia, quæ a Deo facta, sive

ſive creata ſunt. Adeoque ad mentem Pauli per mundum intelligimus omnia, quæ Deus creavit.

§. 6.

Moſes deſcribit totum opus creationis (§. 4.). Scriptura S. omnia ea, quæ a Deo creata ſunt, mundum appellat (§. 5.): Lingua vero Hebraica vocabulo, quo mundum tanquam nomine ſuo hoc ſenſu Paulino inſigniret, caret (§. 3. & 5.); Quamobrem Moſes mundum (cum *Hebræis*) appellaturus, cœlum dixit & terram. *Adeoque Moſes per cœlum & terram intelligit mundum.*

§. 7.

Quare verba hæc initialia Moſis ita vertuntur. In principio creavit Deus mundum (§. 6.). *Quomodo verba S. S. initialia vertenda.*

§. 8.

Moſes jam affirmat, Deum creaſſe hunc mundum. Conſequenter mundus non exiſtit neceſſario, neque adeo in ſe continet exiſtentiæ ſuæ rationem (*Ontolog.* §. 309.); Adeoque per ea, quæ mundo inſunt, non intelligitur, cur potius exiſtat mundus, quam non exiſtat (*Ontolog.* §. 56.). *Mundus exiſtentiæ ſuæ rationem in ſe non;*

§. 9.

Mundus exiſtentiæ ſuæ rationem non continet in ſe (§. 8.), Sed indiget vi alterius, ut exiſtat. Conſequenter ab alio eſt (*Theol. Natural.* §. 27.). Illud vero ens, a quo mundus dependet, *Moſes* indicat, dicendo: *Deum creaſſe mundum.* Hinc mundus in ſua exiſtentia dependet a Deo. *Sed in Deo continet.*

§. 10.

Mundum a Deo in exiſtendo dependere confirmatur non minus ab *Apoſtolo Epiſt. ad Hebr.* I. 10. 11. Diſertis e- *Quod confirmatur.*

nim verbis ibi dicitur. *Tu, in initio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu tamen permanes.*

§. 11.

Mundum in existendo a Deo dependere, & in Deo esse rationem sufficientem existentiæ mundi, sunt propositiones æquipollentes.

Notandum adhuc est, quod hæ propositiones, mundus in existendo a Deo dependet; & in Deo continetur ratio sufficiens existentiæ mundi, sint propositiones æquipollentes. Nam ens unum A dicitur **dependens** ab altero B, quatenus ejus, quod ipsi A inexistit, ratio in hoc altero B continetur (*Ontol.* §. 851.); Jam vero mundus dependet in existendo a Deo propterea, quod existentiæ suæ rationem non in se; sed in Deo habeat (§. 9.); Consequenter **hæ propositiones** *mundus in existendo dependet a Deo, & in Deo continetur ratio sufficiens existentiæ mundi*, **sunt æquipollentes.**

§. 12.

Deus in existendo est ens a se.

Addit porro *Moses; Deum creavisse mundum in principio*, hoc est, quando adhuc ens ab alio non erat, videlicet cum nihil esset præter Deum. Cum adeo Deus existeret, antequam quicquam inciperet, quod ab alio erat; (quod idem *Moses* diserte affirmat his verbis *Ps.* XC. 2. *Priusquam montes editi essent, ac formasses terram, & orbem habitabilem, ab æterno in æternum Tu es Deus fortis.*). **Necesse est, Deum esse in existendo ens a se** (*Theol. Natur.* §. 27. & 68.).

§. 13.

Principium alterum cognoscendi Deum.

Levitæ nomine totius Israëlis de Deo apud *Nehemiam* IX. 6. prædicant. *Tu ille Jehova solus es: tu fecisti cœlos, cœlos cœlorum, & omnem exercitum eorum, terram & quicquid est in ea, maria, & quicquid est in iis, & tu conservas hæc omnia.*

§. 14.

§. 14.

Per cœlos, cœlos cœlorum & omnem exercitum eorum, terram & quicquid est in ea, maria & quicquid est in iis, per hæc, dico, describuntur ea omnia, quæ præter Deum sunt (§. 4.). Hæc omnia sensu Paulino mundus nuncupantur (§. 5.). Consequenter Israëlitæ cum Levitis id, quod Paulus nomine mundi complectitur, his ipsis verbis significant. *Per hæc omnia intelligitur mundus.*

§. 15.

Iidem porro expressis affirmant verbis, Deum hæc omnia conservare, sive in vita conservare. Unde satis evidens est, sacram scripturam supponere, mundum non posse pergere in existendo absque concursu divino; sive præter actionem illam, qua Deus creando mundo dedit existentiam, continuam quandam adhuc Dei actionem requiri, qua mundus in esse suo perseverat. Cum vero actio, qua rebus creatis datur, ut in esse suo perseverent, seu ut existere pergant, conservatio sit (*Theol. Natur.* §. 842.). Patet, Israëlitas certos fuisse de hac continuata Dei actione, qua mundus conservatur (§. 13.). *Deus mundum conservat.*

§. 16.

Immo cum de Deo prædicetur, quod hæc omnia conservet, id est, totum mundum, sive omnes creaturas aut res, quæ simul sunt, quæque cum illis continua serie sunt connexa: Eo ipso de mundo affirmatur, quod suam durationem pariter a Deo habeat, sive quod in duratione sua a Deo dependeat. Etenim duratio rei cujuscunque est existentia, qua rebus pluribus successivis quid coëxistit; seu existentia simultanea cum rebus pluribus successivis (*Ontol.* §. 578.). *Mundus in sua duratione pendet a Deo.*

§. 17.

Idem confirmatur. Hanc mundi dependentiam confirmat *Paulus*, Atheniensibus veri Dei notitiam suggerendo *Actorum* XVII. 24.25. *Deus*, inquit, *fecit mundum & omnia, quæ in eo sunt; & adhuc dat omnibus vitam & halitum & omnia.* Et *versu* 28. additur, *nos in ipso vivere, moveri & esse.* Unde demonstrat *versu* 25. *Deum nullius rei egere.*

§. 18.

Et inde probatur. Itaque *juxta Apostolum* creatura omnis, cum ut existat, tum ut agat, continuo indiget Deo: Deus autem neque ut existat, neque ut agat, indiget ulla creatura, sive re ulla extra se, quippe quæ non habet, nisi quod acceperit a Deo. Etenim si Deus indigeret re aliqua extra se, ut ipse existere posset, seu ad sui conservationem, necesse utique esset, ut hæc res independenter a Deo existeret. At Deus fecit omnia, quæ præter ipsum existunt: iisque continuo actualitatem impertitur, quamdiu existere pergunt: Ergo Deus re nulla alia ad sui conservationem indiget.

§. 19.

Deum in sua duratione esse a se, Quamobrem Deus non minus in eo, quod pergit esse, sive in sua duratione est a se.

§. 20.

Quam notionem S. S. det de Deo. Adeoque sacræ paginæ Deum agnoscunt ens a seipso, cum quoad suam existentiam (§. 12.); tum quoad suam durationem (§. 19.), a quo mundus dependet cum in sua existentia (§. 9.), tum in sua duratione (§. 16. & 17.).

§. 21.

Definitio Dei. Hinc evidens est; sacras literas per Deum intelligere illud

illud ens a se, a quo mundi existentia & duratio dependet.

§. 22.

Est fœcunda.

Hæc notio, quam S. paginæ nobis largiuntur, hujus est fœcunditatis, ut ex ea omnia, quæ de Deo cum ex lumine naturæ, tum quæ iis consentanea ex revelatione cognosci possunt, eruantur. Fidem hujus veritatis ad manus habebit omnis ille, qui Theologiam naturalem intellectu Systematico conscriptam perlustrare, ac Theologiam revelatam ad hanc Geometrarum normam traditam conferre voluerit.

§. 23.

Consensus inter Christianos & hanc definitionem.

Omnes Christiani, cum nobiscum Deum agnosant ens a se, quod omnia creavit, nec non conservat, id est, a quo mundus & existentiam & durationem habet, quod a nobis jam probatum datum est (§. 20.): Sequitur omnes Christianos mecum amice consentire.

§. 24.

Athei refelluntur.

Quis jam non videt sacras paginas refellere omnes Atheos, qui vel Deum plane negare allaborant, vel cum rebus creatis confundunt, quod omnino perinde est, ac negare existentiam veri Dei. Sacra scriptura enim diserte affirmat existere Deum, ens plane & in existendo & in durando ab omnibus rebus extra se independens: res vero creatas, sive omnes extra Deum in utroque solum dependere ab eo (§. 20.): Hinc *David illum stultum declarat, qui dicit, non est Deus. Ps.* LIII. 2. *Idemque ad animantia bruta ablegatur, ut ab iis hanc veritatem discat. Jobi* XII. 7-10. Quis non porro videt, Deum omnino ab omnibus rebus extra se essentialiter distinctum esse? utpote qui existitit antequam quicquam fuit (§. 12.), & a quo res quæcunque solum dependet (§. 20.).

§. 25.

§. 25.

Aseitas Dei adstruitur.

Aseitas est independentia existentiæ ab ente alio (*Theol. Natur.* §. 28.). Deum vero esse ens a se independens ab omni ente alio, cum quoad existentiam (§. 12.), tum quoad durationem (§. 19.) demonstratum est tanquam attributum Dei, definitionem Numinis determinans. Adeoque idem ulterius probare nobis supervacaneus videtur labor.

§. 26.

Principium quoad primitatem & ultimationem Dei.

Ipse Deus de se ipso affirmat Apoc. I. 8. *se esse* τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, *principium & finem*: Johannes Apocalypticus addit ibidem, quod hoc testimonium de se det *ille Dominus, qui est* ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *qui est, qui fuit, & qui venturus.* Porro versu 11. iterum Filius Dei testatur, quod sit τὸ Α καὶ τὸ Ω, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος *primus & ultimus.* Denique angelus hæc simul sumit, prædicando, quod Deus sibi ipse hoc det testimonium, quod sit τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, *principium & finis, primus & ultimus. Apocal.* XXII. 13.

§. 27.

Sensus horum verborum est, quod Deus sit primus & ultimus omnium entium.

Nemo, qui græcam linguam primis labris degustavit, ignorare potest A primam Alphabeti Græci esse literam; Ω vero ejusdem literam ultimam. Consequenter nemo non videt, sensum horum verborum non esse proprium; at metaphoricum. Sensus igitur non alius, quam hic esse potest; **Deum esse entium omnium primum & ultimum**; quemadmodum A est literarum omnium alphabeti in ea, qua *Johannes* scripsit, lingua prima; Ω autem ultima. Quod hic verus, horum verborum, sensus sit, evidens est ex eo, quod *Johannes* his statim verbis addit ἀρχὴ καὶ τέλος *principium & finis.* **Principium** illud ens est, quod initium est & origo

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0020
DFG

go omnium entium extra se. Deum vero esse initium atque originem omnium rerum extra se, patet ex eo, quod omnes res in principio creaverit (§. 8. & 12.). Deus non tantum de se testatur, quod sit principium; sed & addit, se non minus esse finem. **Finis** est terminus a parte post. Deus vero finis est in oppositione ad entia extra eum, quia ipse caret termino a parte post. Id, quod palam est ex eo, quod *Psalmista de Deo dicit Ps.* CII. 28. *quod anni ejus non defecturi sint;* ubi tamen de interitu cœlorum a Deo factorum sermo est versu 26. 27. Consequenter Deus existentiæ finem nullum habet, & existet si vel res omnes ab ipso factæ ad interitum suum tenderent, inque pristinum nihilum reverterentur. Idem adhuc confirmatur, dum posteriori loco Deus ait, quod sit A & Ω, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος *primus & ultimus*, id est, qui fuit antequam aliquid præter ipsum fuit, & erit, quando omnia perierunt. Deum fuisse priusquam quicquam præter eum erat ipsa *Sapientia* magnifice ac luculenter probat *Proverb.* VIII. 22-29. Deum in futurum permanere licet omnia pereant *Psalmista* diserte affirmat *Ps.* CII, 27. dum inquit: *ista* (scilicet *cœlum & terra* versu 26.) *peritura sunt, tu autem permanes.* Cum denique hæc *Apocal.* XXII. 13. combinentur, *quod Deus, qui sit* A *&* Ω etiam *& principium & finis*, similiter & *primus & ultimus sit;* nullus dubitare potest, **Deum esse omnium entium primum & ultimum.** Nam quod Deus se dicat primum & ultimum in oppositione ad entia omnia, ex eo non obscure etiam colligitur, quod *Johannes* moneat, *quod se* A *&* Ω *dicat Dominus, qui est, qui erat* (vel potius, *qui fuit*) *& qui venturus*, hoc est, qui omni tempore conceptibili existit, ita ut nullum fingi possit tempus, quo non existat Deus. Sicuti itaque litera A prima est in serie literarum alphabeti, quam

non præcedit alia; ita quoque Deus primus est in serie omnium entium; quoniam ipsum non præcedit ens aliud; Consequenter, quia ipse omnibus entibus præexistit independenter tanquam ens a se (§. 21.), ante quod ens aliud non extitit (*Theolog. Natur.* §. 44. & 92.). Similiter sicuti litera Ω ultima est in serie literarum alphabeti Græci, quia ipsum non sequitur alia; ita quoque Deus ultimus est in serie entium, quia post ipsum non existit aliud; consequenter ipsi non succedit aliud dependenter ab eo (*Theolog. Natur.* §. 44. & 92.).

§. 28.

Deus porro primus & ultimus dicitur in oppositione ad Idola.

Cum Johanne amice conspirat *Jesaias*, qui Cap. XLIV. 6. nomine Dei pronuntiat: *Ego primus, & ego novissimus* sive *ultimus sum, ac præter me nullus est Deus.* Ex contextu vero apparet, Deum se vocare primum & ultimum in oppositione ad idola Gentilium. Patet hinc, verba ista hunc habere sensum, quod ante Deum Israëlitarum non extiterit Deus alius, nec ullum futurum sit tempus, quo post eum extiturus alius, nec in præsente præter ipsum existat Deus quispiam alius; Consequenter quod ipse solus sit Deus, ac impossibile sit præter hunc Deum unum adhuc dari alios.

§. 29.

Quod ulterius probatur.

Deus primus est & ultimus in oppositione ad omnia entia præter eum existentia; quia independenter ab iis existit (§. 27.). Item per consequentiam ex eo, quod Deus Israëlitarum sit solus Deus, nec præter ipsum possibilis deprehendatur Deus quispiam alius (§. 28.), inferri potest, eum esse

esse ens primum & ultimum omnium entium. Deus enim Israëlitarum solus Deus est, nec ante ipsum fuit Deus alius (§. 28.). *Idem vero fecit omnia, cœlos extendit solus, terram stabilivit, nec ullus cum ipso fuit, Jes.* XLIV. 19. (sive *versu* 24. *in aliis versionibus*) hoc est, totum hunc mundum aspectabilem (§. 14.). Deus Israëlis solus produxit sine ullo alterius auxilio. Creatus autem fuit mundus in principio, *Gen.* I, 1. quando scilicet præter creatorem non existebat ens aliud (§. 12.); Adeoque **Deus Israelitarum**, qui ante se non habuit Deum alium (§. 28.), **est omnium entium primum: entibus** igitur **omnibus præexistit independenter ab alio.** Porro hic Israëlitarum Deus independenter ab omni ente alio entibus ceteris omnibus præexistit; *per modo demonstrata.* Ut existat, vi entis alterius minime indiget; Adeoque ens a se est (§. 21. & *Theolog. Natur.* §. 27.). Enimvero ens a se est entium omnium ultimum (*Theolog. Natur.* §. 45.). **Deus igitur Israëlitarum, qui solus Deus est, & præter quem non datur Deus alius** (§. 28.), **est omnium entium ultimum: Consequenter ens nullum dependenter ab eo ipsi succedere potest.**

§. 30.

Quare **ex S. literis evidens est, Deum Israëlis, sive verum Deum esse ens primum & ultimum independenter ab omnibus entibus** (§. 27.), **immo qui solus Deus est idolis oppositus** (§. 29.). *Quo sensu Deus dicatur in S. S. primus & ultimus.*

§. 31.

Per Dei igitur **primitatem & ultimationem S. S. intelligit,** quod Deus verus sit id ens primum & ultimum, quod *Definitio primitatis & ultimationis Dei.*

quod existit independenter ab omnibus entibus, & quod Idolis oppositum est (§. 30.).

§. 32.

Quæ cautio adhibenda.

Deus & in *Apocalypsi* & apud *Jesaiam* primus & ultimus dicitur; consequenter in utroque loco verba eadem sunt. Priori tamen loco Deus primus dicitur & ultimus in oppositione ad entia quæcunque præter eum existentia (§. 27.): posteriori vero in oppositione ad idola (§. 28.); itaque primitas Dei una cum ejus ultimatione hoc posteriori loco per solam consequentiam elicitur (§. 29.), quæ tamen priori loco ex ipsis fluit verbis (§. 27.); Itaque licet verba sint eadem, *per modo demonstrata:* res tamen differunt, *iterum per modo demonstrata:* igitur ex identitate verborum non statim inferri potest identitas rei; ast animus advertendus est ad sensum verborum, qui ex iis, quæ circumstant, examinari potest, ut ex hujus idenditate inferatur consensus. Consequenter incaute agunt, qui, quando identitatem in verbis inveniunt non inquirendo in sensum verborum, statim ad identitatem rei concludunt: Unde tota eorum probatio non solido nititur fundamento. Si vero consensus ex ipso sensu verborum demonstratus identitasque rei elucet, temerarium esset probationem eam tanquam spuriam rejicere.

§. 33.

Error revellitur.

Deus est primus & ultimus, eo quod independenter extitit, existet (consequenter & existit; quia in sua duratione est ens a se §. 19.) ab omni ente alio independens: immo idolis oppositus est (§. 31.) adeoque illi errant, qui Dei existentiam, omnia temporum momenta pervadentem, ab existentia & successiva duratione aliorum entium non satis distinguunt; nec non qui verum

verum Deum a falsis Diis sive idolis non accurate discernunt.

§. 34.

Emphaticus sane est locus *Jacobi* I. 17. quo Apostolus de Deo affirmat, *quod apud eum (quem patrem luminum* vocat) *nec sit transmutatio nec vicissitudinis adumbratio.* *Principium demonstrandi immutabilitatem Dei.*

§. 35.

Contextum, qui intuetur, inveniet; *Apostolum inculcare, quod homo boni agendi vires accipiat a Deo, a quo quidquid bonum & perfectum est proficiscatur.* Vt autem Deum boni datorem constantem agnoscamus, addit: *quod nulla transmutatio, immo nequidem, quod umbram alicujus vicissitudinis referre possit, penes Deum locum habeat.* Cum porro *Deum patrem luminum* vocet, facile colligitur, hoc ipso nos moneri, ne, quæ de immutabilitate Dei dicuntur, ad solam ejus voluntatem; verum etiam ad intellectum referamus. Et *quia de datione boni sermo est*, ad potentiam quoque extendenda sunt. Ne vero quis existimet ex accidente fieri posse, ut quædam mutatio accidat, emphatice admodum adfirmat, *ne umbram quidem vicissitudinis penes Deum locum habere.* Cum jam immutabilitas sit impossibilitas substitutionis alterius pro eo, quod simul est, vel accessionis ejus, quod non est, ceteris, quæ simul sunt, manentibus iisdem (*Ontolog.* §. 290.). *Jacobus* asserit: quod nec voluntas nec intellectus, nec potentia Dei mutari possit, immo ne quidem in Deo accidentalis mutatio possibilis sit: *per demonstrata.* *Sensus horum verborum.*

§. 36.

His positis evidens est Apostolum docere, Deum prorsus immutabilem esse, ita ut nihil in eo con- *S. Scriptura quo sensu Deum immutabilem dicat.*

cipi possit, quod non semper sit idem: sive substitutionem alterius pro eo, quod simul est, vel accessionem ejus, quod non est, ceteris, quæ simul sunt, manentibus iisdem, in Deo plane impossibilem esse (§. 35.).

§. 37.

Immutabilitatis Dei Definitio.

Ex sensu igitur Jacobeo patet, immutabilitatem esse illud Dei attributum, quo nihil in Deo concipi possit, quod non semper sit idem: sive in Deo plane impossibilem esse substitutionem alterius pro eo, quod simul est, vel accessionem ejus, quod non est, ceteris, quæ simul sunt, manentibus iisdem (§. 36.).

§. 38.

Immutabilitas ulterius confirmatur.

Ulterius hæc Dei immutabilitas, qua in eo nihil concipi potest, quod non semper idem sit, confirmatur ex ipsa identitate eorum, quæ Deo constanter insunt, cujus probationem hinc damus §. sequente.

§. 39.

Principium demonstrandi constantem identitatem, quæ Deo insunt.

Disertis verbis docetur *Ps.* CII. 26, 27. 28. *Deum terram fundasse, & cœlum esse opus manuum suarum. Ista peritura esse, Deum autem permanere:* immo additur, *quod Deus idem sit, nec anni ejus unquam finiantur.*

§. 40.

Sensus verborum allegatorum eruitur.

Loquitur hic de terra & de cœlis. Phrasi Hebræorum terra & cœli mundus nuncupatur (§. 6.). De mundo hoc dicitur, quod periturus sit, quod Deus mutaturus sit eundem; ast de ipso Deo e contrario asseveratur, quod permaneat, quod idem ipse sit, nec anni ejus unquam finiantur (§. 39.). Consequenter ex hac oppositione, facta inter Deum atque mundum,

mundum, clarissime elucet, ex mente scriptoris sacri, Deum semper esse eundem, & quidem ab æterno in æternum, sive quod omnis interitus ac mutatio quæ in mundum cadere possit, in Deo plane impossibilis sit, & quidem in omnem æternitatem. Etenim anni ejus nunquam finiuntur.

§. 41.

Constans identitas eorum, quæ Deo insunt, quid sit.

Itaque constans identitas eorum, quæ Deo insunt ad mentem scriptoris sacri est illud, per quod Deus semper est idem ab æterno in æternum, sive id, per quod omnis mutatio & præteritio, sive interitus, quæ in mundum cadere possit, & quidem in omnem æternitatem plane impossibilis est (§. 40.).

§. 42.

Immutabilitas atque identitas Dei ulterius adstruuntur.

Deus est ens a se (§. 21.). Cum aseitas consistat in independentia existentiæ ab alio (*Theolog. natur.* §. 28.), nec ens a se indigeat vi entis alterius, ut existat, (*Theolog. natur.* §. 27.); sed rationem existentiæ in essentia sua habeat (*Theolog. natur.* §. 31.), contra omnis res præter Deum existens continuo indigeat Deo; quia ab eo dependet, & nihil habet, nisi quod accepit a Deo (§. 18.): Ergo in rebus præter Deum existentibus nihil inest, per quod loco unius quod in Deo est, aliud, quod simul est in Deo, substitui, aut loco ejus, quod in Deo non est, ceteris, quæ simul in Deo sunt, manentibus iisdem, accedere possit; consequenter Deus, quia ens a se est, a nullo ente præter eum existente mutari potest (*Ontol.* §. 291.). Porro, cum aseitas consistat in independentia existentiæ ab alio (*Theol. nat.* §. 28.), ita ut vi ejus ortus atque interitus a Deo prorsus removeatur

veatur (*Theol. nat.* §. 46.); fieri non potest, ut per aseitatem Deo aliquid accedat, quod non inerat, vel in locum ejus quod inerat, substituatur aliud quod non inerat. Quamobrem quia impossibilitas substitutionis alterius pro eo, quod simul est, sit immutabilitas (*Ontol.* §. 291.); per aseitatem intelligitur, Deum quoad ea, quæ per hanc ipsi tribuuntur, esse immutabilem; consequenter in aseitate nulla continetur ratio sufficiens ullius mutationis (*Ontol.* §. 56.): sine ratione sufficiente vero nihil quidquam esse potest (*Ontol*, §. 70.); adeoque **nec per aseitatem Deo ulla accedere potest mutatio: seu Deus est immutabilis, quia est ens a se.**

§. 43.

Errores revelluntur. Qui itaque Deum agnoscit esse ens a se (§. 21.), sacrisque literis non denegat fidem, **is immutabilitatem atque identitatem ejus nunquam negare potest** (§. 36. 40. 42.).

§. 44.

Principium probans Deum carere ortu atque initio. Sapientia de Deo & se ipsa affirmat *Prov.* VIII. 22-30. *Jehovah possidebat me principio viæ suæ: ante opera sua, jam tunc* (quod *Tremellius* & *Junius* vertunt: *ante ullum tempus*), *ante seculum libavit me, ante principium, ante primordia terræ.* Subsequentibus denique versiculis catalogum rerum a Deo creatarum adjicit.

§. 45.

Sensus horum verborum. Sapientia recensum rerum creatarum instituit & affirmat, eas omnes esse opera Dei, sive a Deo esse creatas. Hinc merito affirmat, Deum extitisse antequam principium fuit, id est, antequam aliquod ens præter Deum existens fuit: Causa enim, videlicet ipse Deus, prior causato esse debet,

entibus

entibus scilicet omnibus a Deo creatis (*Ont.* §. 906.); adeoque Deus est ens a se (confer. §. 21.); hinc existentiæ suæ rationem sufficientem in essentia sua habet (*Theol. natur.* §. 31.); adeoque essentia Dei (a sapientia in Proverbiis (§. 45.) descripta) posita, ponitur etiam existentia ejusdem (*Ontol.* §. 118.); consequenter salva essentia Dei, ejus non existentia poni nequit: Etenim fieri nequit, ut idem simul sit & non sit (*Ontol.* §. 28.); nonexistentia igitur Dei ejus existentiæ a se repugnat (*Logic.* §. 310.). Enimvero **cum illud oriatur** quod existere incipit (*Ontol.* §. 541.); ortus hinc nonexistentiam involvit. Unde evidens est, **Deum oriri non potuisse.**

Nonexistentia Dei cum poni nequeat, *per modo demonstrata:* sequitur Deum initio carere. Nam ponamus aliquod existendi initium, tunc necesse erit, ut antea non extiterit, *quod cum repugnet demonstratis;* **Deus nullum existendi initium habet.**

§. 46.

Juxta **Effatum** itaque **S. S. Deus est ens, quod non incepit existere** hinc **ortus; adeoque & initii expers est** (§. 45.). *S. S. Deum agnoscit ens ortus ac initii expers.*

§. 47.

Quamobrem **cum ad mentem S. S. de Deo negamus ortum atque initium,** hoc ipso agnoscimus, quod Deus neque incepit existere, neque tempus aliquod fuit, in quo non extitit. *Quid intelligitur per id quod Deus ortu atque initio careat.*

§. 48.

Et *Psalmista Ps.* CII. 26. 27. 28. & *Apostolus* ad *Hebr.* I, 10. 11. 12. iisdem verbis affirmant, *cœlum & terra peribunt;* *Principium quo in S. S. a Deo finis atque*

interitus removetur.

bunt; Deus autem permanebit, & quidem *ita, ut anni ejus non deficiant*, sive *non finiantur*.

§. 49.

Sensus ejus genuinus.

Uterque locus considerandus ut classicus: Etenim Deus hic toti mundo adspectabili opponitur, nec non claris verbis asseritur, Deum in oppositione ad hunc mundum permansurum esse, id est (ut verbis hujus loci utar), licet *mundus ut vestimentum veteraſcet, ut indumentum* (alii interpretes habent, *ut amictus*) *mutetur, & licet mundus pereat* hoc modo; *Deus tamen* in oppositione hujus mundi *permanebit, idem erit, & anni ejus non finientur*, sive *deficiant*. Unde evidens est, quod Deus finem habere nequeat; quia diserte asseritur, annos Dei non deficere; sive finiri, quo indicatur, non dari ullum tempus, quo Deus non existat, vel sit exiturus. Cum vero ille, de quo affirmatur, quod tempus nullum sit, quo non existat, **fine careat.** Ergo **Sacri Scriptores Deum finem habere evidentissime negant.**

Addo dum iidem probant, quod Deus in oppositione ad totum mundum adspectabilem permaneat; consequenter Deus constanter & immutabiliter subsistat, licet totus hic mundus veteraſcat, mutetur ac pereat, licet omnia ista, quæ præter Deum existunt, interire possint; attamen impossibile erit, Deum interire. Id quod adhuc confirmatur additis verbis: *& anni ejus non finientur*, sive *deficient*, id est, Deus finem habere nequit; *per modo demonstrata*. Qui vero existendi finem habere nequit, ei impossibile est, ut intereat (*Theol. nat.* §. 37.) is enim **interit**, qui existere desinit, cum antea existeret (*Ontol.* §. 541.). Ergo **Deus interire nequit.**

§. 50.

§. 50.

Quamobrem paginæ S. sensu eo Dei finem ac interitum negant, quo declaratur, non dari vel concipi posse tempus, quo Deus non existat, vel existentiæ suæ finem capiat (§. 49.). *Quo sensu finis & interitus Dei in S. S. negetur.*

§. 51.

Consequenter quando cum revelatione dicimus, Deum finem non habere, nec posse interire, intelligimus cum ea impossibile esse, dari tempus, quo Deus non existat, vel in existendo desinere possit (§. 50.). *Quid intelligitur eo, quod Deus finem non habeat nec desinere possit.*

§. 52.

Si Deus est ens a se, simpliciter impossibile est, eum non existere posse, sive Deus necessario existere debet (*Theol. nat.* §. 32. & *Ontol.* 279.): id vero, quod necessario existit, sive de quo simpliciter impossibile est affirmare, quod non existere possit, de eo absonum esset statuere, quod non existere possit (*Ontol.* §. 28.); consequenter Deus quia est ens a se, hinc etiam fine caret (§. 49.). Ex Aseitate igitur patet, quod Deus finem non habeat. *Quod Deus nec incipere nec desinere possit ulterius probatur.*

Similiter Deus est ens a se; ergo nullum habet existendi finem: *per modo demonstrata.* Ast quod interit, existere desinit, cum antea existeret (§. 49. 51.), adeoque existendi finem habet. Hoc cum sit falsum: *per demonstrata.* Ens a se interire nequit; consequenter quia Deum agnoscimus esse ens a se (§. 21.); hinc quoque intelligimus Deum interire non posse.

§. 53.

Quare quicunque Aseitatem Dei probe perspectam habet, Dei ortum, interitum, initium atque *Errores refelluntur.*

finem absque manifesta absurditate statuere non potest.

§. 54.

Deus annihilari nequit.

Deus non potest interire, quia non potest desinere, cum antea esset (§. 49. 51.). Ille vero annihilatur, qui desinit, cum antea existeret, ita ut nihil amplius actu supersit (*Ontol.* §. 540.); consequenter, quia Deus non potest interire (§. 51.); nec annihilari potest (*Theol. nat.* §. 38.).

§. 55.

Error refellitur.

Qui itaque Dei aseitatem non negat, absone de Deo affirmaret, quod annihilari possit.

§. 56.

Principium quod Deus non sit in tempore.

Jacobus I, 17. dicit, *quod penes Deum nulla sit vicissitudinis adumbratio.*

§. 57.

Sensus loci hujus genuinus investigatur.

Itaque ad mentem Apostoli *cum nulla penes Deum sit vicissitudinis adumbratio*, nihil in Deo datur, quod vel minimam vicissitudinis speciem præ se ferat, quemadmodum umbra projecta a corpore solido & opaco pro diverso positu corporis luminosi variat, & terminos suos modo producit, modo contrahit. Itaque nulla in Deo determinatio essentialis desinit, nec alia ejus loco in existendo incipit, sed Deus omnes suas determinationes simul & semper possidet: adeoque in Deo nulla datur successio (*Ont.* §. 569.). Quamobrem cum tempori locus non sit absque existentibus successivis in continua serie (*Ontol.* §. 574.), juxta Jacobum in Deo nullum tempus locum habere potest, immo nequidem habere videtur.

§. 58.

§. 58.

Quod nec tempus, nec temporis discrimen in Deum cadat, confirmatur præterea verbis illis, quæ *Moses* in supplici oratione fundit *Ps.* XC. 4. *mille* enim *anni ante oculos Dei dicuntur esse tanquam dies heſterna, quæ præteriit.* Et *Petrus Epistola II. Cap.* III. 8. ait, *unum Diem apud Dominum esse sicut mille annos, & mille annos sicut diem.* Ut adeo quoad Deum inter diem & annum, item inter annum & mille annos nulla intercedat differentia. *Quod Deus non sit in tempore, ulterius confirmatur.*

§. 59.

Quare **quando juxta mentem S. S. dicimus, Deum non esse in tempore, affirmamus** per ea, quæ Deo insunt, ne tempus quidem concipi posse; sed hoc esse ipsi plane extrinsecum, quid quod, divinam existentiam non afficit, non Deo, sed rebus contingentibus extra Deum existentibus proprium; adeoque tempus, durationem successivam non competere, nisi rebus contingentibus extra Deum existentibus, quæ successioni, & hinc tempori subsunt (§. 57.). *Quid S. S. indigitet, quando affirmat, Deum non esse in tempore.*

§. 60.

Quare **æque absonum est, Deum tempori submittere, quam eidem mutabilitatem attribuere** (§. 43.). *Error refellitur.*

§. 61.

Quod Deus existere non inceperit, sive quod nullum tempus sit, in quo non extitit; hinc initii expers sit, demonstravimus (§. 47.). *Æternitas Dei probatur.*

Consimiliter (§. 51.) evidens est, Deum non posse desinere in existendo, sive impossibile esse dari tempus, quo Deus non existat; adeoque finem habeat.

Porro S. S. affirmat, Deum non esse in tempore; quia per ea, quæ Deo insunt, ne tempus quidem concipi potest;

sed tempus omne aliquid ipsi plane extrinsecum esse, nec id dari, nisi quatenus extra Deum existunt res successivæ (§. 59.). Cum vero illud ens, quod nec initium nec finem habet, & cui tempus nullum assignari potest **æternum** sit (*Theol. natur.* §. 39.); **merito Deus æternus declaratur.**

§. 62.

Ulterius confirmatur.

Omnis duratio est vel *terminabilis* vel *interminabilis*. *Duratio terminabilis* duplicem habet terminum, videlicet a quo, unde incipit, (aut si mavis) a parte ante; vel terminum ad quem, in quo definit (sive si magis arridet) a parte post. Quamobrem si *æternitas interminabilis* (quæ caret termino a parte ante & a parte post, sive quæ nec initium nec finem habet) opponitur durationi terminatæ, vel id fieri debet respectu termini a parte ante, vel a parte post, vel respectu termini utriusque & a parte ante & a parte post. Deus vero initio caret (§. 47.), sive terminum non habet a parte ante, unde *Deus dicitur fuisse ab æterno Genes.* XXI. 33. *Habac.* I, 12. *Ps.* CIII. 2. *Rom.* XVI. 26. Similiter finem nullum habet (§. 51.), seu terminum a parte post, *dicitur* quippe *de Deo, quod vivat in secula seculorum Apoc.* V. 14. *Quod anni ejus non deficiant Ps.* CII. 28. *Hebr.* I, 12. Immo uterque terminus & a parte ante, & a parte post a Deo removetur, ubi vocabula, per quæ duratio in sacris paginis indicatur, geminantur, veluti מעולם עד־עולם *Ps.* XC, 2. CIII. 17. &c. & εἰς τὸς αἰῶνας τῶν αἰώνιων *Apoc.* X. 6. XV. 7. &c. immo juxta mentem S. S. Deus non est in tempore, ita ut nequidem tempus habere Deum, videri possit; quia nullæ dantur in Deo determinationes essentiales desinentes, neque aliæ determinationes incipientes, & in locum defectarum succedentes; sed Deus omnes suas determinationes simul habet atque semper (§. 59.).

§. 63.

§. 63.

S. S. intelligit per Dei æternitatem,

Ex his igitur evincitur, **quod ſcriptura per Dei æternitatem indicet**, æternitatem interminabilem abſolutam, id eſt, exiſtentiam, quæ caret & termino a parte ante & a parte poſt (§. 62.), ſive, quæ nec initium nec finem habet (§. 61.), aut ſi mavis, Deo nullum aſſignari poſſe tempus, quo exiſtere cœperit, & quando deſineret exiſtere (§. 62.).

§. 64.

Æternitatem abſolute interminabilem.

Deus & in Vet. Teſtam. veluti *Pſ.* XLVIII. 15. *Jeſ.* XL. 28. & alibi toties, & in Nov. Teſtam. veluti *Rom.* XVI. 26. 1. *Timoth.* I. 17. alibique *æternus dicitur*. Deus gaudet æternitate abſolute interminabili (§. 63.). **Quoties hinc de Deo in ſacra ſcriptura dicitur, quod ſit æternus, toties indicatur, quod Dei æternitas abſolute interminabilis ſit, ſive quod ejus exiſtentia nec initium nec finem habeat, ita ut ei nequidem ullum tempus aſſignari poſſit, quo exiſtere coeperit, & quo exiſtere deſinat.**

§. 65.

Definitio æternitatis Dei.

Quamobrem **quoties in ſacris literis reperimus, quod Deus æternus vocetur, toties intelligimus**, Deo tribui illam exiſtentiam, quæ initio atque fine careat; aut (ſi mavis), Deo nullum poſſe aſſignari tempus, quo exiſtere coeperit, & quo exiſtere deſinat (§. 64.).

§. 66.

Multum in eo eſſe ſitum, enucleate tradere, quid S. S. per æternitatem Dei intellectum velit.

Nullus miretur, quod prius evincamus Deo in ſcriptura ſacra tribui æternitatem abſolute interminabilem, quæ nec initium nec finem habet, nec Deo ullum tempus aſſignari poſſe, & deinde demum probaverimus, hoc ſenſu toties æternita-

ternitatem absolutam intelligi, quoties in sacris paginis æternus dicitur. Cum enim notiones ex S. S. hauriendæ sint, nullus alius sensus verbis literarum sacrarum tribuendus est, quam is, qui ex intentione Dei iis est jungendus (*Logic.* §. 969.); fuit igitur necesse prius probare, Deum eo sensu, quo demonstravimus eum æternum esse, in sacris paginis æternum agnosci; Adeoque eodem sensu Deo in scriptura sacra æternitatem tribui, quo communiter vocabulum accipimus. Etenim ex consensu in verbis consensus in re non statim inferri debet. Unde, si sola citassemus loca, in quibus Deus æternus nuncupatur, tantummodo nosceremus Deum in sacris literis vocari æternum, eique quidpiam tribui, quod æternitatis nomine insignitur; quid vero illud sit, latuisset. Ne igitur hac ignorantia crassa laboremus, vago, dubio atque incerto significatui inhæreamus, erroresque, qui ex ignorantia aut confusione propullulant, solicite vitemus; hinc nemo nobis, opinor, vitio vertet, aliquid temporis accuratiori discussioni notionis hujus dedisse, ut sciremus, quid sacra scriptura per Dei æternitatem in re intelligeret, ut inde demum consensus in verbis pateat.

§. 67.

Error refellitur. Cum Dei existentiæ tempus assignari nequeat (§. 65.); ejus æternitatem metiri, sive in partes dividere, nullatenus licet (*Theol. natur.* §. 40.); Consequenter **Crellius cum omnibus, qui æternitatem Dei mensurare, eive partes assignare conantur, a vero aberrant.**

§. 68.

Principium, quo ex S. S. sempiternitas Dei adstruitur. *Johannes Deum* describit *Apocal.* I. 8. tanquam *illum* ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, id est, *qui est, & qui erat* (vel interprete *Castellione, fuit,*) *& qui venturus est.*

§. 69.

§. 69.

Diſertis hic verbis Dei exiſtentia refertur ad *tempus præſens* per verbum præſentis temporis, *eſt;* ad tempus *præteritum* per verbum temporis præteriti, *erat*, vel *fuit;* per verbum denique futuri temporis, *venturus eſt*, ad tempus *futurum*. Mentem igitur adverte ad quodcunque præſens, & dicendum ex mente *Johannis*, quod Deus hoc tempore ſit. Animum verte ad tempus quodcunque præteritum, & affirmandum erit, quod hoc quoque tempore Deus extiterit. Cogitationibus denique tuis percurre quodcunque futurum tempus, & ajendum, Deum non minus iſto tempore exiturum. *Horum verborum ſenſus eſt.*

§. 70.

Cum vero conſtet, præter tempus præſens, præteritum atque futurum non poſſe aliud tempus fingi (*Ontolog.* §. 584); ſecundum teſtimonium Dei per *Johannem* Deus per omne tempus præſens, præteritum nec non futurum exiſtit (§. 69.): Adeoque **Deus omni tempore conceptibili exiſtit: ſeu nullum fingi poteſt tempus, quo non exiſtat Deus.** *Deum omni tempore conceptibili exiſtere.*

§. 71.

Id vero, quod omni tempore conceptibili exiſtit, **ſempiternum** dicitur (*Theol. natur.* §. 75.); Deus autem exiſtit teſte ipſo per *Johannem* omni tempore conceptibili (§. 70.); Conſequenter **ſacræ paginæ Deum ſempiternum eſſe pronunciant, dum ei exiſtentiam omni tempore conceptibili aſſignant.** *Sempiternitas Dei quid juxta S. S.*

§. 72.

Quare **ſacra ſcriptura ſempiternitatem Dei adſtruit, quatenus per eam intelligitur** exiſtentia per omne tempus conceptile (§. 71.). *Sempiternitatis Dei definitio.*

§. 73.

Quare Dei sempiternitas, licet in S. S. proprio nomine non insigniatur, fuerit adstructa.

Sacras evolvens literas vocabulum sempiternitatis in textu originali nuspiam inveniet. Sufficit autem rem termino denotatam in eadem contineri, unde concludimus, Deo in S. S. Sempiternitatem tribui: Etenim, cui competit definitum, eidem etiam competit definitio (*Logic. §. 253. in notis*); Consequenter minime est reprehendendum, quod termino aliquo discernamus attributum aliquod Divinum ab alio, quod in S. S. peculiari nomine non insignitur. Præprimis etiam propterea, quod communis loquendi modus in ea, qua scribebatur, lingua nomen peculiare non ferebat. Adde, quod in ipsa Theologia revelata plures occurrant termini ἄγραφοι, quibus significatus S. S. conformis quoad rem denotatam tribuitur. Neque vero inutile est peculiari indigitari nomine hoc Dei attributum, quod omne tempus conceptibile ambitu suo involvit. Illius usus late patet in officiis, quæ homo Deo debet, quæ ubi quis contemplatur, &, uti decet, accurate pertractat, ipso opere deprehendet, quantum sempiternitatis Dei cognitio in illa, illorumque exercitium influat. Hujus rei fidem indubitatam habent, qui Philosophiam practicam *Summi Philosophi Christ. Wolfii* perlustrabunt; & idem constabit, quando quis theologiam moralem systematice conscriptam publici juris dabit. Quare hoc nemo, puto, male sedulæ περιεργίας insimulabit, quod sempiternitatem, licet ex æternitate proxime consequatur, cum eademque arctius est connexa, ab ea distingamus, proprioque nomine appellemus, etsi idem nomen sit ἄγραφον in sacris paginis.

§. 74.

§. 74.

Deus prorsus immutabilis est, ita ut nihil in eo concipi possit, quod non semper sit idem (§. 37.). Verum enim vero identitas hæc constans est, per quam Deus semper est idem ab æterno in æternum (§. 41.). Itaque nulla datur variabilium in Deo successio (*Ontol.* §. 291. & 181.); consequenter Deus non est in tempore (*Ontol.* §. 574.); sed omne tempus Deo plane extrinsecum est, neque datur tempus, nisi quatenus extra Deum existunt res successivæ (§. 59.); in Deo igitur nihil est, quo ejus continuata existentia mensurari aut in partes dividi possit. Etenim propter suam immutabilitatem, in Deo nihil ineſt, pro quo aliud unquam substitui potest (*Ontol.* §. 291.); itaque in existentia continuata divina nihil est, quod idem esse possit cum multis, sicque totum constituat, nec unum horum multorum, quod pars hujus totius sit (*Ontol.* §. 341.). Inde cum continuata Dei existentia partes non habeat, ea etiam caret magnitudine (*Ontol.* §. 430.), nec mensurari potest (*Ontol.* §. 438.).

Error refellitur, atque æternitas vindicatur.

Vel etiam sic. Omne tempus Deo plane extrinsecum est (§. 59.). Continuata vero divina existentia, Deo intrinseca est, quia impossibile est, Deum non existere: Existit enim necessario (*Theol. natur.* §. 71.). Ergo tempus, quod Deo extrinsecum plane est, minime potest intrinseca quædam mensura esse, qua ejus continuata mensuraretur existentia.

Extra Deum nihil est, quo continuata ejus existentia in partes dividi, aut quo ea mensurari possit. Deus enim nec initium (§. 46.), nec finem habet (§. 50.). Cum jam æternitas Dei initio careat (§. 65.), ubi ergo, quæso, vis incipere mensurare? absente enim principio mensurandi, mensuræ applicatio impossibilis est. Consimiliter æternitas Dei

finis expers est (§. 50. & 65.); ubi hinc desines mensurare? unde iterum fluit applicationis mensuræ impossibilitas. Adeoque quoque extra Deum mensuratio æternitatis Dei plane impossibilis est.

Nihil est in Deo, quo æternitas ejus possit mensurari: *per demonstrata.* Mensuratio hæc extra Deum plane impossibilis est: *iterum per demonstrata.* Adeoque **qui Dei æternitatem in partes dividere, aut mensurare vult, conatur impossibilia; hinc absurda.**

Deus nec initium (§. 46.), nec finem habet (§. 50.), existit autem necessario (*Theol. natur.* §. 71.), ut adeo impossibile sit ipsum non existere (*Ontol.* §. 279.), & prorsus immutabilis est (§. 37.), semper idem ab æterno in æternum (§. 41.); hinc Dei æternitas consistit in immutabili actualitate eorum, quæ ipsi insunt. Verum enim vero cum tempus non detur, nisi existentibus successivis in continua serie (*Ontol.* §. 574.), **tempus infinitum** dici nequit, nisi quatenus nullum assignari potest initium, nullus finis; consequenter nullus limes ultra quem augeri amplius potest, sive ex parte ante, sive ex parte post. Tempus igitur infinitum non datur, nisi sensu mathematico (*Ontol.* §. 796.). Ergo **æternitas Dei & tempus infinitum omnino differunt; æternitas Dei itaque non est tempus infinitum.**

§. 75.

Principium quo Deo tribuitur existentia essentialis.

Deus *Mosi*, ad Israëlitas mittendo, atque percunctanti de nomine Dei mittentis, ut haberet, quod responderet Israëlitis quæsituris, quodnam sit nomen Dei mittentis, respondit Deus *Exod.* III, 14 *sic dices filiis Israëlis:* **Qui est** (vel cum *Castellione* textu hebræo magis conformiter: ERO), *mittit me ad vos. Præter Deum* vero *hunc, qui Mosen ad Israë-*

Iſraëlitas mittebat, non alius Deus eſt, teſte ipſo numine *Jeſ.* XLIV, 6; conſequenter ipſi nullum nomen eſſe poteſt, quo ab aliis Diis, tanquam ſui ſimilibus, diſtinguatur (*Pſychol. Empir.* §. 375.); diſtinguitur tamen ab ente quocunque alio per determinationes ipſi eſſentiales & alteri enti cuicunque incommunicabiles. Etenim *Deus* ipſe addit, *quod nullus ſit ſicut ille Jeſ.* XLIV, 7. Quod vero nullus ſit ſicut Jehovah ſolus, ipſe probat ex operibus ſuis, quæ *verſibus ſubſequentibus & Cap.* XLV. recenſet. Cum jam *Dei determinationes agnoſcantur ex operibus ejus Rom.* I, 19. 20. Nullum autem ens iſta producere poteſt opera, quæ Deus fecit: *per modo demonſtrata.* Ergo Deus eſſentialiter a quocunque ente alio per ſuas determinationes eſſentiales diſtinguitur, quæ enti cuicunque ſunt incommunicabiles. Quamobrem & nominis loco eſſe poterat determinatio eſſentialis, quæ enti alio convenire nequit. Cum jam Deus dicit, ſe vocari ERO, quod exiſtere nunquam ſit deſiturus; adeoque omni tempore conceptibili poſſit dici, quod extiturus ſit: **Neceſſe eſt, exiſtentiam Dei inter determinationes eſſentiales referri.**

§. 76.

Patet itaque **juxta ſacras paginas Deo exiſtentiam eſſe eſſentialem**, ut non poſſit concipi poſſibilis, quin ſimul concipiatur ut exiſtens (§. 75.). *Quid S. S. per exiſtentiam Dei eſſentialem intelligat.*

§. 77.

Deus non poteſt concipi poſſibilis, quin ſimul concipiatur ut exiſtens (§. 76.); conſequenter hoc criterio verus diſcernitur Deus ab omnibus falſis Diis, immo ab omnibus entibus, quæ verus Deus non ſunt (§. 75.). **Gentiles** itaque, *Error refellitur.*

qui admisere deos genitos, aut pro diis habuerunt res contingentes alias præter Deum existentes, una cum iis, qui aliquid præter verum Deum pro numine habent, erroris sui redarguuntur.

§. 78.

Juxta S. S. Deus non est compositus, sed simplex.

Deus nec oriri (§. 46.) nec interire potest (§. 51.). Ens vero compositum oriri atque interire potest (*Ontol.* §. 542.); adeoque Deus ens compositum esse nequit; sed quoniam necessario simplex est, quod compositum non est, necessario simplex esse debet.

§. 79.

Error refellitur.

Absurdum est Deo tribuere ortum atque interitum (§. 53.); Itaque & absurdum est, negare Dei simplicitatem, eum pro ente composito habendo (§. 78.).

§. 80.

Deus non est extensus.

Deus juxta scripturam non potest esse ens aliquod compositum; sed necesse est, ut sit simplex (§. 78.). Enimvero ens simplex non est extensum (*Ontol.* §. 675.); Ergo ad mentem S. S. Deus non potest esse extensus.

§. 81.

Error refellitur, & veritas vindicatur.

Absonum est negare simplicitatem Dei, eumque pro ente composito venditare (§. 79.); Igitur quoque Deus nonnisi erronee extensus habetur.

Implere quidem *Jehova dicitur cœlum & terram. Jerem.* XXIII. 24. Ast, qui connectionem intuetur, nec non secundum analogiam doctrinæ revelatæ & fidei incedit, statim agnoscet, Deum hic suam omnipræsentiam demonstrare; Consequenter hæc verba non sunt eo modo intelligenda;

da, quo de corpore dicitur aliquod ſpatium replere, quaſi Deus mundo coëxtenſus ſit, extenſione active penetrabili præditus, quæ oppoſita eſt extenſioni paſſive penetrabili, qualis ſpatio tribuitur. Etenim utraque hæc penetrabilitas imaginaria eſt; unde inter imaginationis abortus utique referendum, ſi Deus extenſionem corporum penetrare dicitur ſua extenſione, quemadmodum corpora penetrant extenſionem ſpatii. Sed cum ſenſus horum verborum pendeat a modo omnipræſentiæ divinæ; hinc hic explicari nec debet, nec poteſt; ſuo loco explicabitur. A partibus noſtris quoque ſtantem habemus analogiam fidei, quæ docet, Deum non poſſe eſſe extenſum, tum quia eſt ens ſimplex (§. 78.), tum quoniam incorruptibilis nec non incorporeus eſt, quod §.§. ſequentibus demonſtrabimus.

§. 82.

Gentium Apoſtolus *Rom.* I. 23. ait: *Mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis.* *Principium demonſtrandi incorruptibilitatem Dei.*

§. 83.

Paulus Deum vocat ἄφθαρτον in oppoſitione ad hominem, quem φθαρτὸν vocat. Et *Vulgatus interpres* & *Beza* recte hæc vocabula vertunt per *incorruptibile* & *corruptibile*. Sit ita quod *Caſtalio* forſitan magis ad veritatem dicti, quam ad proprium Significatum vocabuli attentus, ἄφθαρτον per *immortale* & φθαρτὸν per *mortale* vertit. *Lutherus* in vernacula ſignificatu generaliori reddit illud vocabulum **durch unvergänglich** & hoc **durch vergänglich**, cum priori alias in S. S. reſpondeat ἀπαράβατος, quod *Lutherus* iterum **durch unvergänglich** Hebr. VII. 24. & latinæ linguæ geneo convenienter *non tranſitorium* ſignificat; uti etiam vertit *Caſtalio*, *Vulgatus* vero *interpres*, ad ſignificatum *Senſus genuinus eruitur.*

tum verbi proprium non respiciens per *sempiternum*. Apostolus mutationem, quam corpora in resurrectione mortuorum subibunt, his describit verbis I. *Corinth.* XV. 53. Δεῖ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν. Quod *Vulgatus* iterum bene vertit: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Nec hic *Castellio* a proprio verborum significatu recedit. Consimiliter *Lutherus* hic retinet significatum vocabuli proprium specialem, convertendo **verweslich** & **unverweslich**, non vero uti loco priori **vergänglich** & **unvergänglich**; nec non *Beza*, uti supra, utitur proprio verbo *corruptibile*. Bene notanda hæc differentia; ipse enim Apostolus hoc posteriori loco *ad Corintheos* distinguit *mortale* a *corruptibili* & *immortale* ab *incorruptibili*, quando τὸ φθαρτὸν illi τῷ θνητῷ contra distinguit, itemque τῇ ἀφθαρσίᾳ adjicit τὴν ἀθανασίαν. Eam enim corporum nostrorum mutationem fore, ait, in resurrectione, ut, cum in hac vita sua natura esset corruptibile, in vita altera futurum sit incorruptibile, cumque jam esset θνητὸν *mortale*, olim ἀθανασίαν *immortalitatem* consecuturus sit. Jam corpus humanum non modo vivum est, verum etiam mixtum, scilicet quatenus singulæ ejus partes ex materia mixta constant. Moritur homo, dum vita privatur: At corrumpitur, dum mixtio solvitur. Corpus mortuum adhuc corpus humanum est, cum adhuc maxima ex parte integra atque salva sit structura ejus, in qua essentiam ejus consistere constat (*Cosmol.* §. 276.). Atat tum demum corrumpitur, quando putrefactione superveniente dissolvitur mixtum, ut in particulas minimas resolvatur totum corpus, sicque *tota* ejus intereat structura. Patet igitur **corruptibile** hic dici, quod facta dissolutione in partes, unde compositum est, interit; & **incorruptibile**, quod ita interire nequit, sive quod nullo modo

modo dissolutione in partes dissolvi potest (*Psychol. ration.* §. 666.).

§. 84.

Incorruptibilitas Dei ulterius probatur.

Deus est ens simplex (§. 78.), adeoque caret partibus (*Ontol.* § 673.); Consequenter fieri nequit, ut dissolutione in partes existere desinet; Adeoque intereat (*Ontol.* §. 541.). Cum vero incorruptibile sit, quod dissolutione in partes intrire nequit (§. 83.); **Deus incorruptibilis est.**

Idem etiam sic ostenditur. Deus est ens simplex (§. 78.); Adeoque eodem modo, quo entia composita; Consequenter corpora (*Cosmol.* §. 119.), interire nequit (*Ontol.* §.697.); Verum enim vero corpora corruptibilia sunt (*Psych. ration.* §.667.); **Deus** igitur corruptibilis esse nequit; Consequenter **incorruptibilis est** (*Psych. ration.* § 666.). Hoc argumento utitur Apostolus (§. 82. 83.), Dei incorruptibilitatem adstruens.

Potest quoque hoc modo demonstrari. **Deus** simpliciter interire nequit (§. 51.), sed omnis interitus essentiæ ejus repugnat (*Theol. natur.* §. 81.); Quamobrem nec fieri potest, ut dissolutione in partes intereat; **incorruptibilis** hinc **est** (*Psych. ration.* §. 666.).

Cui magis demonstratio indirecta arridet. Ponito Deum esse corruptibilem. Fieri adeo debet, ut dissolutione in partes intereat (*Psych. ration.* §. 666.); Sicque interitus non repugnabit essentiæ divinæ; quod absurdum (*Theolog. natur.* §.81.).

Vel, Deus partes habere debet; Adeoque non est simplex: quod denuo absurdum (§. 78.). Consequenter **qui absurdis inhiare non vult, Dei incorruptibilitatem absque dubio admittet.**

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn823346323/phys_0045 DFG

§. 85.

Quid S. S. per Dei incorruptibilitatem intelligat.

Quare cum revelatio toties affirmet, dum esse incorruptibilem, hoc ipso innuit nullo modo possibile esse, ut Deus, prævia dissolutione in partes, intereat (§. 83. & 84.).

§. 86.

Incorruptibilitatis Dei definitio.

Adeoque ex mente Apostoli Deum agnoscimus incorruptibilem, quatenus dissolutione in partes interire nequit.

§. 87.

Error refellitur.

Qui absurdis locum concedere non vult, incorruptibilitatem Dei negare nequit (§. 84.); Immo per hanc Deus ab omnibus rebus materialibus quam longissime distinguitur: Etenim nullus modus concipi potest, quo Deus interire possit. Omnes itaque res, quæ interire possunt, verus Deus non sunt.

§. 88.

Deus corporeus esse nequit.

Deus ad mentem literarum sacrarum extensus esse nequit (§. 80.). Corpora vero omnino omnia extensa sunt (*Cosmol.* §. 122.); quod extensum non est, corporeum esse nequit. Deus igitur juxta S. Scripturam corporeus esse nequit.

Idem etiam sic patet. Juxta S. S. Deus per naturam atque essentiam suam incorruptibilis est, ita ut corruptibilitas eidem repugnet (§. 85.). Atat omne corpus est corruptibile (*Psych. ration.* §. 667.). Ergo Deus ex mente S. S. corporeus esse nequit.

Consimiliter hoc modo potest ostendi. Deus est ens simplex, omnis compositionis expers (§. 78.). Quamobrem cum corpus

corpus omne sit ens compositum (*Cosmol.* §. 119.); **Deus juxta sacras paginas corporeus non est.**

§. 89.

Deus Johan. IV. 24. diserte *dicitur spiritus.* De spiritu vero negatur, quod habeat corpus, quale est humanum: Christus enim demonstraturus discipulis suis, se habere verum corpus post suam resurrectionem, & hoc corpore iis jam-jam præsens esse, hoc utitur argumento. *Videte manus meas & pedes: Nam ego ipse sum. Contrectate me, & videte: nam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me conspicitis habere. Luca* XXIV. 39. Quamobrem cum Deus spiritus sit, & de eo negetur corpus humanum ex carne & ossibus constans; evidens est, **Deum nullatenus corporeum esse.** *Idem ulterius confirmatur.*

§. 90.

Verum enim vero cum de spiritualitate Dei *Luca* XXIV. 39. agi nondum constet; nos vero evidentiam sectemur, quam nobis sanctam esse jubet demonstrativa methodus, nec ex eo, quod de spiritu negetur corpus humanum, ex carne & ossibus constans, citra omnem dubitationem inferatur, eum omni prorsus destitui corpore, ac prorsus immortale esse, nisi id aliunde manifesto pateat. Hinc evidentem consequentiam (§. 88.) præmisimus, ut per eam veritas in apricum proferatur, nec dubium ullum superfit ita, ut sine absurditate manifesta negare non possit. Ne vero temporis rationem negligamus, quæ loca S. S. citari jubet, hinc ea (§. 89.) subjecimus, ut habeant, quod desiderant; ea tamen lege, ut acutioribus confiteamur, hujus veritatis certitudinem nos solum in consequentia (§. 88.) data locare. *Quid circa hanc confirmationem notandum.*

§. 91.

Juxta sacras literas per id, quod Deus incor- *Incorporeitatis Dei definitio.*

poreus sit, intelligitur, quod tanquam ens essentialiter simplex, & omnis compositionis per essentiam suam expers, sit prorsus immaterialis.

§. 92.

Error refellitur.

Quoniam fieri non potest, ut Deus sit corporeus (§. 91.), **qui Diis corpora humana tribuunt, aut Deos materiales admittunt; falsos Deos fingunt.** Unde patet, Deos gentilium falsos fuisse Deos, eosque vehementer omnino omnes errare, qui in Deo quidpiam materiale admittunt.

§. 93.

Deus est insensibilis, nec imaginabilis.

Sensationes animæ sunt repræsentationes compositi (*Psych. ration.* §. 83.); quod simplex est, sensu percipi nequit, adeo ut nequidem omnia composita sensu percipi possint (*Psych. ration.* §. 99 & 100.). Quare cum Deus sit ens simplex, nec compositus esse possit (§. 78.), sensu percipi nullatenus potest. **Insensibile** est, quod sensu percipi nequit (*Theol. Natur.* §. 87.); Adeoque **Deus juxta S. S. insensibilis est.**

Vi imaginationis producuntur perceptiones rerum sensibilium absentium (*Psych. empir.* §. 92.), vel quales nobis erant, cum res sensu perciperemus (*Psych. empir.* §. 91.), vel quatenus ex iis, quæ sensu antea percepimus, dividendo atque componendo quædam finguntur (*Psych. empir.* §. 144. & 145.), & quod ita fingitur, ei objectum simile ars producere valet (*Psych. empir.* §. 148.); ut adeo sensu quoque percipi possit (*Psych. ration.* §. 84.); Consequenter sensibile efficiatur (*Theol. natur.* §. 87.). Quicquid igitur insensibile est, idem nec imaginabile esse potest. Quamobrem cum

Deus

Deus insensibilis sit: *per modo demonstrata*; nec imaginabilis esse potest.

§. 94.

Quid juxta S. S. per id intelligendum.

Juxta mentem S. literarum Deum agnoscimus insensibilem, quatenus nihil est in essentia divina, quod sensu percipi possit; nec imaginabilem, quatenus in eadem nihil vi imaginationis repræsentari potest.

§. 95.

Error refellitur.

Gentium Apostolus Athenienses verum Deum annuntians, de eodem quidem dicit *Actorum* XVII. 27. *Ut quærerent Dominium, si forte palpando eum invenirent.* Hæc *Bezæ* versio est, cum qua *Stockius in clavi linguæ sanctæ N. T. sub vocabulo* ψηλαφάω convenit, vertendo: *si forte palparent eum, ac invenirent.* Videtur hic ab Apostolo affirmari, Deum posse per sensus percipi: Nam quod quærentes palpando invenimus, id necessario sensu percipere debemus *Psych. empir.* §. 67. 68.). Atat quis non videt! his verbis inesse metaphoram? ipsa conectio idem demonstrat: Apostolus enim Athenienses reprehendit, quod falsos Deos adhuc coluerint verum Deum ignorantes, quem tamen facile agnoscere potuissent. Medium, per quod hanc ignorantiam vincere, verumque (illis vero hucusque *ignotum Deum, versu* 23.) agnoscere possent, illis indicat, recensendo creationem mundi soli vero Deo competere una cum ejus conservatione; illum vero nulla alia re indigere (§. 18.). Cum jam mundus adspectabilis sensibus solis percipiatur (*Psych. ration.* §. 62.); utique is, qui ab Apostolo indicato medio cognoscendi verum Deum utitur, palpando eum percipere potest; Consequenter ad mentem Pauli verus Deus palpando invenitur; quia totus mundus adspectabi-

lis medium est eum agnoscendi; ipsa vero Dei essentia (de qua solum (§. 94.) quæstio, quando Dei invisibilitatem adstruimus) omnino insensibilis, nec imaginabilis est (§. 93.). Nullus quidem negabit mundum adspectabilem sensu percipi. Enimvero absonum esset statuere: mundus est palpabilis, Deus creavit eum, eundemque conservat, ut sit medium Deum agnoscendi. Ergo essentia divina palpapilis atque sensibilis est. Contrarium potius ex inde manifestum est: Etenim mundus propterea sensibilis, quia est ens compositum (*Psych. ration.* §. 83.). Cum vero Deus sit ens simplex omnis omnino compositionis expers (§. 78.). Ergo Deus est insensibilis. Unde **qui Dei insensibilitatem negare velit,** vel Dei simplicitatem una negabit, quod absonum (§. 79.), vel affirmare debet, quod ens simplex sit sensibile, quod iterum absurdum, quia nequidem composita omnia sensibilia sunt (*Psych. ration.* §. 99. 100.); hinc **ad absurda ubivis prolabitur.**

§. 96.

Deus in S. S. dicitur invisibilis.

Deus diserte dicitur ἀόρατος *invisibilis*, *Coloss.* I. 15. I. *Timoth.* I. 17. *Hebr.* XI. 27. Cum dubium nullum sit, vocabulum sumi in significatu communiter recepto, ubi contrarium nulla necessitas urget; nemo erit, qui dubitet, Deum dici invisibilem; quia videri nequit, quemadmodum visibilia oculis percipiuntur. Non vero sine ratione in loco priore dicitur ὁ θεὸς ὁ ἀόρατος *is Deus, qui visibilis*. Etenim hoc ipso indigitatur, quod **invisibilitas Deo sit essentialis.**

§. 97.

Invisibilitatis Dei definitio.

Ad mentem itaque Scripturæ Deus est invisibilis, quatenus per suam essentiam sensu visus percipi nullatenus potest.

§. 98.

§. 98.

Ex eo, quod Deus per ſuam eſſentiam ſenſu viſus imperceptibilis, ſive inviſibilitas Deo eſſentialis, ratio redditur, cur impoſſibile ſit, ut hominum aliquis videat Deum. Sicque emphaſis intelligitur, quæ ineſt verbis Apoſtoli. I. *Timoth.* VI. 16. *Deum nullus hominum videt, neque* (ſive ut *Vulgata* habet; *ſed nec*) *videre poteſt.* Cum enim, præſertim ob verba antecedentia, *quod Deus lucem inhabitet inacceſſibilem*, facile quis ſuſpicari poſſet, nullum hominum vidiſſe Deum propter impedimentum aliquod accidentale; Apoſtolus addit, *quod nec* videri poſſit, quia ſcilicet impoſſibilitas obſtat ex parte ipſius Dei, utpote per eſſentiam ſuam inviſibilis (§. 97.), quemadmodum aliunde cognitum ſupponit. Notes, quæſo, velim, verba Apoſtoli non allegari poſſe ad probandam inviſibilitatem Dei, cum ex contextu citra dubitationem erui non poſſit ratio, cur impoſſibile ſit, ut homo videat Deum, propterea quod, nondum cognita aliunde inviſibilitate Deo eſſentiali, ex contextu non appareat, utrum emphaſis, quæ verbis Apoſtoli ineſt, quærenda ſit in impoſſibilitate, quæ datur ex parte objecti cognoſcendi, an in impoſſibilitate, quæ eſt ex parte ſubjecti cognoſcentis. Adeſſe aliquam emphaſin in verbis Apoſtoli per ſe patet, quoniam ſimpliciter dicere poterat, nullum hominum vidiſſe Deum, vel Deum videre poſſe; Conſequenter utrumque non ſine ratione conjungit; ut adeo *Vulgatus interpres* particulam *ſed* (quæ in textu Græco non exſtat) menti tamen Pauli convenienter addit, excitaturus attentionem ad emphaſin latentem, quam lector in ſe facile deſiderari paſſurus erat. Verum enim vero ipſa hæc emphaſis ex contextu, qui eam ambiguam relinquit, explicari non poteſt. Explicanda igitur eſt per collationem verborum Apoſtoli cum aliis ſcripturæ locis, qualia (§. 96.) in medium adduxi-

Quæ hic notanda.

adduximus. Quodsi animum ad hæc adverteris, ideam quandam excemplarem nancisceris interpretationis scripturæ per scripturam, & differentiæ dictorum classicorum & minus classicorum. Magni momenti est loca classica a non classicis distingui (uti Vr. gr. locus §vo hoc allegatus, qui non classicus, ab iis (§. 96.) citatis, qui omnino classici): illa enim sola ad probationem dogmatum adhibenda, ut constituatur analogia fidei certa atque immota, cui convenienter explicari debent loca minime classica, ne a vero sensu aberretur, & ut tota sensus amplitudo exhauriatur. Quodsi discrimen inter dicta classica & minus classica non observes, dogmata probaturus, probationes objectionibus obnoxiæ sunt, nec acumine utentibus satisfaciunt veritatem in dubitationem adducentes. Est vero de hac re ex instituto agendum in theologia hermeneutica, quare hic plura non addimus.

§. 99.

Error refellitur. Scriptura sacra diserte affirmat Deum esse invisibilem, sive locis classicis probat, invisibilitatem Deo esse essentialem (§. 96.). Itaque **qui fidem sacris dat literis nullatenus negare potest invisibilitatem Deo esse essentialem.**

Vel hoc quoque modo. Ad absurda prolabitur, qui Dei insensibilitatem in dubium vocat (§. 95.). Cum vero invisibilitas sit species insensibilitatis: Etenim visus est species sensus (*Psych. empir.* §. 67. & 69.); hinc **non minus absonum est negare Dei invisibilitatem.**

§. 100.

Principium, quo probatur, Deum nec pingi nec sculpi posse. *Gentes*, quæ Divinitatis imagines sibi effinxerunt, *dicuntur stultæ, quod gloriam Dei incorruptibilis mutaverint in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & reptilium.* Rom. I. 23. additur

versu

verſu 25. vertente *Caſtalione;* quod *Dei veritatem in falſitatem transtulerint.* Ex mente igitur Pauli omnis imago, qualiscunque tandem ea fuerit, repræſentat rem ſua natura corruptibilem. Deus vero incorruptibilis eſt (§. 86.), ejus igitur nulla imago fieri vel pingi, vel ſculpi, vel alio quocunque modo effingi poteſt. Deum eſſe per naturam ſuam incorruptibilem, verum eſt (§. *cit.*); Adeoque falſum, eum eſſe per naturam ſuam corruptibilem (*Ontol.* §. 28.). Qui imaginem Dei aliquam pingit, vel ſculpit, qualiscunque tandem ea ſit, Deum fingit per eſſentiam ſuam corruptibilem; miſſa hinc veritate, quod falſum eſt, amplectitur; Conſequenter Deum verum in falſum vertit, ſeu veritatem Dei in falſitatem transfert. Itaque **veri Dei nulla imago pingi aut ſculpi poteſt.**

§. 101.

Equidem in Veteri Teſtamento ſeveræ leguntur prohibitiones Iſraëlitis factæ, ne more Gentium ceterarum cultus divini gratia imagines Dei ſibi faciant. *Exodi* XX. 4. 5. *Levit.* XXVI. 1. *Deuter.* IV. 15. ſqq. V. 8. & minus obſequentibus facti abſurditas exprobratur *Pſ.* XCVII. 7. *Jeſ.* XLIV. 10. ſqq. & XLVI. 5. ſqq. & alibi. Enimvero inde oſtendi nequit impoſſibilitas imaginem aliquam Dei formandi, aliunde ſupponenda: Ex dicto vero Paulino (§. 100.) eadem evidenter probata eſt. De moralitate facti, ut hic quicquam dicamus, locus non eſt, commodius ac opportunius id fieri poteſt, ubi de officiis erga Deum, iis maxime, quæ cultum Dei externum reſpiciunt. *Idem aliis S. S. locis confirmatur, quæ tamen caute ac cum acumine adhibenda.*

§. 102.

Omnis **imago** eſt repræſentatio entis compoſiti (*Pſych. ration.* §. 85.), & quidem quod **pingitur** in ſuperficie, ſeu tabula (*Pſych. ration.* §. 88.); quod vero **ſculpitur** in ſolido *Et ulterius demonſtratur.*

lido repræsentatur (*Psych. ration.* §. 89.). Enimvero Deus est ens simplex, quod omnis compositionis expers (§. 78.). Quamobrem nulla imago Dei possibilis; neque adeo pingi, nec sculpi potest.

§. 103.

Quid intelligatur per id, ubi dicitur, quod imago Dei nulla possit pingi aut sculpi.

Quare juxta scripturam nulla Dei imago pingi aut sculpi potest, quatenus Deus est ens simplex omnis compositionis expers, quod imagine repræsentari plane impossibile est (§. 102.). Quoniam itaque Deus propter simplicitatem per suam essentiam incorruptibilis est; qui imaginem ejus pingit aut sculpit, qualiscunque tandem ea sit, is fingit, Deum esse ens sua essentia corruptibile (§. 100.).

§. 104.

Error refellitur.

Qui ergo qualemcunque Dei imaginem pingunt vel sculpunt, illi negant Dei & simplicitatem (§. 102.), & incorruptibilitatem (§. 100.); vertuntque Deum verum in falsum (§. *cit.*). Absonum autem est negare Dei simplicitatem (§. 79.), nec non incorruptibilitatem (§. 87.). Ergo nullus sine maxima absurditate imaginem Dei pingi aut sculpi velle potest. Immo, qui aliquam imaginem Dei effici posse asserit, eo demonstrat, se nullam cognitionem veri, sed solum falsi alicujus habere.

§. 105.

Potest tamen Deus per figuras hieroglyphicas repræsentari,

Deus in visionibus Jesaia VI. 1. *Ezechieli, Ezech.* I. 26. 27. 28. II. 23. VIII. 2. 4. atque *Johanni factis, Apocal.* IV. 2. sqq. *apparuit instar hominis in solio excelso ac magnifico sedentis.* Consimiliter *constat*, cum Christus in Jordane a Johanne baptizaretur, *spiritum sanctum descendisse sicut columba Matth.* III. 16. & *Christum* in visione Johanni facta

ta *apparuisse instar agni Apocal.* V. 6. Columbam non fuisse imaginem Spiritus Sancti, nec agnum imaginem Christi, proprie sic dictam, per se patet (*Psych. ration.* §. 85.). Cumque imago Dei aliqua nec pingi nec sculpi possit juxta sacras paginas (§. 103.), &, ne tale quid homines tentarent, severe a Deo interdicatur (§. 101.). Nec persona in solio sedens imago, proprie dicta, Dei esse possit. Necesse igitur est, ut istæ repræsentationes propter aliquam similitudinem generalem aliquid Deo, Christo atque Spiritui Sancto conveniens, tanquam per signa, indigitent. Nimirum cum persona in solio sedens repræsentet regem, cui est imperium in alios, & solium excelsum ac magnificum denotet imperii magnitudinem, non modo ex numero subditorum, verum etiam ex illimitatione imperii æstimandam; nemo non videt, in visionibus Jesaiæ, Ezechieli atque Johanni factis indigitari summum Dei, idque prorsus illimitatum, seu absolutum in creaturas omnes, imprimis vero intelligentes, quales sunt homines & angeli, imperium. Columbæ commendantur a sinceritate *Matth.* X. 16. Sinceritas consistit in consensu actus externi ac interni, simulationi oppositа, in qua actus externus ab interno dissentit. Quamobrem cum Spiritus Sanctus sit Spiritus veritatis, qui testimonium perhibet de Christo, *Johan.* XV. 26. & testimonium reddit spiritui nostro, hoc est animam nostram certam reddit, quod simus filii Dei *Rom.* VIII. 16. Immo qui nos de veritate eorum, quæ Deus in verbo suo revelavit, convincit; columba sinceritatem tanquam singularem Spiritus Sancti virtutem denotat. Nemo denique nescit, agnis mansuetudinem esse naturalem, nec minus ipsis convenire patientiam in ferendis injuriis *Jes.* LIII. 7. Quamobrem cum constet mansuetudinem, *Matth.* XI. 29. & patientiam in ferendis injuriis (uti præprimis apparet ex historia passionis) I *Petri* II. 23. in Christo modo excellen-

tissimo eminuisse, & has virtutes in ipso singularem a nobis attentionem mereri, quod per agnum repræsentetur ad significandam mansuetudinem atque patientiam in ferendis injuriis, dubitandum non est. Quoniam itaque res, quæ istiusmodi locutionibus exprimuntur, **significatum hieroglyphicum** habent (*Psych. empir.* §. 151.); Consequenter imagines earum **figuræ hieroglyphicæ sunt** (*Psych. empir.* §. 157.); **figuras hieroglyphicas Dei sacris paginis non aversari, palam est.**

§. 106.

Scriptura consentiente.

Itaque **ad mentem S. S. Deus per figuras hieroglyphicas repræsentari potest,** quatenus ea, quæ Deo insunt, propter aliquam similitudinem generalem, per res materiales tanquam per signa indigitantur.

§. 107.

Quæ circa eas notatu digna, adjiciuntur.

Figuræ istæ hieroglyphicæ omnem habent significatum, quem per naturam suam admittere possunt. Nostrum jam non est scrutari integrum, sed pro instituti ratione sufficit ostendisse, quod significatus istiusmodi subsit, qualis ad figuras hieroglyphicas requiritur, & docuisse, quomodo S. S. excemplo, eademque magistra, figuræ hieroglyphicæ Dei, rerumque divinarum fieri possint, quibus, tanquam signis, ea, quæ Deo insunt, propter illam similitudinem generalem indigitentur; consequenter inserviant, ea, quæ Deo insunt, intuitu harum figurarum sibi repræsentandi, & toties de iis cogitandi, quoties has figuras adspicimus. Cum vero nullus, qui similitudinem hanc generalem, quæ inter hanc figuram atque hoc, quod hieroglyphice repræsentatur, attributum divinum, intercedit, non bene perspectam habeat, sibi his figuris ea, quæ Deo insunt, attributa accurate atque distincte repræ-

repræsentare possit; aſt potius sibi imaginarias, adeoque falsas fingat horum attributorum notiones eo, quod non illam similitudinem generalem, quæ intercedit; sed aliam, quæ minime hoc Dei attributo correspondet, ei nectat. Vulgus, omnesque, qui hebetiores sunt, quam, ut hanc laudatam similitudinem bene perspectam habeant, experientia, proch dolor! quotidiana magistra confirmant, plures esse, qui hanc similitudinem non rite intelligunt, quam qui eam accurate intellectu capiunt. Consequenter figuræ hieroglyphicæ acutis, ac sapientibus utiles sunt; Vulgus vero atque hebetiores, quam ut hanc similitudinem bene capiant, utilitatem hanc in damnum vertunt. Cum porro ea intuitu figuræ hieroglyphicæ, cujus vera similitudo latet, imaginaria & falsa formetur, verus Deus fingendo ea, quæ ipsi minime conveniunt, in falsum Deum mutetur, maximum sit damnum; Ob metum igitur, ne vulgus atque hebetes falsas imaginariasque sibi fingendo de Deo notiones, verum Deum in falsum immutent, consultius nobis esse videtur, figuras hieroglyphicas vel plane non pingere aut sculpere, vel saltem sollicite cavere, ne in conspectum eorum, qui hebetioris animi sunt, veniant. Bene denique notari meretur differentia, quæ est inter imaginem Dei, quæ nullatenus pingi vel sculpi potest (§. 103.), & inter figuras hieroglyphicas, quas S. S. duce ac magistra admittimus (§. 106.), intercedit. Unde denuo patescit, **illum verum Deum non cognoscere, sed falsum fingere, qui ullam Dei imaginem pingere vel sculpere sustinet.**

§. 108.

Deo in S. S. membra corporis humani tribui, nemo ignorat. Ita *Deo tribuuntur oculi. Ps.* XXXIII. 18. *Amos* IX. 3. *tribuitur facies Genes.* III. 8. IV. 14. 16. *Oculi*, ut & *Quo sensu Deo in S. S. tribuuntur corporis humani membra.*

& *aures & facies* simul Petrus *Deo tribuit* I. *Petri* III. 12. Porro *tribuuntur manus Ps.* X 12. I *Petri* V. 6. *tribuuntur pedes. Jes.* LX. 13. 14. LXVI. 1. Cum Deus juxta S. S. sit incorporeus (§. 91.), nec oculos, nec faciem, nec aures, nec manus, nec pedes habere potest. Quamobrem hæc membra corporis humani proprie ipsi tribui nequeunt: tribuuntur igitur non nisi metaphorice. Enimvero neminem fugit, per metaphoram vocabula a propria significatione in alienam transferri ob similitudinem. *Vid. Vossius rhetor. lib. 4. Cap. 4.* §. 1. Similitudo consistit in identitate eorum, quæ rebus pluribus insunt (*Ontol.* §. 195.). Necesse hinc est, ut organis istis corporis humani, quæ Deo tribuuntur, & attributis Divinis, ob quæ eidem tribuuntur, quædam insint, quæ eadem sunt (vel ut communiter loquimur, ut organa ista corporis humani, & attributa quædam divina in communi tertio inter se conveniant.). Organum materiale & attributum divinum, quod nihil materiale habet (§. 91.), inter se convenire nequeunt, nisi quoad usum organorum, ita ut in Deo concipiatur possibile, quod per organum istud possibile est homini. Datur adeo significatus quidam generalis illorum vocabulorum, quibus designantur ista corporis humani membra, qui attributo cuidam divino & usui horum organorum communis est; Consequenter in sacris paginis organa ista Deo tribuuntur in significatu hoc generali; nec proprio.

§. 109.

Quid per ea intelligendum.

Itaque in S. S. Deo tribuuntur corporis humani membra, quatenus significatus quidam generalis datur illorum vocabulorum, quibus designantur ista membra, qui attributo

attributo cuidam divino & usui horum organorum communis est; non vero sensu proprio.

§. 110.

Deus plane incorporeus est (§. 88), ita quidem ut prorsus immaterialis sit (§. 91.); hinc Deus sensu proprio nullum membrum aut organum sensorium habere potest. Organa vero vel membra ista Deo tribuuntur in S. S.; sed sensu metaphorico (§. 108.); Consequenter illi vehementer errant, qui Deo sensu proprio ista membra tribui, somniant Deum verum atque immaterialem in falsum materialemque transmutantes. *Error refellitur.*

§. 111.

Cum Judæi Christo vitio verterent, quod hominem in Sabbatho sanasset, excemplo Dei se tuetur *Johan.* V. 17. *Pater meus*, inquit, *usque modo operatur, & ego operor.* Ita vertit *Vulgatus* particulam ἕως ἄρτι. *Beza* eam reddit, *usque adhuc. Stockius in clavi linguæ sanctæ N. T.* sub vocabulo ἄρτι ad rem attendens, eandem interpretatur, *usque ad hoc ipsum tempus.* De eo sit, quid sit, ubi eandem ad antecedentia in contextu refers, protinus intelligitur, hacce particula indigitari, quod Deus etiam illo momento, quo Christus verba ista proferebat, adhuc operetur; Adeoque quoque per totum Sabbathum operationem continuet. Nimirum miraculosa sanatio hominis infirmi erat opus divinum. Talia opera Sabbatho non esse illicita exemplo Dei probat; de eo enim affirmat, quod operetur ἕως ἄρτι, qua ipsa particula indigitatur, quod Deus operetur etiam illo ipso momento, quo Christus verba ista locutus; Adeoque quod Deus, qui per totum Sabbathum operationes suas continuet, alio tempore multo magis ab operatione sua non cesset; hincque *Dei continua actuositas ex S. S. demonstratur.*

hincque continuo operetur. Atque adeo patet, **Deum continuo actuosum esse.**

§. 112.

Quid per eam intelligendum.

Ad mentem itaque S. literarum per Dei continuam actuositatem intelligimus, quod nullum omnino tempus sit, immo tempus nequidem fingi possit, quo Deus ab operatione cesset.

§. 113.

Deus gaudet vi activa.

Actio seu operatio poni nequit, nisi vi activa posita (*Ontol.* §. 723.). Cum Deus juxta S. S. continuo agat, ita ut nullum ne fingi quidem possit tempus, quo ab agendo cesset (§. 112.); **Deo juxta S. S. competit vis activa, nec quicquam datur, quod impedire possit, quo minus actio continuo sequatur.**

§. 114.

Error refellitur.

Quia omni enti simplici vis quædam activa competit (*Theolog. natur.* §. 104.); Deus autem est ens simplex (§. 78.); Consequenter Deo vis activa per se competit. Porro vi activæ divinæ nihil potest resistere, quo minus continuo sequatur actio; quin Deus continuo actuosus sit, dubitandum non est (*Theol. natur.* §. 105.). **Dei igitur vis activa atque continua actuositas negari nequit, nisi ab eo, qui S. S. fidem denegat** (§. 112. & 113.), **nec non absurdis delectatur** (§. 79.).

§. 115.

In S. S. vita Deo tribuitur.

Deus vivens esse dicitur in medio Israëlitarum, ut fidem habeant Josuæ asserenti, quod Gentes, quarum terras occupare debebant, exstirpaturus sit. *Josuæ* III. 10. Deo itaque vita tribuitur, ut intelligatur, ipsum posse disperdere gentes; Consequenter vi maxima activa præditum esse: vis enim magna

magna esse debet unius, quæ prævalere debet adversus multos, immo totas gentes. Cum porro Deus continuo actuosus sit juxta S. S. (§. 112.), & vita in continua actuositate entis alicujus consistat (*Theol. natur.* §. 108.). **Deum vivum esse dubitari nequit.**

§. 116.

Vivere Deum ulterius confirmatur.

Similiter Deum viventem appellat *Ezechias*, II. *Regum.* XIX. 16. dum ejus auxilium implorat adversus Sennacheribum regem Assyriorum. Etenim eum invocans: *inclina*, inquit, *Jehova aurem tuam & audi: aperi, Jehova, oculos tuos & vide: audi verba illa Sennacherib, qui misit, ut exprobraret Deum viventem.* Insultabat Sennacherib Ezechiæ, qui nixus fiducia, in Deo reposita, sperabat fore, ut ab armis suis tutus futurus esset, nec iisdem succumberet, provocans ad gentes alias a se devictas, quarum idola flammis veralibus commisisset. Ezechias itaque Deum precibus suis interpellans, ut in ruborem daret regem fastu elatum, *Deum verum* in eundem cum idolis censum referentem, illum *viventem appellat* in oppositione ad idola. Equidem in versione *Castellionis* Deus hic loci non vivens, sed *immortalis* appellatur; Ast *versio Vulgata;* uti etiam *Lutherus, Tremellius* & *Junius* prorsus conveniunt cum textu Hebraico, in quo Deus dicitur אלוהים חי. Nemo vero linguæ Hebrææ gnarus ignorat, חי *vivum* denotare, non immortale. *De idolis affirmat* Ezechias *versu* 18, *quod Dii non sint, sed opera manuum hominum ex ligno & lapidibus facta, ideo ea perdidisse.* Cum enim ea ex ligno & lapidibus facta, ac præterea nihil essent; hinc Assyriis facile fuit ea in ignem immittere, gentesque, quas devicerunt, frustra eorum opem imploraverunt. *Deo* autem *vero tribuit aures, qui* & blasphemias Regis Assyriorum *audire*, &

preces populi sui exaudire possit. Tribuit *oculos, ut videre possit*, quid Sennacherib moliatur. Tribuit *potentiam*, qua hostis insolentis molimina irrita facere possit. *Petit* igitur *a Deo, ut opem ferat sibi adversus hostem superbum, Divinitatis contemtorem*, ut inde intelligat, Deum & audire, quæ loquuntur, & videre, quæ faciunt homines, nec impunem ferre contemtum sui, ipsumque colentibus præsto esse adversus quoscunque hostiles insultus; hincque colligat אלוהים חי *Deum esse vivum*, nec comparari posse cum Diis gentium ceterarum, quæ cum non sint nisi opera manuum humanarum lignea atque lapidea, vita omni destituuntur, ut nec eorum, qui ipsos colunt, preces audire, nec iis opem ferre, nec hostilia adversus ipsos molimina videre possint. Ex sensu & locali motu organorum corporis, quo actiones externæ exseruntur, vita hominum colligitur, tum quatenus corpori, tum quatenus animæ competit. Quamobrem cum Deo vero in oppositione ad idola vita tribuatur; eodem sensu generali scilicet tribuitur, quo corpus atque anima hominis vivere dicitur. Vivum dicitur corpus humanum, viva dicitur anima, quatenus principium activum in se habet (*Theol. natur.* §. 107.). Etenim hanc notionem generalem a vivente corpore Philosophorum Princeps *Cl. Wolfius* adstruxit (*Logic.* §. 150.), ac ideo exemplo corporis humani illustravit (*not.* §. *citat.*), & ex eadem demonstravit animæ humanæ vitam esse essentialem (*Theol. natur.* §. 109.); quoniam itaque ex eadem quoque demonstravit, Deum esse vivum (*Theol. natur.* §. 111.), & S. S. pariter vitam Dei in actuositate ponit; evidens est in S. S. Deo vitam tribui eodem sensu, quo Cl. hic Philosophus eundem (§. *citato*) vivum esse ostendit.

Porro in sacris paginis *Deo* sæpissime *vita tribuitur*. Ita *homines per vitam Dei jurantes introducuntur. Judic.* VIII. 19.

19. *Ruth.* III. 13. I. *Samuel.* XIX. 6. XX. 21. pluriesque alibi. David non minus in verbis cantici ſui II *Samuel.* XXII. 47. ait. *Vivit Jehova, & benedicta rupes mea* &c. Item *Pſ.* XVIII. 47. Immo *Deus ipſe per ſuam jurat vitam Jeſ.* XLIX. 18. *Jerem.* XXII. 24. *Ezech.* V. 11. XIV. 16. &c. Conſimiliter in Novo fœdere *Deus* non uno in loco dicitur *vivus*, veluti *Actorum* XIV. 15. I. *Timoth.* VI. 17. &c. Ubivis autem ex contextu apparet, eum vivum dici, vel in oppoſitione ad falſos Deos, quos colebant Gentiles, ita ut vita ſpectetur tanquam proprium Dei, vel in relatione ad potentiam de ipſo dicatur. Prius imprimis apparet ex locis, in quibus vel homines, vel Deus ipſe jurejurandi religione ſe obſtringunt. Etenim Deus eo, quod principium activum in ſe habet, & continuo actuoſus eſt, ab idolis diſtinguitur, de quibus palam eſt, ea vi activa atque continua actuoſitate carere. Quoniam igitur *Gideon*, *Boas*, *Saul*, *Jonathan* &c. actuoſitatem illam in Deo deprehenderunt, & *Deus* illius ſibi intime eſt conſcius; per vitam Dei jus jurandum conceperunt. Et quidem illi per vitam Dei jurarunt, quo ſic verum Deum a falſis diſtinguentes, tanquam qui ſolus juramenta hominum audire, perjuros punire, juramento fideliter ſtantes præmiis donare poteſt. Deus homines certos indubiosque de veritate dicti ſui reddere volens, per vitam ſuam jurat: Cum enim ipſe vita, eademque perenni, perfectiſſima ac immutabili gaudeat, qua idola omnino ſunt deſtituta, veritatem dicti ſui per vitam ſuam obſignare poteſt. Id non minus patet ex *Actorum* XIV. 15. ubi *Paulus & Barnabas Iconienſibus* dicunt, *quod ipſos convertere velint a Diis vanis ad Deum verum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt.* Verus enim Deus eſt is, qui autor eſt hujus univerſi (*Theol. natur.* §. 67.), ipſa ſcriptura approbante (§. 20.): Et cum ipſi tanquam vero Deo vita com-

 petat,

petat, qua carent omnes falsi Dii: *per modo demonstrata*, quales cum Græcis colebant Iconienses; verus Deus per vitam suam distinguitur a falsis; & hinc *Paulus* atque *Barnabas* **Deum verum vocant** τὸν θεὸν τὸν ζῶντα, **Deum illum, qui vivit.** Posterius (sive relatio ad potentiam) elucet ex I. *Timoth.* VI. 17. Ubi *divites* prohibentur *confidere divitiis incertis;* jubentur contra *confidere Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum*, cujus ratio in divina potentia quærenda.

§. 117.

Quid per Dei vitam intelligendum.

Quare **quando S. S. de vita Dei loquitur, per eam intelligitur** continua ejus actuositas ipsi essentialis, sive quod vi intrinseca in se actuet, quæ per essentiam seu determinationes intrinsecas constantes in eodem possibilia intelliguntur.

§. 118.

Adhuc notandum.

Deus in sacris paginis vivus dicitur sæpissime (§. 115. 116.). Nullibi vero reperitur ejus definitio, quid per vitam intelligi velit. Non alia igitur vitæ notio supponi potest, quam quæ a rebus viventibus, dum eas intuemur, abstrahi potest (*Logic.* §. 972.). Et sane Ezechias (§. 116.) Dei vitam ex eo colligi vult, unde vitam hominis colligimus. Verum enim vero quæ a rebus viventibus, quas præsentes intuemur, abstrahitur vitæ notio, ea est, qua nos in demonstranda vita animarum atque Dei utimur (§. 116. & *Theol. natur.* §. 107. a Summo Philosopho). **Deus itaque in sacris literis vivus dicitur eo sensu, quo eum vivum esse demonstravimus.** Ceterum hæc demonstratio exemplum esse potest, quomodo definitiones ex S. S. eruendæ sint, si ipsæ s. literæ res non definiunt; Ast de iis in hermeneuticis agendum erit. §. 119.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0064
DFG

§. 119.

Qui absurdis non delectatur, negare nequit vim activam, continuamque Dei actuositatem (§. 114.). Ergo nec Dei vitam (§. 117.). Immo sacris obloqueretur paginis, Deo toties vitam tribuentibus (§. 115. 116.). *Error refellitur.*

§. 120.

Disertis verbis *affirmat Christus Johan.* V. 26. *Deum habere vitam in semetipso:* Ὁ πατὴρ ἔχει Ζωὴν ἐν ἑαυτῷ. Scriptura sacra vocabulum Ζωὴ *vita* accipit eo sensu, qui abstrahitur a corpore humano vivo, quemadmodum (§. 116. & 118.) docuimus. Vita nostra a rebus externis, sive ab alio dependet (Etenim vita animarum nostrarum dependet a Deo, nec vivunt illæ nisi dependenter ab eo. Corpora nostra habent vitam dependenter ab aliis corporibus, veluti ab aëre, sine quo respirare non possumus; a cibo ac potu, sine quo vitam conservare non licet; a calore externo, qua carere (*Theol. natur.* §. 113. *in notis*) nequimus). Quamobrem cum Christus hoc ipso Deum viventem distinguat a viventibus omnibus ceteris, quod vitam habeat in seipso, non habens rationem illius in rebus externis, sed in se suaque essentia; non aliud docere intendit, quam quod Deus vitam habeat independenter ab omni ente alio. *Vita Dei est independens.*

§. 121.

Deus de se ipso testatur *Deutr.* XXXII. 40. חי אנכי לעולם *vivo ego in seculum*, quo indicatur æternitas vitæ Dei (§. 64.): Vita Dei propterea nunquam cessare, nec finem habere potest (§. *cit.*): Deus propterea finem non haber, quoniam est ens a se (*Theol. natur.* §. 36.); quis igitur dubitabit, quod dum Deus affirmat, se vivere in æternum, sibi atrribu- *Ulterius confirmatur.*

ere vitam habere a se ipso; adeoque independentem ab alio. Hinc apud *Jeremiam cap.* X. 10. Jehova describitur, & a falsis Diis distinguitur, *quod sit Deus verus, Deus vivens, & rex Seculorum.*

Idem ad mentem S. S. ratio dictitat. Etenim Deus vi propria existit, independenter ab omni ente alio (*Theol. natur.* (§.70.); atque adeo existere potest, etiamsi præter eum non existat ens aliud. Enimvero Deus vivus est (§. 117.). Vivit igitur, etiamsi præter eum non existat ens aliud; Consequenter **vitam in se habet independenter ab omni ente alio.**

Indirecte eidem eodem patet modo. Ponamus Deum habere vitam dependenter ab ente quodam alio. Ratio igitur, cur vivit, continetur in ente alio ab ipso diverso. Quamobrem cum implicet, ut sit Deus, nec tamen vivat (§.117.), contradictionem quoque involvat, ipsum existere non posse, nisi ens præter ipsum, ab illo distinctum existat (*Theol. natur.* (§. 70.); **vitam habere debet independenter ab omni ente alio.**

§. 122.

Quid per vitam Dei independentem intelligendum.

Cum sacris paginis tribuimus Deo vitam a se ipso atque independentem, quatenus habet continuæ actuositatis suæ essentialis rationem in se ipso independenter ab omni ente a se diverso; ita ut viveret, etiamsi nullum existat ens præter eum.

§. 123.

Error refellitur.

Est adeo character Divinitatis vitam habere in se ipso, hoc est, independentem ab omni alio ente, etiam juxta S. S. **Qui hinc vel Dei vitam independentem negaret, vel enti alicui præter Deum existenti vitam tribueret**

eret independentem, verum abnegaret Deum, ſacrisque contradiceret literis.

§. 124.

Deus eſt ens a ſe, a quo mundi exiſtentia & duratio dependet (§. 21.), ſive in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis (§. 11.). Quoniam itaque per rationem ſufficientem intelligitur, cur quid potius ſit, quam non ſit (*Ontol.* §. 56.), per ea, quæ Deo inſunt, intelligi poteſt, cur mundus hic adſpectabilis exiſtat. Enimvero mundus hic contingens eſt (*Theol. natur.* §. 55.); Unde non impoſſibile eſt mundum hunc adſpectabilem cum elementis ſuis exiſtere (*Theol. natur.* §. 57.): Quamobrem per ea, quæ Deo inſunt, intelligi poteſt, cur mundus hic adſpectabilis cum elementis ſuis potius exiſtat, quam non. Porro alii mundi poſſibiles ſunt. Per ea igitur, quæ Deo inſunt, intelligi poteſt, cur hic potius mundus adſpectabilis, quam alius exiſtat. Quamobrem patet **Deo talia juxta S. S. eſſe tribuenda prædicata, ut per ea intelligi poſſit, cur hic potius mundus adſpectabilis exiſtat, quam alius, & cur potius exiſtat, quam non exiſtat una cum ſuis elementis.** *Qualia Deo tribuenda prædicata.*

§. 125.

Ecce tibi ſcalam, per quam, & ratione & revelatione inducibus ad Deum aſcenditur: Etenim jam patet, quomodo in cognitionem attributorum Divinorum pervenire poſſimus. Immo & Idealiſtæ propoſitionem (§. 124.) mutatis mutandis admittere tenentur, quod *Cl. Wolfius* (*Theol. natur.* §. 115. *in notis*) luculenter probavit; ut adeo & Idialismus ſua ſponte ruat. *Cur in ea inquirendum.*

Porro ex hac ipſa propoſitione patet, quam amicus inter

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn823346323/phys_0067 DFG

ter rationem atque sacras literas sit consensus. Nec non qualia de Deo sint prædicanda; consequenter quomodo omnia ea, quæ revelatio de Deo prædicat, sint explicanda, ut veritas luce meridiana splendeat, erroresque omnino omnes suapte corruant.

§. 126.

Qualis Deo competat vis.

Quoniam juxta S. S. Deo ea tribuenda sunt prædicata, quæ requiruntur, ut intelligi possit, cur mundus hic adspectabilis cum elementis suis potius existat, quam non (§. 124.); Deo autem vis competit (§. 113.), per quam continuo actuosus est (§. 112.); vis, quæ Deo inest, ad mentem S. literarum talis concipi debet, qualis requiritur, ut intelligatur, cur mundus hic adspectabilis cum suis elementis potius existat, quam alius, & cur idem potius existat, quam non existat.

§. 127.

Cur in eam inquirendum.

Qui propositiones (§. 124. & 126.) propositas bene perpendit, jam intelligit; quare sacræ paginæ argumentum, quo ad Summum Deum cognoscendum inducimur, a rebus creatis, sive mundo hoc adspectabili sumant: Etenim scala hæc, per quam a rebus creatis ad Deum ascendimus, tutæ atque firmæ insistit basi, & qui per illam recta via gradum promovet ab errorum præcipitiis est tutus. Ceterum, quæ (§. 125.) annotavimus ad propositionem præcedentem, ad hanc non minus referenda sunt.

Bene tamen adhuc notandum, nos hic loqui de mundo hoc adspectabili reali, qui revera existit, & de quo ipsæ sacræ loquuntur literæ, non vero de mundo ideali.

§. 128.

Deo competit intellectus.

Deo tribuitur νόος sive νῦς *Rom.* XI. 34. Ubi magna fiducia Gentium pronuntiat Apostolus, neminem perspexisse

νοῦν

νῶν Κυρίε, aut ipſi a conſilio fuiſſe, ubi de reconditis Dei judiciis, de gratiæ divinæ diſpenſatione loquitur. *Caſtellio* atque *Beza* hæc verba vertunt: *Quis cognovit mentem Domini?* Et *Lutherus* in vernacula, **wer hat des HErren Sinn erkannt?** Eam animæ virtutem, quæ notiones format, judicat ac ratiocinatur, *Ariſtoteles de anima lib.* 3. c. 4. τὸν νῶν appellat, atque eam per modum facultatis conſiderat, quatenus animæ tribuitur, quæ intelligendi potentia prædita. Patet itaque Græcis τὸν νῶν dici eam animæ facultatem, quam *intellectum* vocamus, ſumendo vocabulum in ſignificatu recepto, quo denotat **intellectus** facultatem res diſtincte repræſentandi (*Pſych. empir.* §. 275.); Operationes ejus ſunt formatio notionum, judicium atque diſcurſus (*Pſych. empir.* §. 325.). Ipſi interpretes Latini in loco citato *Ariſtotilis* νῶν per *intellectum* vertunt. In hoc quoque ſignificatu idem vocabulum *Vulgata* per *intellectum* reddit. *Apocal.* XIII. 18. *Stockius in clavi ſua* de vocabulo νόος ait: *proprie ſignificat intellectum.* Quodſi contextum loci Paulini attenta mente perpendimus, evidenter admodum inde probatur, Deo in hoc loco tribui intellectum, quo ſibi omnes res poſſibiles diſtincte repræſentat: Etenim Apoſtolus probaturus judicia Dei eſſe penitus recondita, & rationes eorum adeo abſtruſas, ut a nobis perveſtigari non poſſint, quærit: *Quis cognovit* νῶν Κυρίε *intellectum* (*mentem*) *Domini? aut quis ei fuit a conſilio?* qui decernit quidpiam, is judicat, quid fieri debeat: judicium vero eſt operatio intellectus (*Pſych. empir.* §. 325.). Rationes decreti cum ſint id, ob quod decernens hoc potius fieri debere judicat, quam aliud (*Ontol.* §. 56.), ſupponunt in decernente notiones (*Pſych. empir.* §. 49.), quæ intellectus prima operatio ſunt (*Pſych. empir.* §. 325.). Quamobrem cum decretorum Divinorum ratio-

nes nobis incognitas pronunciet Apostolus, quia νῦν Κυρίε non cognoscimus; perinde est, ac si diceret, nobis eas non esse perspectas; quoniam videre non possumus, quæ sunt in intellectu Divino. Unde cum Deo νῦν tribuit, eidem **omnino intellectum tribuit, quo res omnes possibiles sibi distincte repræsentat.** Hinc non invito contextu verba Apostoli vertere licet: *Ecquis novit ea, quæ sunt in intellectu Domini*, sive Dei?

§. 129.

Quod confirmatur. Quemadmodum idem Apostolus I. *Corinth.* II. 11. affirmat: *Neminem nosse, quæ sunt Dei* (seu actiones Dei internas), *nisi Spiritum Dei; prouti nemo novit, quæ sunt hominis* (seu actiones mortalis internas), *nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* Cum igitur Dei νῦν non cognoscere dicimur (§. 128.); dubitandum non est, **quin** vocabulum νῦν **sumatur pro intellectu Divino, quo sibi omnia possibilia distincte repræsentat.**

Quodsi per tantas ambages incedere nolimus, probaturi Deo tribui in S. S. intellectum hoc sensu modo demonstrato acceptum, idem facilius hoc modo evincitur. *Nota dicuntur Deo ab æterno omnia opera ejus. Actorum* XV. 18. *Deus* autem *est ille, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt Actorum* XVII. 24., sive ea omnia sunt Dei opera. Ab æterno igitur tam totum hoc universum, quam singula, quæ in eo sunt; Adeoque & coëxistentia, & successiva in universa rerum serie, earumque inter se nexum sibi repræsentavit. Cum itaque singula, quæ in universa rerum serie continentur, a se invicem distinxerit; eandem sibi distincte repræsentavit (*Psych. empir.* §. 38.); Consequenter **ipsi competit intellectus, quo sibi omnia possibilia & coëxistentia**

tia

tia & ſucceſſiva diſtincte ab æterno repræſentavit.

§. 130.

Quare ad mentem ſacrarum literarum per intellectum divinum intelligimus æternam ejus diſtinctam (ſive æternam, eandemque diſtinctiſſimam ac ſimultaneam) repræſentationem omnium omnino poſſibilium (§. 129.). *Intellectus Dei definitio.*

§. 131.

Qui propterea ſacris paginis fidem non denegat, de intellectu Divino dubitare nequit; aſt agnoſcere debet in Deo actum eſſe, quo ſibi ſimul omnia repræſentet poſſibilia (§. 130.). *Error refellitur.*

§. 132.

Quando Chriſtus *Matth.* VII. 12. *Omnia igitur*, inquit, *quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis:* Dubitare ecquis auſit, ſermonem ibi eſſe de voluntate, quæ hominibus competit, atque adeo velle ibidem eſſe actum voluntatis humanæ? Porro nemo non videt, Chriſtum ſupponere eam voluntatis libertatem, qua ex pluribus æque poſſilibus eligere poſſit homo, quod ipſi placet; Conſequenter hominibus tribui voluntatem liberam (*Pſych. empir.* §. 941.): Aut enim fieri poteſt, ut homo non minus ea faciat, quæ, ut alii ſibi faciant, vult; aut ut ipſis faciat, quæ, ut alii ſibi faciant, non vult. Pone enim alterutrum tantummodo eſſe poſſibile: fruſtra jam erit præceptum Chriſti. Si tantummodo fieri poteſt, ut faciant homines, quæ ſibi ab aliis fieri volunt; per naturam ſuam ad hoc faciendum cum ſint determinati, non opus eſt, ut id a Chriſto præcipiatur, & hoc ipſo contrarium prohibeatur, omni lege præceptiva contrarii ejus, quod præcipitur, prohibitiva exiſtente. *Deo competit voluntas libera.*

Nec est, quod excipias, inculcari solummodo actionis commissionem, prohiberi ejusdem omissionem: præterquam enim quod exceptio contextui repugnet, ex quo apparet Christum id agere, ut homines ab injuriis inferendis abducat, ipsam quoque voluntatis libertatem confirmat, cum æque possibile esse debeat, ut homo faciat aliis, quæcunque sibi ab aliis fieri vult, & ut hoc facere omittat. Quodsi homo tantummodo facere possit, quæ, ut alii sibi faciant, non vult; frustraneum prorsus est præceptum Christi, nec ad impossibilia ulla datur obligatio. Patet itaque fieri posse, aut ut homines faciant aliis, quæ sibi ab aliis fieri volunt, aut ut faciant aliis, quæ, ut alii sibi faciant, nolunt; Consequenter **Christum supponere in hominibus** liberam ex his eligendi facultatem; adeoque **liberam voluntatem.** In textu Græco extat verbum θέλειν; Consequenter dubitandum non est, nomen ab hoc verbo descendens θέλημα significare *voluntatem* eo sensu acceptam, quo nos vocabulum latinum accipimus: Adde, quod in hominibus indicet voluntatis libertatem: *per modo demonstrata.* Adeoque **quoties Deo in S. S. tribuitur vocabulum θέλημα, toties ei adscribitur libera voluntas, qua sponte ex pluribus possibilibus hunc mundum adspectabilem elegit.** Jam plura extant scripturæ sacræ loca, in quibus Deo tributur θέλημα, veluti *Matth.* VII. 21. XXVI. 42. *Johann.* V. 30. VI. 38. VII. 17. *Rom.* IX. 18. *Ephes.* I. 5. &c. Huic Græco vocabulo θέλημα respondet Hebraicum V. Test. רצון veluti *Ps.* XL. 9. Consequenter, quoties Deo attribuitur רצון, toties ei voluntatem liberam adscribi intelligimus. Hoc monemus, quoniam animadvertimus, plures alias voces textus originalis tum Vet. tum N. Test. latine per *voluntatem*

tatem reddere; ubi tamen de hoc Dei actu in genere nondum ſumi poſſunt. Non eſt, quod excipias, & vocem Ebræam חפץ & Græcam εὐδοκίαν utramque liberam hanc voluntatem denotare; itaque etiam neceſſario eodem modo interpretari debere. Hic bene perpendas, Celeberrime Lector, velim, Deum autorem S. literarum, qui omnium ſapientiſſimus, non duobus vocabulis differentibus, unam eandemque rem exprimere poſſe; Adeoque inter רצון & חפץ itemque inter θέλημα atque εὐδοκίαν differentiam eſſe, neceſſe eſſe: fruſtra enim eadem ipſa res diverſis exprimitur vocibus. Hac propoſitione demonſtravimus רצון ac θέλημα ſignificare actum voluntatis Dei liberimum itaque per *voluntatem* bene interpretari: deinde vero oſtendemus εὐδοκίαν in ſpecie indicare illum actum voluntatis liberrimæ, quo eligitur, quod placet; Adeoque vocabulum hoc per *placitum* (aut ſi mavis *beneplacitum*) vertendum: de quo, *capite de potentia & voluntate Dei*, ex inſtituto agemus. Interim dubitandum nullatenus eſt, quin Deo toties tribuatur voluntas, eodem prorſus ſenſu, quo jam modo eandem ipſi vindicavimus, quoties vocabulum רצון & θέλημα Deo adſcribitur.

§. 133.

Voluntatis Dei definitio.

Juxta S. S. adeo intelligimus per Dei voluntatem liberam illum Divinum actum, quo Deus ſponte ex pluribus poſſibilibus hunc mundum adſpectabilem, id eſt, illam ſeriem rerum coëxiſtentium atque ſucceſſivarum, quam produxit, elegit.

§. 134.

Error refellitur.

Nemo igitur cum ratione dubitare poteſt, Deo ineſſe voluntatem liberam, prouti (§. 182.) a nobis

probata, nisi qui de sensu genuino e sacris literis eruendo, solicitus non est.

§. 135.

Deus est Spiritus.

Christus de Deo affirmat *Johann.* IV. 24. quod sit spiritus. Locus hic classicus est. Etenim ibidem Christus ait, *Deus est Spiritus.* Sensus horum verborum adeo manifestus est, ut, nisi vim verbis inferre volueris, eaque in alium sensum detorseris, in dubium vocare minime possis, Deo hic a Christo attribui spiritualitatem. Græcis *Spiritus* dicitur πνεῦμα, quo vocabulo Christus utitur, cujus verba sunt πνεῦμα ὁ θεός. Jam cum *Jacobi* II. 26. σῶμα *corpus* (humanum scilicet) χωρὶς πνεύματος, *sine spiritu, mortuum esse* dicatur; evidens est animam humanam spiritum appellari; Consequenter eum esse vocabuli πνεῦμα in Scriptura significatum, quo anima hominis spiritus est. Cumque *Rom.* VIII. 16. *Spiritus Dei* dicatur *testimonium reddere Spiritui nostro, quod simus filii Dei;* nemo non videt, animam spiritum dici in S. S. quatenus intellectu; Consequenter & voluntate libera, utpote ab intellectu pendente (*Psych. empir.* §. 275. & 880.), gaudet; Adeoque sensu communi sumi, quo per **Spiritum** intelligimus substantiam intellectu atque voluntate libera præditam (*Psych. ration.* §. 643.), quo sensu Philosophorum Princeps *Cl. Wolfius* animam spiritum esse demonstravit (*Psych. ration.* §. 645.).

Consimiliter, Deum Spiritum esse, hoc modo demonstrari potest. Juxta sacras paginas Deus est ens intellectu (§. 128. 129.) & voluntate libera præditum (§. 132.). Enimvero ens intellectu atque voluntate libera gaudens **Spiritus** est (*Psych. ration.* §. 643.) **Deus** igitur **teste scriptura sacra spiritus est.**

§. 136.

§. 136.

Sole igitur meridiano clarius apparet, **ſcripturam ſacram, appellando Deum ſpiritum, eo indicare,** quod ſit ens intellectu atque voluntate libera præditum. *Spiritualitatis Dei definitio.*

§. 137.

Quoniam vulgo ens immateriale & ſpiritus pro ſynonymis habentur, ſpiritualitatem probatam eſſe plurimi ſibi perſuadent, oſtenſa ejusdem immaterialitate. Quamobrem cum ſupra (§. 88. ſqq.) evicerimus, Deum juxta S. S. non poſſe eſſe corporeum, ſeu, quod perinde eſt, immaterialem eſſe; hoc ipſo ſpiritualitatem ejus jamjam demonſtratam eſſe putabunt. Enimvero etſi verum ſit, ſpiritum omnem eſſe immaterialem; non tamen ens omne, quod immateriale eſt, ideo quoque ſpiritus eſt. Sane brutorum animæ ſunt immateriales (*Pſych. ration.* §. 752.), non tamen ſpiritus (*Pſych. ration.* §. 764.); Conſequenter ex immaterialitate Dei, ejusdem ſpiritualitas citra exceptionem inferri nequit. Ut vero de eadem certi ſimus, eam principio indubio, loco videlicet claſſico (§. 135.), atque ſimul conſequentia non neganda demonſtravimus (§. *citat.*): noſtri enim eſt veritatem reddere certam, indubiam nec non immotam. Adde nec ipſas ſacras paginas ex ſola immaterialitate ſpiritualitatem inferre; ſed ex intellectu & libera voluntate. Quando autem Chriſtus *Lucæ* XXIV. 39. affirmat, *ſpiritum non habere corpus ex carne atque oſſibus conſtans, quale eſt humanum.* Inde ne quidem inferre licet, ſpiritum omni prorſus materia deſtitui; tantum abeſt, ut inde probari poſſit, ex immaterialitate recte inferri ſpiritualitatem, quemadmodum jam ſupra (§. 90.) monuimus. *Quid circa demonſtrationem ſpiritualitatis Dei notari mereatur.*

§. 138.

Ex loco claſſico ſpiritualitatem Dei demonſtravimus (§. 135.), *Error refellitur.*

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn823346323/phys_0075 DFG

(§. 135.), eandemque consequentia indubia corroboravimus (§. *citato*), & omnem excipiendi ansam removimus (§. 137.); Adeoque **nullus, nisi qui indubiæ, certæ atque immotæ veritati refragari intendat, eandem impugnare potest, veritatis osorem sese monstrando.**

§. 139.

Deus est Spiritus independens.

Deus est ens a se, probante S. S. (§. 21.); Adeoque independens (*Theolog. natur.* §. 30.), idemque spiritus (§. 135.). **Est igitur spiritus independens juxta scripturam sacram.**

§. 140.

Deum esse Spiritum independentem, & Deum esse ens a se, sunt definitiones æquipollentes, cujus utriusque certitudo adstruitur.

Hinc Deus a nonnullis definiri solet, quod sit spiritus independens; nec male: neque enim datur spiritus alius, qui sit independens præter Deum, quemadmodum *ex Theologia naturali Cl. Wolfii* demonstrative patet. Quoniam vero ex definitione Dei, quod ad mentem scripturæ sacræ dedimus (§. 21.), deduximus, Deum esse spiritum independentem (§. 139.): methodi gnarus facile perspicit, ex eo, quod Deus sit spiritus independens, deduci posse definitionem juxta sacras literas (§. 21.) datam. Etenim posita independentia, ponitur aseitas, ex aseitate autem (quamvis non immediate) deducitur mundum hunc adspectabilem, & elementa rerum materialium rationem sufficientem existentiæ suæ non habere, nisi in ente a se (*Theol. natur.* §. 64.). *Perinde* igitur *est, sive Deum definias* per spiritum independentem, *sive* per ens a se, a quo mundi existentia atque duratio dependet: quemadmodum in Geometria perinde est, *sive parabolam definias* per curvam, in qua abscissæ habent rationem duplicatam Semiordinatarum, *sive* per curvam, in qua rectangulum ex parametro in abscissam æquale est quadrato semior-

semiordinatæ; cum ex uno assumto demonstrari possit alterum. Itaque licet in definitione nostra Dei (§. 21.) creationis pro productione ex nihilo sumtæ, non expressa fiat mentio; ea tamen minime ab iis, qui vel primis labris methodum degustarunt, reprehendi potest: Etenim methodus nullatenus jubet; vetat contra definitioni inseri, qua ex eadem legitima ratiociniorum concatenatione deduci possunt. Nimirum creationem per definitionem nostram Deo competere in eo significatu, qui communiter vocabulo tribuitur, infra loco competente ostendemus. Cum definitio, quod Deus sit spiritus independens, & nostra, quod ens a se sit, æquipolleat: *per modo demonstrata;* adeoque una in locum alterius surrogari possit; hinc nostram nullus tanquam spuriam rejicere potest, quin simul & alteram rejiciat; utramque vero non absque manifesta absurditate: nostram enim ex ipsa sacra scriptura deduximus (§. 2. *seq.*); alteram vero ex iis, quæ ex eadem demonstravimus. Conferantur hic ea, quæ solide atque profunde demonstrat summus Philosophus (*Theol. natur.* §. 126-129.).

§. 141.

Deus est spiritus necessarius.

Deus juxta S. literas est spiritus (§. 136.), & ejus existentia est absolute necessaria (*Theol. natur.* §. 71.). Quamobrem cum **spiritus necessarius sit,** qui necessario existit (*Psych. ration.* §. 662.); **Deus ad scripturæ mentem spiritus necessarius est.**

§. 142.

Error refellitur.

Mundus non existit necessario (§. 8.); sed contingenter (*Theol. natur.* §. 55.); Deus vero est spiritus necessarius (§. 141.), qui contingens esse nequit (*Ontol.* §. 28, 279 & 294.); Adeoque Deus a toto universo hoc essentialiter omnino diversus est, nec non distingui debet. Qui hinc

Deum non agnoscit spiritum necessarium, S. S. contrariatur, in manifestam simul absurditatem incidit omnis ille, qui Deum non satis sufficienter a toto distinguit mundo, nec non de eo prædicat, quæ respectu existentiæ necessariæ Divinæ prædicari possunt. Nimirum, quoniam Deus tanquam spiritus necessarius, a spiritibus, rebusque omnibus contingentibus quoad existentiam differt (*per modo demonstrata, conferatur Psych. ration.* §. 662.); necessitas vero in existendo ex aseitate fluit (*Theol. natur.* §. 33.); ideo de Deo etiam, qua spiritu necessario (§. 141.) prædicanda, quæ de Deo respectu existentiæ necessariæ prædicari possunt.

§. 143.

Deus organa sensoria non habet.

Juxta S. literas Deus plane immaterialis; hinc incorporeus est (§. 91.). Organum sensorium, vero appellatur organum, seu pars corporis, in cujus mutationibus continentur rationes perceptionum rerum materialium in mundo adspectabili (*Psych. empir.* §. 66.) Deus itaque ad mentem S. literarum organa sensoria, qualia sunt hominibus, veluti oculus, auris &c. habere nequit.

Hoc modo idem demonstrari potest. Deo in S. paginis sensu metaphorico tribuuntur membra corporis humani, quatenus significatus quidam generalis datur illorum vocabulorum, quibus ista designantur membra, qui attributo cuidam Divino, & usui horum membrorum communis est; minime vero sensu proprio (§. 109). Organa sensoria absque membris proprie loquendo corporeis locum nullatenus habent (*Psych. empir.* §. 66.). Deus igitur juxta revelationem organa sensoria sensu proprio, sive qualia homi-

hominibus ſunt, non habet; ſed improprio vel metaphorico eadem ipſi tribuuntur.

Vel demonſtratio præſens ſic ordinari poteſt. Deus teſte ſcriptura eſt ſpiritus (§. 136.), nec non prorſus immaterialis eſt (§. 91.), adde, quod ſalvator noſter affirmet, τὸ πνεῦμα *non habere corpus ex carne & oſſibus* conſtans *Lucæ* XXIV. 39. quale eſt corpus humanum. Deo igitur ad ſenſum §. paginarum organa ſenſoria, qualia ſunt hominibus, nullatenus tribui poſſunt.

§. 144.

Quo ſenſu ea neganda;

Quamobrem ad mentem verbi revelati de Deo negamus, eum habere poſſe organa ſenſoria, quatenus is eſt purus ſpiritus, incorporeus, nec non omnino immaterialis, qui caret membris corporeis, in quorum mutationibus rationes perceptionum rerum materialium in mundo adſpectabili continentur.

§. 145.

Quo vero eadem Deo tribuenda.

Nemo ſane miretur nos negare, quod Deus habeat organa ſenſoria; etſi ſcriptura toties de oculis, auribus &c: id eſt, organis ſenſoriis Dei loquatur. Nos ad mentem literarum ſacrarum neceſſario de eodem negare debemus, ei eſſe organa ſenſoria, qualia ſunt organa corporis humani (§. 144.): Etenim, niſi id faciamus, Deum admittere debeamus materialem atque corporeum (§. *cit.*); Conſequenter verum Deum negemus, falſumque fingamus, oportet (§. 92.), quod, cum ſit impium gentilismumque ſapiat, abhorremus. Hoc tamen non obſtante, ratum manet, quod ſupra (§. 108. 109.) inculcavimus, in S. S. Deo tribui membra corporis humani; Adeoque iſtiusmodi organa ſignificatu non proprio, ſed quodam generali, ſive metaphorico,

§. 146.

Error refellitur. Qui Diis corpora humana tribuunt, aut Deos materiales admittunt, falsos Deos fingunt (§. 92.), & nullus, nisi indubiæ, certæ nec non immotæ veritatis oppugnator, spiritualitatem Dei impugnare potest (§. 138.); Consequenter quoque nullus nisi impius, veritatisque osor Deo organa sensoria sensu proprio, qualia hominibus sunt, attribuere potest. Cavendum tamen sollicite, ne hoc feratur judicium de iis, qui organa sensoria sensu quodam metaphorico, superius explicato (§. 145.) ad mentem literarum sacrarum Deo tribuunt,

§. 147.

Unitas Dei ex sacra scriptura probatur, Unitatem Dei maxime urget S. S., ita *Moses Deuter.* VI. 4. *Audi*, inquit, *Israël: Jehova Deus noster Jehova unus est.* Quoniam Moses, unitatem Dei Israëlitis inculcaturus, singulari atque emphatico utitur proœmio, quo ipsos ad attentionem excitaret, dicendo: *Audi Israël:* Hoc ipso satis significavit, esse dogma de unitate Dei, quod jamjam propositurus erat, maximi momenti. Atque adeo liquet, verbum revelatum, maxime urgere unitatem Dei. Unitatem Dei Moses expressis verbis asseverat: *Jehova Deus noster Jehova unus est.* Sensus horum verborum (nisi vim appertam illis inferre, eaque magno molimine in alienum sensum detorquere volueris), alius esse nequit, quam quo inculcatur, non nisi numero unicum esse Deum; quod ex nomine Dei proprio יהוה, quo Deum hic nuncupat, aperte sequitur (*Theol. natur.* §. 78.), & vocabulo אחד, quod Hebræis unitatem numericam significat, fluit. Cum vero loca scripturæ, quorum sensus adeo manifestus est, ut, nisi vim verbis inferre volueris, eaque in alienum sensum detorseris, in dubium vocare nullatenus possis, quin potius demonstrare valeas,

valeas, modo methodi fueris gnarus, non alium ſenſum eſſe poſſe, quam quem verba per ſe inſinuant, ſint **loca** ſive **dicta claſſica** (*horæ ſubſecivæ Cl. Wolfii* Anno 1731. *pag.* 21.). **Moſes hic Dei unitatem dicto claſſico adſtruxit** tanquam dogma maximi momenti, quod nullus ſanus in dubium vocare poteſt.

§. 148.

Et confirmatur.

Unitatem hanc Dei in novo fœdere iisdem cum Moſe verbis corroborat Salvator noſter *Marci* XII. 29., quam veritatem ſcriba, ſua reſponſione Chriſto reddita, certam atque immotam agnoſcit, uti ex *verſu ſubſequente* 32. luculenter elucet. Apoſtolos, adde, eadem certitudine hanc veritatem urgere. Ita *Paulus Epheſ.* IV. 6. I. *Timoth.* II. 5. *Rom.* III. 30. Quod vero *præter hunc unum Deum*, quem cœli terræque creatorem colimus, *non ſit alius*, diſertis verbis docet *Moſes Deutr.* IV. 35. *Non alium eſſe Deum præter unum*, qui Hebræos eduxerat ex Ægypto, pronuncians, *qui ſibi ſimilem non habeat. Exodi* VIII. 10. IX. 14. XV. 11. Immo *Deus ipſe Jeſaiæ* XLIV. 6. XLV. 5. 6. 21. & 22. repetitis vicibus *affirmat, præter ſe non eſſe alium, qui ſit Deus.* Similiter Apoſtolus I. *Corinth.* VIII. 4. *Nullum eſſe Deum, niſi unum*, docet, & quidem *illum, a quo omnia ſunt, verſu* 6. *Quique nos omnes creavit. Malach.* II. 10.

§. 149.

Dei unitas definitur.

Eſt itaque dogma revelationis maximi momenti, quod non niſi unus Deus exiſtat unitate numerica; ita ut omnino impoſſibile ſit, plures Deos, nec ſimul, nec ſucceſſive exiſtere poſſe, qui vel eandem, vel diverſam habeant inter ſe eſſentiam (*Ontol.* §. 79.).

§. 150.

Error refellitur. Cum agnitio unitatis Dei dogma revelationis maximi sit momenti (§. 149.), quod Deus dicto classico revelavit (§. 147.), suo, legatorumque suorum indubio testimonio corroboravit (§. 148.), absque manifesta impietate ne quidem indubium vocari potest, quid dicam de iis, qui hanc Dei unitatem negare conantur: Est enim illa unitas Dei primarium dogma; Adeoque veri Dei character. Qui hinc plures statuunt Deos, aut præter unicum hunc solum Deum aliquid tanquam Divinum admittunt, characterem veri Dei aliis rebus tribuendo, falsos Deos, qui Dii nullatenus esse possunt, fingunt, in absurditatem manifestam incidunt.

§. 151.

Deus unicus creator, conservator atque gubernator mundi est. I. Deus creavit mundum (§. 9. & 10.). Non nisi Deus unus est (§. 149.); Ergo non nisi unus datur Deus, qui mundum creavit. Non solum hac consequentia, ex S. literis deducta, id palam est; sed & sacræ paginæ diserte hoc pronuntiant verbis. *Malachias* loco classico, quasi ipsa rationis luce notum, interrogando inquit *Cap.* II. 10. *Nonne pater unus nobis omnibus est? Nonne Deus fortis unicus creavit nos?* licet hic Malachias solius hominum creationis mentionem faciat, hoc ipso tamen simul creatio totius mundi, cujus partem aliquam homo facit, involvitur. Inde S. S. de eodem Deo, qui homines creavit, evicte docet, illum ipsum esse, qui totum creavit mundum (§. 9. & 10.).

II. Porro apud *Nehemiam Cap.* IX. 6. solum unicum Deum omnia, sive mundum hunc adspectabilem conservare, expressis his verbis: *Tu ille Jehova solus es; tu fecisti cœlos, cœlos cœlorum, & omnem exercitum eorum, terram & quic-*

quicquid est in ea, maria, & quicquid est in iis, & tu conservas hæc omnia. Evidenter jam demonstravimus (§ 15.), ex eo liquere Deum conservare mundum. Adde, quod pronuncietur, hanc conservationem soli Jehovæ competere; inde sole meridiano clarius patet, **conservationem totius hujus mundi adspectabilis sive omnium rerum præter Deum existentium, unico assignari Deo.**

III. Deum denique totum universum juxta S. S. gubernare tanquam verum atque certum hic supponimus, & infra, ubi de operibus Divinis, & in specie de gubernatione acturi, demonstrabimus. Qui vero de hac veritate in antecessum certus esse vult, evolvat demonstrationem (*summi Philosophi Cl. Wolfii Theol. natur.* §. 900. *& sequent.*) datam, & nullus hærebit, quin in hanc veritatem, Deum esse mundi gubernatorem pronus ruat. Nonnisi unicus Deus possibilis est (§. 149.); Consequenter **unicus Deus solus totius universi gubernator est.**

Quoniam itaque nonnisi unus datur Deus, qui mundum creavit: *per demonstrata Num. I.*, conservat. *per num. II.* atque gubernat: *iterum per demonstrata num. III.* **Quis hinc non videt, unum esse & solum Deum, qui totum hoc universum creavit, conservat, nec non gubernat.**

§. 152.

Hujus rei definitiones.

Merito itaque Christiani pede presso sequentes normam revelationis, unum solum colunt Deum, creatorem, conservatorem atque gubernatorem mundi hujus adspectabilis, quatenus est ens quod eundem solum ex nihilo produxit, & dat, ut is existere

re

re pergat, nec non omnium omnino creaturarum actiones ad fines certos, tandemque ultimum, qui est manifestatio gloriæ suæ, dirigit.

§. 153.

Veritas hæc ulterius confirmatur

Quare per Deum non intelligimus, nisi unicum illud ens a se, quod mundum hunc creavit, adhuc conservat atque gubernat. Ea communis omnibus Dei notio est; nec qui quærunt, an sit Deus; nec qui affirmant, dari Deum, aliud ens intelligunt. Atque qui demonstrat, dari ens a se, quod mundum hunc, qui a se esse nequit, potentia sua ad actum perduxit, ac hodienum conservat atque gubernat, omnium judicio Dei existentiam demonstrasse censetur. Quamobrem cum hucusque per omnes nostras demonstrationes liquido constat, & ex sequentibus itidem pateat, unum tantummodo possibile ens, a quo mundus creatus fuit, ac hucusque conservatur, nec non gubernatur; hoc ipso, unitatem Dei evictam esse, negari haud quaquam potest. Quodsi ponas entia plura creatori, conservatori ac gubernatori hujus universi similia; sed a quibus, quoad essentiam atque existentiam, nullatenus dependeat hoc universum; nullatenus ab eo dependeant omnia, quæ in eodem sunt: non modo sumis, quod probari minime potest, sola mentis fictione; cum istiusmodi ens, a quo mundus hic nullatenus dependeat, nonnisi imaginarie ac erronee fingi possit, S. S. apperte contradicente (§. 151.). Verum enim vero, ne quis in fictione inutili sibi reperisse videatur, non quod pueri in faba, addere illustrationis gratia lubet. Si res in statu puræ possibilitatis considerantur, non admittuntur tanquam plura, nisi quæ differunt: alias enim idem bis tantummodo poneretur, quod in Dei existentia impossibile. Ita in serie numerorum non admittitur nisi binarius, cum inter duos binarios nulla intercedat

cedat differentia, & in serie naturali, quæ solummodo omnes numeros possibiles exhibet, nulla datur ratio, cur binarius, vel alius quicunque numerus bis poni debeat. Jam illud, quod possibile, existere potest (*Ontol.* §. 133.); ut vero existat, ratio sufficiens detur, necesse est, cur existat potius, quam non (*Ontol.* §. 70.). Quodsi jam ens ideo existit, quia possibile, quemadmodum de ente a se verum est (*Theol. natur.* §. 34.); Consequenter de Deo (§. 21. & 76.), & unum tantummodo istiusmodi ens possibile concipitur, quemadmodum spiritus perfectissimus, qui est Deus (*Theol. natur.* §. 187.), cur unum existat, ratio sufficiens datur, utpote in possibilitate ipsius contenta: Sed ex parte contraria nulla datur, immo dari nequit ratio sufficiens, cur idem ens bis ponatur, propterea, quod eadem intrinseca esse debeat. Et hoc modo impossibile est, ut spiritus perfectissimus in serie entium actualium bis ponatur, quemadmodum binarius in aliqua numerorum serie, ubi ratio, cur actu ponatur non in ipso binario; sed extra ipsum datur; consequenter per essentiam binarii non repugnat, ut in serie aliqua bis poni possit. Cum vero entia contingenter existentia rationem existentiæ suæ non habeant in seipsis; sed extra se in alio (*Ontol.* §. 310.); per se non implicat ens idem in singulari poni bis; sed ne bis ponatur, sapientiæ Divinæ repugnat. Unde jam patet, **principium indiscernibilium**, quod excludit existentiam duorum individuorum similium, per omnem rerum seriem regnare, *ita ut Deus*, cui tanquam causæ primæ subsant omnia, *non habeat sui similem per ipsam essentiam suam; cetera* vero *non agnoscant sui similia individua, seu in singulari per voluntatem Dei*, quæ summa sapientia regitur. Ceterum hinc intelligitur, quomodo principium rationis sufficientis influat in demonstrationem unitatis divinæ, ita ut

absque eo firmiter demonstrari nequeat, nonnisi unum existere Deum, ac impossibile esse, ut plures existant; quemadmodum ex hac ipsa demonstratione liquet. Et quomodo una cum principio rationis sufficientis nexus rerum in hoc universo influat in demonstrationem, qua evincitur, nonnisi unum Deum esse creatorem, conservatorem atque gubernatorem hujus universi. Quis porro ex hac propositione non videt? quam amicus inter rationem & revelationem sit consensus; ita ut, quod ratio tanquam demonstrative certum atque immotum agnoscat, revelatio supponat, nec non dicto classico corroboret (§. 147.); Unde autoritas scripturæ certa, invicta ac indubia redditur. Adde, quod cognitio Dei unius, quem veneramur hujus universi unicum creatorem, conservatorem atque gubernatorem, dogma maximi sit momenti; hinc omnino necesse fuisse accuratius hanc Dei unitatem meditate rimari, demonstrare, sicque ad luculentam & immotam certitudinem protrahere, ut errantes errorem suum agnoscant, vel saltem cognoscere possint. Adde, quod usus hujus propositionis in disquisitione trinitatis minime contemnendus sit, uti patebit, quando de trinitate ex instituto acturi.

§. 154.

Error refellitur. Cum & ratio & revelatio amico consensu probent, unicum esse Deum creatorem, conservatorem, nec non gubernatorem mundi hujus adspectabilis, qui per essentiam suam tanquam talis a nobis agnoscendus atque colendus (§. 151. & 153.), cumque simul doctrina de unitate Dei sit dogma maximi momenti & criterion Divinitatis (§. 153.); per se evidens est, illos, qui Deum non agnoscunt atque colunt tanquam ens, quod sua essentia unicus sit

sit creator, conservator & gubernator totius hujus universi, in re maximi momenti, rationem pariterque revelationem abnegantes, inque crassissimam absurditatem incidentes, peccare.

§. 155.

Præsentia Dei demonstratur.

Gentium Apostolus, cum Athenienses a falsis Diis ad verum Deum adducere vellet, quem hucusque ignorarunt, eos reprehendit, quod eum cognoscere neglexissent, in cujus tamen notitiam facile pervenire potuissent: tanquam qui ipsis prope esset, *quem palpando invenire possent*; *quia profecto*, addit, ὁ Κύριος ἐ μακρὰν &c. id est, *Dominus non procul est ab unoquoque nostrum, Actorum* XVII. 27. Quod vero Deus non procul sit, ex eo probat *versu* 28. *quod in ipso vivamus, moveamur & simus*, seu ut antea *versu* 25. *Quod omnibus det vitam, halitum & omnia.* Qui vivit, movetur, aërem haurit & emittit, is pergit in existendo. Cum jam vivamus, moveamur, respiremus; necesse est, ut in existendo pergamus. Paulus affirmat, nos in Deo vivere, moveri, esse, respirationem, nec non omnia habere; Adeoque ut in esse nostro perseveremus, ratio sola in Deo esse debet; Consequenter a Deo conservamur (*Theol. natur.* §. 842.). **Conservatio** autem est actio, qua rebus creatis datur, ut existere pergant (§. *citat.*); Adeoque Deus tamdiu in nos agit, quamdiu existimus. His itaque verbis Apostolus demonstrat, omnes homines, cum omnibus rebus, quas iis dedit, existentiam suam propria vi atque virtute continuare non posse; sed Deum, quam dedit in principio (uti disertis ait verbis *versu* 24. dum asseverat: *Deum fecisse, mundum, & omnia, qua in eo sunt;* Consequenter & nos in principio facti sumus), dare pergit, quamdiu durat; Unde sequitur, Deum indesinenter tamdiu in nos, & omnia, ob eo nobis

data, agere, quamdiu sumus: *per modo demonstrata* (Confer. *Theol. natur.* §. 842.). Quamobrem, cum, convenienter communi loquendi genio, illud ens, quod in alterum agit, illi alteri præsens esse dicatur (*Theol. natur.* §. 1019.); Deus ex mente Apostoli nobis, omnibusque rebus, quas nobis dedit, indesinenter præsens est. Ita ut (ut verbis hujus Apostoli utar) palpando Deus, ejusque præsentia inveniri possit, nec Deus aliter a nobis cognoscibilis, nisi per hanc suam præsentiam, qua in creaturas suas indesinenter agit.

§. 156.

Præsentia Divina ad res omnino omnes se protendit.

Numerus I. Præsentia Dei ex S. S. modo demonstrata, ex aliis locis verbi divinitus manifestati confirmatur, & latius extenditur: Etenim ad omnes omnino creaturas, qualescunque illæ sint, extenditur. Paulus enim loco hoc *Actorum* XVII. 24. *Deum* describit tanquam eum, *qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt.* Qui verbis his vim non facit, per ea intelligit omnes res creatas, nulla excepta. Porro Apostolus addit *versu* 25. *Deum nullius rei indigere, quoniam ipse det vitam, halitum & omnia.* Unde patet, quod creatura omnis, tum ut existat, tum ut agat, continuo indigeat Deo: Deum autem neque ut existat, neque ut agat, ulla indigere creatura, iisque continuo actualitatem impertiri, quamdiu existere pergunt, sive is eas omnes conservat: quod supra (§. 15. 18.) inculcavimus. Adeoque Deus indesinenter agit in omnes omnino creaturas, quamdiu illæ existunt (*Theol. natur.* (§. 842.); Deus igitur omnibus creaturis indesinenter præsens est ex mente Pauli, quamdiu illæ existunt (§. 155. & *Theol. natur.* §. 1019.).

Numerus II. Uberius explicata hæc leguntur *Ps.* CXXXIX. 7. 8. 9.

7. 8. 9. 10. *Quo ibo,* inquit *David* ibidem, *a ſpiritu, & quo a facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumſero pennas* (ſive *alas*) *auroræ, & habitavero in extremitate maris, etiam illic manus tua deducet me, & tenebit me dextra tua.* Ex verbis adeo Regis Iſraëlitarum liquet, nullum, neque in cœlis, neque in tota terræ ſuperficie, neque intra eandem; Adeoque in univerſo mundo, reperiri locum poſſe, ubi rei in eadem exiſtenti præſens non ſit Deus. Itaque **juxta Davidem**; conſequenter **juxta revelationem præſentia Dei ad omnia, quæ in hoc univerſo exiſtunt, ubicunque extiterint, extendenda eſt,** ſive **Deus omnibus omnino rebus in toto mundo, ſeu omnibus creaturis præſens eſt.**

Numerus III. Ipſe denique Deus ait apud *Jeremiam cap.* XXIII. 23. 24. *Anne Deus, e propinquo ego* (ſubintelligendum hic eſt verbum *ſum*)? *inquit Jehova, & non Deus e longinquo? An occultabitur quisquam in abſconditis: & ego non videbo eum? inquit Jehova. Anne cœlum & terram ego impleo? inquit Jehova.* Per cœlum atque terram dicendi modo Hebræis ſatis familiari intelligitur totus hic mundus adſpectabilis (§. 6.). Per mundum omnes creaturas, nulla excepta, indigitari, dubitari nequit: Deus enim creavit mundum, & quod a Deo creatum eſt, **creatura** nuncupatur. Deus de ſe teſtatur, *quod impleat cœlum & terram*; Conſequenter **omnes**, quotquot ſunt, creaturas: *per modo demonſtrata.* Spatium aliquod **impletur**, quatenus in ſpatio imaginario fingitur pars immobilis ejusdem extenſionis (*Ontol.* §. 609.). Illud, quod certam ſeu determinatam quandam ſpatii partem implet, **in loco eſſe** dicitur

(*Theol. natur.* §. 1032.). Unde **præsentia localis est,** quæ cum existentia in loco conjuncta (*Theol. natur.* §. 1037.). Sed Deus est ens simplex probante scriptura (§. 78.), atque extensionis expers (§. 80.), & sua essentia immaterialis nec non incorporeus, iterum consentientibus sacris literis (§. 91.). Quamobrem cum nonnisi extensum ac compositum locum implere possit: *per modo demonstrata.* Consequenter nec Deus juxta hunc locum S. S. citatum in loco esse potest; Adeoque quando Deus de se confirmat, se implere locum, verba hæc sensu generali seu metaphorico sunt accipienda, ita ut iis indicet, **se tam certo omnibus creaturis suis præsentem esse, quam certum sit, corpus unum, quod alteri localiter præsens est, hoc unum illi alteri absque ulla exceptione præsens esse.**

Itaque **præsentia Dei tam late patet, ut ea secundum verbum revelatum indigitet, continuatam Dei actionem in suas creaturas tamdiu, quamdiu illæ existunt:** *per demonstrata numero I.* Porro **Deus totus** (quia tanquam ens simplex (§. 78.) nonnisi totus creaturæ præsens esse (*Theol. natur.* §. 1047.) potest) **præsens est omnibus omnino creaturis, sive toti mundo adspectabili, & singulis rerum materialium elementis, corporibus item singulis, sive in prima rerum origine productis, sive hodienum genitis, singulis angelis, animabus humanis singulis, nec non iis brutorum:** *Numero II,* **et quidem tam certo, quam certo corpus unum, quod alteri localiter præsens est, absque ullo dubio eidem alteri præsens esse cognoscitur;** *Numero III.* §. 157.

§. 157.

Quamobrem cum Deus totus intime præsens sit toti mundo & singulis ejus partibus, sive omnibus creaturis (§ 156.). Nullum concipi potest ens ut actu existens, quin ei præsens intelligatur Deus. Cum autem illa præsentia, quæ ad omnia entia a se diversa, sit **omnipræsentia** (*Theol. natur.* §. 1054.); **Deus juxta verbum revelatum omnino omnipræsens est.** Quatenus vero ens simplex est, absque substantiæ suæ multiplicatione & diffusione totus præsens est toti mundo adspectabili, atque totus præsens est singulis ejus partibus; ut adeo nullum concipi possit ens tanquam actu existens, cui totus non præsens esse intelligatur. *Deus est omnipræsens.*

§. 158.

Licet proprio vocabulo Dei præsentia atque omnipræsentia in S. paginis non exprimatur, dubium tamen nullum est, quin S. S. Dei præsentiam & omnipræsentiam affirmet: Etenim quæ hic de iis ex S. literis demonstrantur, ex notionibus rerum, verbis, ex revelatione allegatis, jungendis, adeo evidenter consequuntur, ut, nisi verba vi in alienum sensum detorquere, in autoritatem revelationis, nec non in evidentiam rationis injurius esse volueris, ea in dubium revocare non possis. Diximus enim, unum ens, quod in alterum agit, illi alteri (convenienter, communi loquendi usui) præsens esse (§. 155.). In propatulo est, quod præsentia supponat coëxistentiam, ut ea non sit nisi coëxistentium; Unde si homo moritur, & corpus ejus in terra corrumpitur, non amplius præsens dicitur. Non tamen sola coëxistentia ad præsentiam sufficit; alias anima adhuc præsens foret corpori jam mortuo, sed modo nondum corrupto, cum utraque substantia adhuc subsistat; Consequenter anima a corpore separata & corpus mortuum; Sed nondum modo corruptum, in coëxisten- *Quæ hic notanda.*

ëxistentium numero sint (*Ontol.* §. 569.). Omnis adeo quæstio huc redit, quid in coëxistentibus porro adhuc supponi debeat, ut tanquam sibi invicem præsentia considerari possint. Præsentiam ipsam non esse determinationem aliquam enti intrinsecam, nemo non admittit, quoniam nullus negat, animam humanam post mortem eandem substantiam esse & manere corpore licet mortuo, cui tamen ea præsens non est: *per modo demonstrata.* Præsentia ipsa cum non sit determinatio enti intrinseca, sequitur, quod ea non nisi in relatione quadam quoad determinationem intrinsecam consistere possit, cui propter coëxistentiam locus est. Jam si determinationes intrinsecas coëxistentium spectes, aut eædem a se invicem dependent, aut non: nobis quidem hic perinde est, quocunque modo a se invicem dependeant, &, sive dependentia spectetur quoad earundem actualitatem, sive solummodo quoad potentiam proximam. Nemo affirmaverit, nisi usu loquendi reclamante, dum ens unum alteri tanquam præsens consideramus, relationem fieri quoad independentiam determinationum intrinsecarum; alias enim sol horto præsens dici deberet, quando radiis suis eum amplius non ferit. Relinquitur itaque, ut in præsentia fiat relatio quoad determinationes intrinsecas dependentes. Atque adeo tandem enascitur præsentiæ notio distincta: quod sit relatio entium quoad coëxistentiam, quatenus unum coëxistentium pendet ab altero quoad determinationes intrinsecas. Exemplo hoc præsentiæ notio illustrabitur. Anima dicitur præsens corpori vivo, & vicissim vivum corpus animæ. Quamdiu corpus vivum est, perceptiones animæ rationes habent in mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt; atque adeo anima quoad hasce determinationes ipsi intrinsecas a corpore dependet. Ex adverso dantur motus organorum corporis, quorum ratio est nutus animæ; atque adeo determinatio-

minationes hæ corpori intrinsecæ ab anima dependent (*Ontol.* §. 851.). Corpus vivum & anima coëxistunt, quod per se manifestum est, nec quoad determinationes intrinsecas a se invicem dependere possent, nisi coëxisterent. Enimvero etsi cognoscamus, animam a morte corporis adhuc supersesse, & corpus mortuum corruptioni nondum obnoxium adhuc existere conspicimus; consequenter coëxistentiam per mortem non fuisse sublatam in dubium non revocemus, animam tamen corpori præsentem esse atque corpus animæ præsens amplius esse negamus. Negamus vero ideo, quia sublata est dependentia quoad determinationes intrinsecas mutua a se invicem. Quamdiu autem hæc subsistit, & animam corpori præsentem, & corpus animæ præsens dicimus. Patet adeo præsentia non denotari, nisi eam animæ ac corporis relationem ad se invicem quoad coëxistentiam, quatenus ea infert mutuam determinationum intrinsecarum a se invicem dependentiam. Quoniam igitur agens A & patiens B ita coëxistunt, ut patiens B ab agente A quoad certas determinationes intrinsecas dependeat (*Theol. natur.* §. 1019.); Agens A patienti B, dum in ipsum agit, præsens esse dubitari nequit. Ponamus satorem agro semen commisisse; nemo non affirmabit, satorem agro præsentem fuisse, dum in illum semen spargit. Patet itaque hic concludi præsentiam eo sensu, quo ex communi loquendi usu ens unum alteri præsens dicitur; ita ut etiam ex effectu superstite, actionem præteritam agnoscentes, recte inferamus, agens eo, dum egit, tempore patienti præsens fuisse. Unde demum liquet, qui admittit actionem alicujus entis in aliud; eum quoque admittere debere agentis præsentiam respectu patientis eo sensu, quem vocabulum præsentiæ ex communi loquendi usu accipit. Qui hæc bene perpendit, omnes logomachias, confusas nec non erroneas notiones

præsentiæ atque omnipræsentiæ Divinæ vitare potest. Cum nos præsentiam & omnipræsentiam Dei ex S. S. verbis demonstraverimus eo, quod Deus semper in creaturas (§. 155.) & quidem omnino omnes agat (§. 156. & 157.), verbum præsentiæ, itemque omnipræsentiæ sensu communi nos accepisse, dubitari nequit. Ex ipsa demonstratione patet, verba revelationis absque manifesta vi atque detorsione aliter sumi non posse; Adeoque præsentia, nec non omnipræsentia absque manifesta absurditate negari nequit. Ceterum, ne quid lucis in hac re desiderari possit; hinc præsentem propositionem, addi, necesse duximus. Quoniam vero localem præsentiam ab illocali, & eam, ut in loco, non satis distinximus: Ne quis Deum localiter, sensu proprio, præsentem esse, sibi erronee imaginetur, aut fingat, sequentem paragraphum addere lubuit, ut nihil in hac ardua materia a nobis jure desiderari possit.

§. 159.

Illocalis præsentia Dei probatur.

Transitus atque apparitio Dei Eliæ facta, his describitur verbis I. *Regum* XIX. 11. 12. *Ecce autem Jehova transibat, & ventus magnus ac vehemens perfringens montes, atque perrumpens petras ante Jehovam: non* (subintelligitur verbum *erat*) *in eo vento Jehova. Post ventum autem illum, concussio* (רעש *terræ motus*); *non* (*erat*) *in illa concussione* (*terræ motu*) *Jehova. Et post terræ motum illum, ignis; non* (*erat*) *in eo igne Jehova. Denique post illum ignem, vox silentio tenuis.* Absque manifesta detorsione verborum, per ea, quibus dicitur, quod Deus in vento, terræ motu & igne illo non fuerit, nihil intelligi aliud quid potest, quam quod negetur, quod is localiter præsens fuerit, ubi ventus ille, terræ motus atque ignis præsentes erant. Deus etenim præsens est omnibus omnino entibus, ita ut nullum concipi

cipi possit, in quod non agat; Consequenter in id agendo praesens sit (§. 156.). Hic vero diserte negatur Dei praesentia in vento illo, terrae motu nec non igne, qui tamen absque dubio entium numero accensendi sunt; Unde ultro sequitur, ut vel Deus omnibus rebus non sit praesens, quod absurdum (§. 156. & 157.); vel ut Deus his localiter praesens non fuerit; Adeoque expressis verbis negatur Dei localis praesentia in his numeratis rebus, id est, negatur de Deo, quod extensione ulla spatium illud, quod ventus, terrae motus, nec non ignis occupabant, impleverit, sive corporum instar in loco fuerit (*Theol. natur.* §. 1032.); Adeoque praesentia ejus illocalis sit; quoniam **illocalitas** est, quando, quod praesens est, in loco non est (*Theol. natur.* §. 1037.). Quamobrem, cum Deus omnibus rebus, nulla omnino excepta, praesens sit (§. 157.); verbis his, quibus in quibusdam rebus Dei praesentia localis negatur: *per modo demonstrata:* **Hoc ipso illocalis praesentia quoad istas non tollitur** (*Theol. natur.* §. 1036.). Adde Dei simplicitatem, qua omnis omnino compositionis expers est (§. 78.), nullaque extensio in eum cadit, approbantibus sacris paginis (§. 80.). Ens simplex enim, extensioni omni carens, alteri enti nullatenus localiter praesens esse potest, sive illocalitate gaudet (*Theol. natur.* §. 1036.); Consequenter **ex revelatione Dei illocalitas; adeoque & illocalis praesentia rata, certa atque immota est.**

§. 160.

Dei illocalitas sequitur ex ejus simplicitate (§. 159.). Quamobrem cum Deus sua essentia simplex & immaterialis sit, ut propter illam compositus esse nequeat (§. 78. & 80.), Deus sua essentia illocalis est. **Sunt igitur erroris sui re-** *Error refellitur.*

darguendi, qui non agnoscunt Dei omnipræsentiam absque substantiæ suæ multiplicatione & diffusione (§. 157.), eamque illocalem propter ipsam suam essentiam (§. 159. *& modo demonstrata*). Huc referendi, qui Deo tribuunt infinitam, hoc est, interminatam extensionem: Etenim illi præsentiam Divinam localem faciunt, seu substantiam Divinam per omne spatium imaginarium diffusam sibi imaginantur. Aut cum Henrico Moro ipsum spatium pro substantia Divina venditant. Vel cum Samuële Clarkio ex eo attributum Divinum, nempe immensitatem faciunt. Vel etiam cum Neutono pro organo Dei sensorio habent. Intellectum vero, voluntatem atque potentiam per infinitam extensionem quasi diffusam tacite supponunt; unde denuo talia inferunt, quæ distinctam explicationem minime ferunt. Atat cum istiusmodi tribus idolis imaginariis (quemadmodum ea *Verulamius* vocat), quæ per imaginationis abortus finguuntur, nobis nihil est negotii. Ceterum bene perpendendum: quod, cum *nullibi esse* proprie dicatur, quod in loco nullo est; Deus vero in loco non sit (§. 159.), nec animæ in loco esse possint (*Theol. nat.* §. 1034.); sequi omnino, ut dicendum sit hoc ipso sensu, *quod Deus sit nullibi, quod animæ sint nullibi;* quemadmodum etiam *Cartesiani* loquuntur. Verum enim vero cum per inconstantiam loquendi, dicatur etiam nullibi esse, quod prorsus non existit. Consi-

lium

lium *Auguſtini* probamus, qui in ſimili caſu linguam temperari, veritatem retineri jubet. Ne igitur dictione incauta infirmis offendiculum objiciamus, ab ea abſtinemus, nec ultra ea, quæ revelatio docet, progredimur; quippe quæ diſerte inculcat, nullum reperiri poſſe in toto hoc univerſo locum, in quo Deus, rebus ibidem exiſtentibus præſens eſſe, non intelligatur *Pſ.* CXXXIX. 7-10. *Amos* IX. 2-4. I. *Regum* VIII. 27. II. *Paral.* VI. 18. &c.

§. 161.

Deo repugnat localis motus.

Ex loco *Actorum* XVII. 24. *ſqq.* demonſtrative ſequitur, Deum rebus indeſinenter, ſive tamdiu præſentem eſſe, quamdiu illæ exiſtunt (§. 155. & 156. *Num.* I.). Locus porro Davidicus *Pſ.* CXXXIX. 7-10, diſerte probat, indeſinentem hanc præſentiam ad omnes omnino creaturas extendendam eſſe, ita ut nullum ens ſit conceptibile, cui Deus actu præſens non ſit (§. 156. *Numero* II.). Denique de omnipræſentia Dei nullus dubitare poteſt, qui Deum ipſum loquentem audit *Jerem.* XXIII. 23. (§. 156. *Numero* III.). Quamobrem cum Deus omnibus omnino rebus ita præſens ſit, ut nullum ens concipi poſſit tanquam exiſtens, quin ei indeſinenter absque ullo dubio præſens ſit: *per demonſtrata.* Adeoque ſucceſſive cum aliis aliisque rebus præſentem fieri, utique repugnet. **Motus** vero conſiſtat in continua loci mutatione (*Ontol.* §. 642.), qua interveniente, corpus aliquod ſucceſſive aliis aliisque corporibus præſens ſiſtitur. **Deus ſe movere nequit, ſive omnis motus Deo repugnat.**

§. 162.

Error refellitur.

Præſentia igitur Dei & præſentia noſtra in eo differt, quod ille non quemadmodum nos de loco in locum moveri teneatur, ut ſucceſſive præſens fiat aliis aliisque rebus

bus; sed quod simul totus præsens sit rebus omnino omnibus, præsens etiam extiturus pluribus, si plures creare vellet, & ita existens ut in loco quocunque, ut etiam extra eum existat. Patet itaque de præsentia Dei cogitaturos imaginem præsentiæ nostræ seponere debere, ne per se clara tenebris, atque vera erroribus involvantur. **Erroris adeo crassi redarguendi, qui Deo motum localem, qualis corporibus extensis solum competit, attribuunt;** certo indicio notiones eorum confusas in abortus imaginationis degenerare. Videtur equidem quibusdam, quod in ipsis sacris literis Deo motus localis tribuatur, quando de eo dicitur, *quod ambulaverit in horto Gen.* III. 8. *Quod descenderit Jehova ad videndum turrim illam & urbem Gen.* XI. 5. Itemque, locutus fuit Jehova cum Abrahamo: *descendam nunc, & videbo, an secundum clamorem istius, qui pervenit ad me, omnino faciant, sin autem minus, cognoscam Gen.* XVIII. 21. &c. Unde, qui Dei localem motum inferunt, errorem committunt, attributis Divinis, sive iis, quæ & ex revelatione & ex ratione de Deo cognoscimus, contrarium, quod ex hucusque (præprimis §. 161.) demonstratis, evidens est. Illa igitur interpretatio, qua Deo localis motus attribuitur, locum habere nequit (*Logic.* §. 976.); Consequenter his scripturæ dictis localis Dei motus probari non potest. Duplex hic oritur quæstio. Una videlicet, quomodo verba illa, in quibus ipsæ S. paginæ Deo motum localem tribuere videntur, interpretanda. Altera vero, cur Deus his verbis usus fuerit in revelatione, quibus sensus proprius sine manifesta contradictione; adeoque absurditate, respondere nequit. Quoad primam, responsio in promtu est. Etenim si notio subjecti fuerit certa, ea admittenda est prædicati notio, quæ per eam determinatur (*Logic.* §. 977.). Notio subjecti, videlicet

delicet Dei, certa est; Consequenter motus, quando is de Deo prædicatur, ejus notio ita debet esse comparata, ut per illam, quam de Deo habemus, determinetur. Unde concludimus, quod ea, quæ humano more de Deo prædicantur, ita sint interpretanda, sive ea ratione, qua Deum decent. **Homo movetur**; quando successive locum mutando aliis aliisque corporibus præsens sistitur (*Ontol.* §. 643.). Ad id, si bene attendimus, notionem *motus Deo assignati* formare licet ei convenientem. Deus entibus præsens est sua actuositate (§ 155.), & quidem omnino omnibus, nullo excepto, omnipræsentia sua (§. 157.), sive Deus indesinenter agit in omnes res. Enimvero cum actus Dei generalis actui cuidam speciali Divino non contrarietur: quoniam genus speciem nullatenus tollit; Consequenter Deus in omnia entia indesinenter agere potest, ita tamen ut in hoc, illudve individuum, aut res quasdam speciales actu quodam speciali agat; Si jam Deus præter actum suum generalem in hanc vel aliam rem specialem specialiter actuosus est, dum Deus concipi potest tanquam in genere præsens omnibus rebus existentibus, & speciali quodam modo præsens huic, in quod specialiter agit; Adeoque more humano dici potest, Deum ire ab entibus in genere existentibus ad hoc speciale. Ita porro, si specialiter actuosus esse in hoc ente, sive individuo desinit, in altero vero incipit, tunc dici eodem modo potest, Deum se movere ab hoc uno ad illud alterum ens. *Ex. gr. Genes.* XI. 7. Deus loquens inducitur hæc verba: *Agedum, descendamus, & confundamus ibi sermonem eorum, ut non intelligat alter sermonem alterius.* Ubi ipse Deus rationem sui descensus indicat esse illum actum, quo sermonem turrim Babylonicam ædificantium confundere voluerat, ne unus intelligat alterum: Certo indicio Deum non solum generaliter agere;

Atat

Atat præterea incipere specialiter actuosum fieri in opifices illius turris, quorum sermonem confundebat; per consequens Deus de se affirmat, se *descendere*, id est, se præter actum hucusque generalem perpetratum, incipere hunc specialem, scilicet confusionem sermonum. Consimiliter, quando *de Deo* dicitur, *eum ambulavisse in horto Genes.* III. 8. indicatur, Deum ptæter actuositatem suam generalem inchoasse aliam quandam specialem in horto illo, & quidem mox in loco quodam individuali hujus horti, paulo post vero, & successive in alio. Ut adeo toties, quoties Deo in scriptura sacra motus tribuitur, eo indicetur specialis quidam actus hoc, illove loco, sive enti in eodem præsenti patratus, qui præsentiam Dei in isto loco speciali quodam modo designat. *Hæc quoad primam quæstionem.*

Enim vero, ex communi loquendi usu præsentia colligitur, ex actione in id, cui præsens est, vel fuit, perpetrata (§. 158.). Consimiliter si corpus unum successive egit in alia aliaque corpora diversis locis inexistentia, tum communiter dicitur illud unum corpus se movisse per illa loca in quibus corpora ista, in quæ egit, inerant. Quam ob rem Deus notionem illam, qua intelligitur, eum præter actum illum generalem, quem indesinenter in omnia entia præter ipsum existentia exercet, inchoare alium quendam specialem in hoc, illudve ens speciale, in hominibus excitaturus, quibus a sensibus abstracta per se non satis clara sunt; Consequenter ita, quasi de loco in locum se moveret, more humano loqui debebat: veluti quando dicit: *descendam & confundam ibi sermonem eorum Gen.* XI. 7. *Descendam nunc & videbo, an secundum clamorem istius &c. Gen.* XVIII, 21. Deus itaque

itaqe hoc modo loquens significat, se ibi, ubi præter suam omnipræsentiam, quædam specialis præsentia requiritur, se præsentem sistere. Præsentia hæc specialis nationi, quam de Deo habemus, nullatenus contrariatur, sed ad amussim respondet: præsentiam enim ipsam non esse determinationem aliquam enti intrinsecam; sed solum consistere in quadam relatione, quoad determinationem intrinsecam, quemadmodum supra (§. 158.) inculcavimus. Cum vero relationes successivæ variari possint salva immutabilitate divina, quæ omnem variationem in Deo excludit; Deus hinc indesinenter omnibus rebus præsens esse potest, ita tamen, ut speciali relatione superveniente, non minus speciali quodam modo huic, illive enti in singulari præsens sit. Hæc, qui accurata mente perpendit, videbit *Spinosæ* errorem, qui autumavit, Deum solum ad eorum opiniones, ignorantiam & errores se accommodasse, quibus revelatio divinitus facta est: absurditas hujus sententiæ facile detegitur: ex dictis enim liquet, eam notioni, quam de Deo habemus, e diametro oppositam esse, Deoque indignam. Adde: si Deus se accommodasset opinionibus, ignorantiæ, erroribusque hominum, revelatio has opiniones, ignorantiam atque errores non removisset, sed potius eas corroborasset: adeoque Deus humanas opiniones, ignorantiam nec non errores tanquam veritatem quandam abstruxisset, id cum indicaret manifestam abnegationem Deitatis, de eo affirmare absonum est, cum in sacris literis expresse dicatur *Deum seipsum abnegare non posse.* Hanc sententiam sacris literis diametraliter adversari, ex aliis etiam locis patet. Etenim disertis asseveratur verbis: *Deus fortis non est homo, qui mentiatur, aut filius hominis, quem pœniteat: an ipse dixerit, & non faciet? an locutus fuerit, & non præstabit illud? Num.* XXIII. 19. *Nec dolus in ore ipsius Jes.* LIII. 9.

1 *Petr.* II, 22. Consequenter error *Spinosæ* sua sponte corruit. Si itaque omnia verba ita interpretantur, ut sensus prodeat, qui ea involvit, quæ Deo digna sunt, sive toti notioni Dei, id est, omnibus Divinis attributis ad amussim respondet, nec non cum omnibus iis, quæ cum ex revelatione, tum ex ratione tanquam certa, vera atque immota cognoscimus, amice consentit; de veritate sensus hujus certi esse possumus, citra errandi periculum, ideo autoritas scripturæ sacræ nullum patitur detrimentum.

§. 163.

Ratio Dei asserta.

Diserte Christus affirmat *Joh.* IV. 24. *Deus est Spiritus:* Unde spiritualitatem Dei uberius (§. 135.) demonstravimus. Quare cum omnis spiritus rationalis sit (*Psychol. ration.* §. 673.); Adeoque ens ratione præditum (*Psych. ration.* §. 451.); **Deus quoque ratione præditus est.**

§. 164.

Quæ hic notanda.

Deum ratione præditum esse ex ejus spiritualitate solum adstruximus. Equidem hactenus non habemus notionem rationis, nisi spiritui finito competentis, qualis est anima nostra; sed sufficit hoc capite agnosci, quod Deo omnino ratio tribuenda sit, licet hic in dubio relinquamus, utrum eodem prorsus sensu ratio tribuatur Deo, quo hominibus, an aliqua differentia inter utramque intercedat, nec non qualis illa sit. Etenim capite sequenti locus erit invicte demonstrandi, rationem divinam toto cœlo differre ab ea, quæ in entia cadit finita; quoniam illa Dei est maxima, (ubi in antecessum conferri potest *Cl. Wolfii Theol. natur. pars* II. §. 122.), non facultas, sed actus (*Theol. natur. pars* II. §. 123.), atque quid ea sit (*Theol. natur. pars II.* §. 124.). Ne vero quis suspicetur, facile nos in errorem incidere posse, nisi differentia illa observetur, bene, quæso, perpendere velit, nos ulterius

ulterius progredi non posse, quam quo ex antea demonstratis pedem movere queamus. Nondum vero plus hucusque demonstrare potuimus, quam quod Deus spiritus sit; consequenter hic plura dicere non licet de ratione divina, quam quatenus ea ex spiritualitate ejusdem fluit. Enimvero nondum demonstratum est Deo esse intellectum perfectissimum. Quamobrem necdum demonstrari potest differentia inter rationem divinam, & entium finitorum, nec qualis ratio divina sit. Enimvero, quoniam ea, quæ intellectui limitato conveniunt, Deo tribui nullatenus possunt (*Theol. natur.* §. 137.), patet, quomodo præcipitantia evitari possit, quæ per abusum notionis intellectus humani Deo tribuuntur, quæ ipsi conveniri nequeunt. Absit itaque ut incauti ex suo modulo judicent alios. Verum enim vero cum notio intellectus, quam habemus, nulli nobis sit usui ad deducenda ea, quæ intellectui divino propria sunt; in iis investigandis alia via incidendum. Notionis directricis loco erit, quod superius, de iis, quæ Deo tribuenda sint prædicata (§. 124.), demonstravimus, convenienter notioni Dei ex sacra scriptura deducta (§. 20.), quemadmodum postulat methodus, quæ jubet attributa Dei juxta sacras paginas deducere ex ipsa illa notione, quam S. literæ de eodem largiuntur. Patet adeo, quod sufficiat hic agnosci, Deum esse referendum in numerum entium, quæ ratione prædita sunt: id, quod repugnat hypothesi impiæ atque absurdæ, qua natura rerum dicitur Deus.

§. 165.

Atque ita hucusque evicimus ex revelatione, dari Deum, sive ex eadem demonstravimus existentiam Dei in significatu vocabuli, qui est scripturæ sacræ conformis; consequenter hujus ipsius Dei, de quo loquuntur literæ sacræ. Porro ex jam dictis luculenter patet, cetera attributa, quæ Deo tribu- *Quæ circa hoc caput notanda.*

unt sacræ paginæ, ex definitione, quam ex scriptura sacra acquesivimus (§. 21.), non invitis sacris literis, sed satis convenienter iisdem, nec violato rigore demonstrationis, deduci; ut adeo hujus definitionis fœcunditas, supra (§. 22.) laudata, satis sufficienter pateat. Et ut appareat in singulis rationis cum scriptura sacra consensus, ubivis ostendimus attributa, quæ Deo competere in sacris paginis vidimus, vel ex principiis rationis explicanda esse, quatenus revelatio hæc supponit, vel eodem modo in iis Deo tribui, quo in sensu communi ratione convenienter ipsi assignantur; ut adeo sacræ scripturæ autoritatem tandem invictam dare possimus. Ceterum attributa alia ex genere, quod in definitione (§. 21.) juxtra secras literas data posuimus, alia vero ex ejusdem differentia specifica deducuntur. Genus est aseitas: diximus enim Deum esse ens a se (§. *citat.*). Quamobrem vi generis ipsi vindicanda sunt attributa ex asseitate fluentia, & in anterioribus, sive hoc capite inde deducta. Illa vero, quæ ex differentia specifica hujus definitionis Dei deducuntur, Deo Ter Optimo Maximo favente atque duce, sequentibus capitibus eodem modo explicabo. Atat antequam penitus hoc caput claudere queo, notatu adhuc sequentia digna censemus.

§. 166.

Cautio in demonstrandis attributis divinis adhibenda.

Cum intellectus humanus admodum limitatus sit: perfectissimus vero illimitatus sit (*Psych. ration.* §. 652.), & similiter voluntas humana admodum limitata (*Psych. ration.* §. 655.), voluntas vero spirirus perfectissimi illimitata sit (*Psych. ration.* §. 653.), ac spiritus anima humana diverso gradu perfectiores possibiles sint (*Psych. ration.* §. 657.); Deo tribui nequeunt, nisi quæ animæ cum spiritibus omnibus & ipso spiritu perfectissimo communia sunt, propterea quod de eadem

eadem nobis innotuerint. Quamobrem antequam quid Deo tribuatur, quod de intellectu humano vel voluntate humana aut obſervatur, aut demonſtratur, demonſtrandum eſt, ea communia eſſe, atque adeo Deo recte tribui poſſe.

Hac cautione opus habemus, ne ab intellectu humano ad divinum, vel a voluntate humana ad divinam argumentati, ipſi tribuamus, quæ non conveniunt; conſequenter in errorem incidamus. Et jam intelligitur, quomodo exinde nullus ſequatur error, quod Deo tribuatur intellectus atque voluntas, differentia inter intellectum divinum & humanum nondum perſpecta, uſi notione intellectus (§. 128.) & voluntatis (§. 132.), qualis ea ab anima humana abſtracta eſt.

§. 167.

Quænam Deo non tribuenda.

Cum intellectus ſpiritus perfectiſſimi illimitatus ſit (*Pſych. ration.* §. 652); intellectus vero hominum admodum limitatus (*Pſych. ration.* §. 654.), & præterea voluntas ſpiritus perfectiſſimi illimitata ſit (*Pſych. ration.* §. 653.), voluntas vero humana admodum limitata (*Pſych. ration.* §. 655); Spiritus vero intellectu & voluntate libera ab aliis ſubſtantiis diſtinguatur (*Pſych. ration.* §. 643.); differentia inter ſpiritum perfectiſſimum & animam humanam, qua ſpiritus eſt (*Pſych. ration.* §. 645.), alia intercedere nequit, quam quod illius intellectus atque voluntas limitibus prorſus deſtituantur; hominis vero intellectus & voluntas determinatos admittant limites. Conſimiliter, quia ſpiritus ceteri poſſibiles diverſo gradu anima humana perfectiores ſunt (*Pſychol. ration.* §. 657.); differentia animæ, qua ſpiritus, aliorumque ſpirituum intellectum limitatum & voluntatem limita-

limitatam habentium, nonnisi in harum facultatum limitatione diversa consistere potest. Quæcunque igitur ex limitatione intellectus nec non voluntatis animæ deducuntur, quatenus intellectus humani atque voluntatis humanæ limitatio est, ea animæ soli competunt, utpote rationem sufficientem non habentia, nisi in eo, quod animabus humanis, qua spiritibus proprium (*Ontolog.* §. 118.); consequenter nulli spiritui alii convenire possunt; adeoque nec Deo (§. 136.); ut adeo **ea, quæ ex limitatione intellectus humani, voluntatisque humanæ propria consequuntur; ea Deo tribui nequeant.**

§. 168.

Idem ulterius expenditur.

Cum spiritus perfectissimus habeat intellectum illimitatum (*Psych. ration.* §. 652.), & voluntatem illimitatam (*Psych. ration.* §. 653.), antequam demonstretur, utrum Deus sit spiritus perfectissimus, nec ne, non constat, utrum intellectus ipsius sit limitatus, an illimitatus, & utrum voluntas ejusdem sit limitata, an illimitata. Quamobrem cum intellectui illimitato non conveniant, quæ tantummodo limitato convenire possunt, nec voluntati illimitatæ competant, quæ solummodo limitatæ competere possunt; **antequam demonstretur, num Deus sit spiritus perfectissimus, nec ne, ignoratur, utrum ei tribui possint, quæ nonnisi intellectui limitato & voluntati limitatæ propria sunt; adeoque tribui nequeunt.**

CAP.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0106
DFG

CAPVT II.

DE INTELLECTV DEI ET ATTRIBVTIS INDE PENDENTIBVS.

§. 169.

In concilio ab Apostolis habito *Jacobus* Apostolus ait *Actorum* XV. 18. Γνωστὰ ἀπ' αἰῶνος ἐστι τῷ Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ. *Nota sunt Deo ab omni ævo* (interpretante Beza, seu vertente *Castellione*; *ab omni æternitate*) *omnia opera sua.* In vernacula *Lutherus* hæc verba reddit; **GOtt sind alle seine Wercke bewust von der Welt her.** Sunt vero opera Dei cœlum & terra. Psalmista enim dicit *Psal.* CII. 26. *Deum fundasse terram, & opus manuum suorum cœlos esse*, per cœlum vero & terram secundum morem loquendi Hebræis familiarem, intelligi debet totus hic mundus adspectabilis (§. 6.), *quem Deus in principio creavit Gen.* I. 1., cum nihil adhuc præter ipsum existeret. **Ex mente itaque Jacobi Deus totum hunc mundum adspectabilem, id est, omnes omnino creaturas, seu universam rerum præter ipsum existentium seriem** (*Cosmol.* §. 55.) **sibi repræsentavit ab omni ævo (æternitate).** *Deus totum mundum in intellectu suo sibi repræsentat.*

Verum enim vero Apostolus ad *Hebr.* IV. 13. ait: *Nec est ulla res creata non manifesta in conspectu ipsius: immo omnia sunt nuda & intime patentia oculis ejus, qui cum nobis est negotium.* Etsi versio *Bezæ*, quam hic & alibi citamus sensum textus Græci bene exprimat; verborum tamen Græcorum proprietas οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ, hoc est, *non est creatura obscura coram ipso*, magis acce-

dere videtur & ad textum autenticum & convenire propositioni præsenti probandæ. Insinuat enim differentiam, quæ inter rerum perceptiones, quales nobis sunt, & rerum in intellectu divino repræsentationes intercedit. Dum nos sentimus; adeoque objectum aliquod sensibile in hoc mundo adspectabili nobis repræsentamus (*Psychol. ration.* §. 62. & *Psychol. empir.* §. 67.), substantiarum simplicium mutationes intrinsecas, sed in unum confusas nobis repræsentamus (*Psychol. ration.* §. 98.). Enimvero cum ne sensu quidem armato corpuscula derivativa, quæ ex primitivis vel aliis simplicioribus oriuntur (*Cosmolog.* §. 229.), distinguamus (*Psychol. ration.* §. 99), nedum primitiva, quæ ex elementis seu substantiis simplicibus (*Cosmol.* §. 182.) ortum trahunt (*Cosmol.* §. 229.), a se invicem discernamus (*Psychol. ration.* §. 100.), multo minus elementa ipsa a se invicem separemus (*Psych. ration.* §. 101.); ideis nostris non modo plurima insunt confusa (*Psych. empir.* §. 39.), verum etiam prorsus obscura (*Psych. empir.* §. 32.); ut adeo rebus perceptis plura insint, quorum nobis non simus conscii seu quæ non appercipimus, quam quæ appercipimus (*Psych. empir.* §. 25.). Quodsi vero objectum quodcunque consideres tanquam in conspectu Dei, seu coram ipso idem consideres, hoc est, ad Deum referas; nihil in eo deprehendes, cujus Deus non sit sibi conscius; atque adeo nullum prorsus objectum in hoc mundo adspectabili datur, quod ipsi obscurum dici possit. Patet adeo juxta verbum revelatum Deum singula, quæ rebus creatis insunt, clarissime sibi repræsentare (*Psychol. empir.* §. 31.); atque adeo distincte (*Psychol. empir.* §. 38.). Quoniam itaque Deus totum hunc mundum adspectabilem creavit: *per demonstrata*, ut nullum in eo existat ens, quod non sit in creaturarum numero; **nihil omnino** juxta scripturam

pturam S. datur in hoc mundo adſpectabili, quod non diſtincte cognoſcat Deus, nec quicquam nominari poteſt, quod confuſe tantummodo ſibi repræſentet.

Quo minus quid videamus, ad quod noſtra ſeſe potentia viſiva, ſeu facultas videndi, extendit, impedimenta duo ſunt. Primum in eo ſitum eſt, quod opacum quoddam inter oculum & viſibile interponitur, impediens, ne radii a viſibili in oculum illabi poſſint; adeoque idem oculo tegens. Alterum impedimentum eſt a ſitu ſupino viſibilis, in quo impoſſibile, ut radii per lineam rectam propagati ad oculum deferantur, quod cum eodem in eadem recta non conſtituitur. Utrumque impedimentum S. paginæ a Deo removent. Quando enim *omnia nuda* πάντα γυμνὰ dicuntur τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ *oculis ejus Hebr.* IV. 13., primum removetur a Deo viſionis, ſeu objecta mundi hujus adſpectabilis ſibi repræſentandi impedimentum, quod ſcilicet nihil tectum ſit ipſi; ſed omnia cognoſcat diſtincte, nihil prorſus confuſe: *per modo demonſtrata;* atque adeo fieri nequeat, ut unum, quod ſibi repræſentat, impediat, quo minus ſibi clare quoque ac diſtincte repræſentet alterum (*Theol. natur.* §. 180.). Nudum enim dicitur, quod nullo velamine tectum. Quamobrem cum omnia, quæ ſunt in hoc univerſo, nuda dicuntur oculis Dei; hoc ipſo indigitatur fieri non poſſe, ut objectum unum perceptibile obſtet, quo minus percipiatur alterum. Alterum vero a Deo removetur videndi impedimentum, dum Apoſtolus affirmat *omnia oculis Dei eſſe aperta: loc. cit.* Etenim in textu Græco dicuntur πάντα -- τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, quod *Caſtalio* verborum proprietati inhærens, ita

vertit: *omnia resupina sunt ejus oculis.* Nimirum nobis objectum unam tantummodo sui obvertit partem, alteram ab eadem avertit; adeoque in conspectum nostrum non prodit, nisi resupinetur. Deus vero undiquaque contuetur objectum visibile, ut pars nulla dici possit ab oculis ejus eversa. Quoniam igitur id valet de omni objecto, quod in mundo hoc adspectabili deprehenditur: hoc ipso ostenditur, nullum esse Deo obstaculum, quemadmodum nobis, quo minus quidpiam sibi representare clare possit.

Deus igitur juxta S. S. totum sibi repræsentavit mundum ab æterno, & quidem omnia, quæ in eo sunt, distincte, nihil vero confuse.

§. 170.

Nullius rei cognitio Deum dedecet.

Salvator noster *Matth.* X. 30. affirmat, *omnes capillos capitis nostri a Deo esse numeratos.* Nemo non novit, vix allegari posse rei cujusdam notitiam, quæ nobis adeo abjecta & merito contemnenda videatur, quam quæ est numeri capillorum. Unde nec videas eos, qui subtilitates physicas scrutantur non sine aliorum censura, de numero tamen capillorum unquam fuisse solicitos, propterea quod adeo sterilis judicetur, ut nullam inde utilitatem promittere nobis posse videamur. Cum igitur Deus dicatur numerare capillos, quibus obsita sunt hominum capita; adeoque distincta numeri eorundem ipsi tribuatur notitia; hoc ipso a Christo insinuari palam est, nihil a nobis judicari debere adeo abjectum, ut ejus cognitionem Deum dedecere arbitremur.

§. 171.

§. 171.

Non nego, Christum hoc loco potissimum docere velle, quanta sit providentia divina quoad homines, cum curam gerat etiam singulorum capillorum, quos ne homines quidem ipsi curant. Verum enim vero quoniam cura, quam Deus gerit, singulorum capillorum capitis nostri, supponit notitiam numeri eorundem; verba Christi ad probandam propositionis hujus (§. 184.) veritatem recte adducuntur. Et ubi ad scopum ab ipso Redemtore intentum animum advertimus, ratio simul intelligitur, cur nihil censeri debeat adeo abjectum, ut idem propterea cognitioni ipsius subducamus. Nimirum, nos notitiam numeri capillorum fastidimus, propterea quod nullius usus nobis esse videtur, & capillum unum pro re vili atque abjecta habemus, propterea quod parum referre arbitramur, utrum capillus aliquis capiti insideat, an ab eodem avellatur. Christus vero docet, quæ nobis inutilis est notitia, eam Deo non esse inutilem, & quod nobis adeo vile judicatur, ut ejus curam superfluam judicemus, id Deum cura sua non indignum reputare. Arcetur adeo præjudicium, quod homines quosdam tenet, sibi persuadentes, quasi quædam res in hoc universo sit adeo vilis, ut magnitudinem majestatis divinæ dedeceat earundem cognitio. Qui nexum rerum omnium in hoc universo probe perpendit, quem *Cl. Wolfius in Cosmologia* stabilivit, rationem a priori intelligit, cur nihil adeo vile æstimari debeat, ut a providentia divina eximatur. Sed de eo apertius dici potest suo loco. *Quæ hic notanda, errorque refellitur.*

§. 172.

Psalmo CXLVII. 4. *de Deo* dicitur, eum *supputare numerum stellarum, & quotquot sunt nominibus vocare.* *Intellectus Divini incomprehensibilitas probatur.*

Et Christus (§. 184.) affirmat *Matth.* X. 30. *Deum numerare omnes capillos capitis nostri.* Psaltes hic non solum asserit, Deum numerare stellarum multitudinem, sed & addit, ipsum has omnes appellare nominatim, seu propriis nominibus a se invicem distinguere. Nec invita veritate dici potest, Deum quoque singulos capillos capitis nostri nominatim appellare, seu propriis suis nominibus a se invicem distinguere. Quodsi duo hæc scripturæ loca combinare volueris, per ea utique patebit, intellectum divinum utique juxta S. S. esse incomprehensibilem, quatenus modum, quo est, vel fieri potest, nobis minime repræsentare valeamus (*Theol. natur.* §. 170.). Stellæ vasta cœli spatia replent, nec ignotum est omni tempore eam hominum animis insedisse opinionem, quod earum numerum iniri impossibile sit. Hinc ipse Deus confirmaturus promissionem, quam fecerat *Abrahamo, quod multiplicaturus sit posteros ipsius sicut pulverem terræ, illum numerare, si posset quisquam Gen.* XIII. 16. Porro jubet eundem *respicere stellas, & numerare easdem, si possit Gen.* XV. 5. *Sic inquiens* (*versu* 6.), *erit semen tuum:* id, quod paulo post ipsemet interpretatur *Genes.* XVII. 10. *multiplicans multiplicabo semen tuum, adeo ut non possit numerari præ multitudine.* Et in hodoporicis alicubi legitur, gentes, quæ numerando ultra millinarium ascendere non poterant nominibus destitutæ, quibus exprimerent numerum ineffabilem, eundem indigitaturas monstrasse digito stellas; ita ut iis numerus ineffabilis atque incomprehensibilis diceretur tantus, quantus stellarum numerus. Nullum dubium est, quin *Abrahami* ævo stellarum numerus ineffabilis & incomprehensibilis fuerit habitus, tantus scilicet, ut distincte percipi minime possit, quemadmodum numerus pulviscu-

lorum,

rum, ex quibus constat pulvis terræ; ut multiplicare sicut pulverem terræ, & multiplicare sicut numerum stellarum pro Synonymis agnoverit ipse Deus. Hodie vero, postquam telescopia inventa & ad usum observationum cœlestium translata, innumerabilis stellarum multitudo certo certius constat, cum continuo plures oculo conspicuæ evadant stellæ, quo exquisitiori telescopio cœlum respicimus. Quando itaque Deus dicitur numerare stellas, hominibus immemorabilia cognoscere perhibetur. Jam porro tenendus est modus, quo innumerabilia ista cognoscit. Psalmista nimirum addit, Deum stellas singulas appellare nominatim. Qui nominibus res a se invicem distinguere valet, is differentiam earundem clare percipere tenetur. Unde patet, Deum stellarum numerum omnem distincte sibi repræsentare, ita ut in idea ejus singulas stellas actu a se invicem discernat. Atque hinc intelligitur, Deum ea, quæ hominum confessione unanimi innumerabilia sunt, distincte cognoscere, & singula a se invicem tam bene discernere, quam citra fallaciam parens distinguit liberos suos. Quæ de stellarum numeratione dicta, ea quoque ad capillorum numerationem, recte applicantur. Etenim si totum genus humanum spectes, quatenus & omnes & singulos, qui vixerunt olim, & eos, qui hodienum vivunt, & posthac nascituros complectitur; nemo non ultro fatebitur, numerum eorum esse ineffabilem; capillorum vero eorundem multo magis. Immo nullus dubito fore, ut Astronomiæ peritus eum multo magis ineffabilem judicet, quam numerum stellarum, propterea quod stellæ ingentibus admodum intervallis, a se invicem remotæ; capilli vero singulis capitibus insidentes nullis intervallis sensibilibus a se invicem discreti: ac præterea forsan non deerunt, quibus considerantibus, singulas stellas fixas esse totidem soles suis planetis stipatos (*Astronom.* §. 1120. & 1122.),

1122.), probabilius videbitur numerum capillorum ſtellarum numerum multum excedere. Liquido igitur conſtat, dum Deus dicitur promiſcue numerare omnium hominum capillos; hoc ipſo affirmari, quod hominibus innumerabilia, ſeu ineffabilia cognoſcat. Chriſtus eo fine docet, omnes capillos capitis hominis cujuſcunque numeratos eſſe a Deo, ut providentiam Dei ad minima quæque extendat; haud obſcure inſinuans, quemadmodum ex contextu colligitur, animum advertendo ad hoc, quod a paſſeribus capillos tanquam a majore ad minus fiat argumentatio, nullum ſine voluntate Dei capillum decidere de capite hominis; atque adeo ipſum ſingulorum curam peculiarem gerere. Neceſſe igitur eſt, docente Chriſto, ut Deus ſingulos capillos tam bene a ſe invicem diſtinguat, ac parens liberos ſuos, quos ſingulos ſuis diſcernit nominibus. Atque hinc jam patet, Deum numerum capillorum omnem ſibi diſtincte repræſentare, ita ut in idea ejus ſingulos a ſe invicem actu diſcernat. Unde denuo intelligitur Deum ea, quæ hominum confeſſione unanimi innumerabilia ſunt, diſtincte cognoſcere, & ſingula a ſe invicem, tam bene diſcernere, quam citra fallaciam liberos ſuos diſtinguit parens, qui ſingulos propriis ſuis nominibus appellare novit. Deus in promiſſione *Abrahamo* facta de numero poſterorum genus ſuum ab ipſo derivaturorum numero ſtellarum ſubſtituit numerum pulviſculorum in pulvere terræ. Patet itaque S. S. non invita, ubi de innumerabilitate ſermo eſt, ſtellis ſubſtitui poſſe quævis corpora alia, quæ homini innumerabilia ſunt, veluti grana arenæ in mari, & guttas pluviæ. Sane ipſe *Jacobus* promiſſionem Abrahamo & ſibi de poſteritate ſua factam enunciaturus, ait: *Deum dilatare velle ſemen ſuum ſicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt Gen.* XXXII. 12. Deus igitur, quemadmodum numerare dicitur ſtellas,

&

& ſingulas ſuis apellare nominibus, eo fine, ut intellectus ejus pateat magnitudo *Pſalm* CXLVII. 4. eadem non invita numerare quoque dicendus eſt pulviſiculos in pulvere terræ, & ſingulos propriis ſuis appellare nominibus, atque itidem numerare dicendus eſt multitudinem arenæ maris, & ſingula granula ſuis appellare nominibus. Sunt enim arena maris, pulvis terræ & capilli capitis non minus *opera ipſius* ac ſtellæ per vaſtum cœlorum ſpatium diſſeminatæ; adeoque eodem modo *ipſi cognita ab æterno*, quo hæ ipſi proſpectæ ſunt *Actorum* XV. 18. Quamobrem cum ſtellas numeret, & ſuis a ſe invicem nominibus diſtinguat, hoc eſt, diſtincte cognoſcat, quemadmodum probavimus; pulverem quoque terræ & arenam maris numerare, ſuisque ſingula granula nominibus a ſe invicem diſcernere, hoc eſt, diſtincte cognoſcere debet. Nihil adeo datur in cœlis atque in terra, quod pro innumerabili reputari poſſit, a Deo tamen, juxta S. S. non adeo bene cognoſcatur, ac parens liberos ſuos novit, quos & numerare, & nominibus propriis diſtinguere valet. Oſtendimus jam ſupra (§. 6.), cœlum & terram in ſacris literis denotare mundum, quemadmodum etiam inter nos cœli atque terræ nomine totus hic mundus adſpectabilis indigitari ſolet. Juxta S. S. igitur affirmandum, nihil in toto mundo adſpectabili dari, quod pro innumerabili a nobis reputari poſſit, a Deo autem diſtincte non agnoſcatur. Conſtat ſtellas eſſe maxima, quæ dantur in mundo, corpora totalia ex quibus tanquam partibus componitur univerſus mundus; pulviſculos vero conſtituentes pulverem terræ & arenam maris eſſe corpora partialia, ſeu quæ ſunt partes partium univerſi, & denique capillos capitis noſtri corpora partialia incompleta, quæ ad unionem cum corporibus partialibus aliis deſtinantur. Hoc vero numero continetur omne corporum ge-

nus. Juxta S. igitur S. in toto hoc mundo adſpectabili nullum datur corporum genus, quod innumerabilia continet, a Deo tamen hoc non obſtante agnoſcitur, idque maxime diſtincte. Cum nobis impoſſibile ſit numerare ſtellas, capillos capitis omnium hominum, pulverem terræ & arenam maris, multo magis autem impoſſibile ſit ſtellas ſingulas, capillos capitis ſingulos, pulviſculos, qui componunt pulverem terræ, ſingulos, arenæ maris granula ſingula a ſe invicem discernere, quomodo hoc vi intellectus Divini fieri poſſit, utique ignoramus, nec ullo modo capimus. Quamobrem, quia illud affirmat ſcriptura, quemadmodum prolixe adſtruximus; **intellectus Divinus juxta S. paginas nobis incomprehenſibilis eſt, quatenus nobis modum, quo Deus ſibi poſſibilia repræſentat, minime clare repræſentare queamus.**

§. 173.

Quæ hic notanda ad veritatem vindicandam, erroremque refellendum.

Quod *Pſaltes* eo fine affirmet, Deum numerare multitudinem ſtellarum, & ſuis ſingulas nominibus appellare, ut doceat, qualis & quantus ſit intellectus Divinus, & quantum noſter ab ipſo diſtet, ex contextu ſatis evidens eſt. Etenim ubi illa de Deo annunciavit, mox alta voce exclamat: *Pſalm* CXLVII. 5. *Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus (multus viribus),* ולתבונתו אין מספר *& intelligentiæ ejus non eſt numerus!* Dubitari adeo nequit, hunc S. S. locum eſſe claſſicum, quando de magnitudine & incomprehenſibilitate intellectus Divini agitur, & ad utramque probandam ſcopo S. paginarum convenienter eundem adduci. Aſt quando Deus dicitur numerare capillos capitis noſtri, Chriſtus potiſſimum intendit, ut doceat, providentiam Divinam ſeſe ad minima quoque, quæ noſtro judicio vilia atque abjecta

abjecta reputantur, extendere. Erunt igitur aliqui, qui dubitabunt, num locus iſte ad probandam incomprehenſibilitatem intellectus Divini recte adducatur. Immo forſan non deerunt, qui reprehenſuri ſunt ſcripturæ dicta extra ſcopum ipſius aliorſum detorqueri: id, quod vitium interpretis maximum eſſe agnoſcimus, quoniam tunc, experientia teſte, proh dolor! idem dictum in utramque partem ſumendo, omnis veritatis certitudo eradicatur. Quamobrem noſtrum eſſe, judico, ut doceamus, quandonam dicta ſcripturæ non extra omnem ſcopum, nec detorquendo, ſed extra ſcopum ſuum primarium, ſacris literis non invitis, ad probandas veritates alias transferantur. Nimirum veritas aliqua cum altera ſubinde adeo connexa eſt, ut poſita una ponatur & altera, immo ut hæc altera poni minime poſſit, quin etiam ponatur illa. Ponamus itaque ſcopum S. paginarum eſſe, docere veritatem alteram, tamen propter neceſſarium hujus cum illa nexum ſimul & illam docet. Atque hic caſus eſt dicti Salvatoris noſtri de numeratione capillorum capitis noſtri. Per eam enim docere intendit providentiæ Divinæ ad minima, quæ vilia atque abjecta videntur, extenſionem. Verum enim vero, quoniam cum cura, quam Deus gerit ſingulorum capillorum, neceſſario connexa eſt diſtincta eorundem cognitio, atque capilli in eorum numero ſunt, quæ innumerabilia recte reputantur; dictum Chriſti ad probandam diſtinctam eorum, quæ nobis innumerabilia ſunt, cognitionem recte adhiberi, nemo dubitare poteſt. In hoc caſu ſcopus S. literarum ſecundarius dici poteſt, docere eam veritatem, quæ cum primario intenta neceſſario connexa eſt. Nec obſtat, quin dictum ſcripturæ extra ſcopum primarium pro claſſico habeatur (§. 98.). Quemadmodum vero ad ea, quæ ex dicto aliquo S. S. per neceſſariam conſequentiam inferuntur, ita ad

veritatum quoque aliarum cum eadem necessarium nexum, de quo hic solum loquimur, respiciendum, ubi eidem omnem sensus plenitudinem tribuere volueris, quem habere potest, atque habet. Ex his denique uberius confirmantur, quæ de eodem dicto Christi jam paulo ante (§. 170. & 171) annotata sunt, **errorisque eorum, quorum (§. 171.) mentionem fecimus, absurditas clarior redditur.**

Ceterum adhuc notari meretur, nos ad mentem revelationis negando, quod modum, quo Deus sibi omnia possibilia distincte repræsentat, nobis minime clare repræsentare valeamus (§. 172.), non negare ipsam possibilitatem intellectus Divini, a nobis non cognosci posse. Aliud enim est cognoscere, quod quid sit possibile; aliud vero cognoscere modum, quo quid possibile; Adeoque eundem sibi repræsentare, seu ejus sibi quandam formare ideam. Ponamus enim hominem artis mechanicæ ignarum videre horologium. Quod fieri possit, ut horologium arte humana constructur, dubitare nequit. Cognoscit igitur constructionis possibilitatem. Verum enim vero non perspicit modum, quo construi potest horologium, nec artem intelligit, quæ in fabro horologii requiritur. Ac præterea affirmat, se comprehendere non posse, quomodo arte humana horologium construi possit. Est adeo horologii constructio, quam possibilem esse agnoscit, ipsi incomprehensibilis, quod nullam constructionis ac artis, qua eadem perficitur, habet ideam. Atque hinc intelligitur, terminum incomprehensibilitatis sumi in significatu usui loquendi conformi (*Logic.* § 139), simulque intelligitur nos ad communem loquendi usum recte intellectum Divinum incomprehensibilem dicere, quatenus nos modum, quo sit, non cognoscimus. Si denique quis ad demonstrationem animum advertit, facile perspicit, intellectum Divinum

num, qui juxta S. literas omnia omnino innumerabilia, quæ in toto hoc mundo dantur, distincte percipit, non antea comprehendi posse, quam intellectus eundem appercepturus abeat in cognitionem eorum, quæ in mundo innumerabilia sunt, & quidem distinctam. Quoniam itaque impossibile est, ut intellectus is, qui in mundo reperit talia, quæ ei innumerabilia sunt, quæque nequidem confuse, multo minus distincte cognoscit, ea omnia cognoscat, & quidem distincte (*Ontol.* §. 79. & 30.), nec fieri ullo modo potest, ut ens innumerabilia, & quidem nequidem confuse cognoscens, intellectum Divinum, qui ea teste S. S. distincte cognoscit (§. 172.), comprehendat. Absit autem, ut quis ex eo, quod nullam intellectus Divini ideam habeamus, inferat, eum esse non ens. Constat enim ipsi respondere aliquam ideam, etsi nos eandem non habeamus, nec habere possimus; sed tantummodo ideam habeamus ejus, quod non sit, & ideas particulares illarum determinationum, quæ ad intellectum Divinum requiruntur, sufficientes ad hoc, ut intelligatur, quid sit intellectus Divinus, etsi non sufficiat ad id, ut eundem penitus comprehendamus. Contenti igitur esse debemus, quod demonstrare valeamus, qualis sit intellectus Divinus, & quod determinationes ad eum requisitas intelligamus, quatenus tanquam ideæ partiales in diversis ideis rerum aliarum continentur. En, Benevole Lector, novum argumentum amici consensus inter ea, quæ ratio, & ea, quæ revelatio docet.

§. 174.

Deum non dormire, loco quodam classico probari potest: disertis enim verbis asseveratur *Psalmo* CXXI. 3, 4 אל־ינום שמרך׃ הנה לא־ינום ולא יישן שמר ישראל *Ne-quaquam dormitat custos tuus. Ecce non dormitat, nec dormit custos Israëlis.* Quod *Lutherus* in vernacula bene quoque

Somnus Deo repugnat, ita ut semper vigilet.

quoque vertit. **Der dich behütet, ſchläffet nicht. Siehe! der Hüter Iſrael ſchläffet noch ſchlummert nicht.** Per cuſtodem Iſraëlis *Pſaltes* intelligit ipſum Deum: loquitur enim verſu 2. *de Jehova, qui fecit cœlum atque terram.* Atque hunc ipſum *Jehovam* verſu 5. deſcribit, ut *cuſtodem Iſraëlis*, de quo & in proxime ſuperioribus pronunciaverat, ipſum *nec dormitare, nec dormire.* Ut adeo dubitari nequeat, per cuſtodem Iſraëlis a *Pſalmiſta* ſolum indigitari Deum. In Hebræo textu occurrit verbum נום & ישן, quo utroque omnis ſomni ſpecies vel gradus exprimitur; priori *levior*, poſteriori *gravior* & *profundior.* Liquet hoc ex *Jeſ.* V. 27. ubi נום τῷ ישן opponitur. Quemadmodum igitur prius iſtiusmodi hominis ſtatum denotat, quo ſomnus ipſi obrepit, quem tamen avertere contendit; ita ישן ſomnum profundiorem exprimit, & hinc Latinis recte per *dormire* vertitur. Liquido id conſtat ex *I. Samuelis* XXVI. 7. ubi narratur, *Davidem & Abiſæum veniſſe ad populum noctu, ac inveniſſe Saulum in ambitu plauſtrorum dormientem:* ibidem idem omnino vocabulum occurrit ישן. Ecquis vero non videt, in hoc loco verbum iſtud denotare eum ſtatum, quo ſomno oppreſſum jacet corpus, anima vero caret perceptionibus claris atque diſtinctis, nec ſui rerumque perceptarum ſibi conſcia ſit? Ex contextu vero *Pſalm.* CXXI. 3. 4. apparet, ſomnum negari de Deo, tanquam aliquid, quod nunquam in eo locum habiturum ſit, immo nequidem de ipſo cogitari poſſit, a quo & levior & gravior ſomnus, τὸ *dormitare* & *dormire;* adeoque omnis ſomni ſpecies abſit. Quo ipſo inſinuatur omnem ſomnum naturæ Divinæ repugnare; **ſomnus juxta ſcripturam omnino negatur de Deo tanquam naturæ ipſius repugnans.**

Quodſi

Quodsi ergo ex mente sacrarum literarum somnus omnis Deo omnino repugnat, **necesse est, ut per essentiam atque naturam suam semper vigilet.**

§. 175.

Propositio hæc insignem habet usum in Theologia moralı, ubi de officiis Christiani erga Deum agitur, quatenus ea influunt in cetera erga seipsum atque alios. *Quis hujus propositionis usus.*

§. 176.

Quoniam substantia simplex, qualis est anima, in somno est in statu perceptionum confusarum (*Psychol. ration.* §. 15.), quando vero vigilamus, in statu perceptionum distinctarum (*Psychol. ration.* §. 14.); Consequenter in anima nostra status perceptionum confusarum & distinctarum continuo alternant; Deus vero juxta scripturam nunquam dormit, sed semper vigilat, immo, ut dormiat, impossibile est (§. 174.); **juxta sacras literas status perceptionum distinctarum atque confusarum, seu obscurarum in illo alternare nequit;** Consequenter cum in statu perceptionum obscurarum fieri non possit, ut percipiens sibi, vel sui, vel rei cujusdam alterius sit conscius (*Psychol. ration.* § 17.); **juxta sacras paginas status istiusmodi impossibilis est, in quo Deus nec sui, nec rei cujusdam alterius sit conscius.** *Non datur in Deo statuum alternatio.*

Corollarium hoc etiam hoc modo ostendi potest. Deus juxta scripturam sacram nunquam dormit, sed semper vigilat (§. 174.), sumto videlicet vocabulo in eo significatu, quo de hominibus accipitur, quemadmodum (§. *citato*) evicimus. Verum enim vero quando nos dormimus, sensationes omnes claræ cessant, nec ullius, quod præsens est, nobis conscii sumus (*Psychol. empir.* §. 119.). Fieri adeo nequit, ut in Deo

Deo ceſſent repræſentationes rerum cognoſcibilium, quales ſunt in ipſo, hoc eſt, diſtinctæ (*Theol. natur.* §. 156.), juxta ipſam quoque ſacram ſcripturam (§ 169.), & Deus ſibi ſemper conſcius manet eorum, quæ ſibi repræſentat. **Juxta ſacram ſcripturam itaque Deus ſemper manet in ſtatu perceptionum diſtinctarum, & ſtatus diſtinctarum atque obſcurarum, non perinde ac in homine alternant.**

§. 177.

Quæ hic notanda.

Patet hoc exemplo, quemadmodum ex aliis ſupra modo allatis, ac in ſequentibus adhuc proponendis, principiorum philoſophicorum beneficio ex verbis ſacrarum literarum deduci poſſe, quæ cogitationem eorum ſubire nequeunt, qui philoſophica ignorant principia. Atque hinc elucet philoſophiæ in interpretanda ſacra ſcriptura utilitas, ſimulque perſpicitur, quomodo is, cui principia philoſophica perſpecta ſunt, ſenſum ſacræ ſcripturæ profundius ſcrutari poſſit, quam qui a philoſophia alienum habet animum. Ceterum præſente propoſitione præcipua quædam proprietas intellectus Divini continetur, qua a facultate cognoſcendi humana differt; ut adeo Deum non dormire non ſit propoſitio, quæ contemni mereatur, etiamſi nonniſi theoretice ſpectes, ubi ſomnum ad ſtatum animæ transfers, recedens a confuſa notione, quæ corpus magis reſpicit, quam animam.

§. 178.

Intellectus Divini immenſitas.

Pſaltes de Deo *Pſalm* CXLVII. 5. prædicat: לתבונתו אין מספר *intelligentiæ ejus non eſt numerus*, ſeu ea, quæ Deus vi intellectus ſui ſibi repræſentat, numerari nequeunt. Jam cum intellectus magnitudo partim æſtimetur ex numero objectorum, quæ ſibi repræſentare valet; partim ex numero

mero eorum, quæ in unoquoque objecto distinguit (*Psychol. empir.* §. 267. 277.); intellectus magnitudo mensurari nequit, si eorum, quæ sibi repræsentare valet, atque in ideis rerum discernit, a se invicem numerus iniri nequit. Atque adeo patet, **juxta sacras paginas intellectum Divinum esse immensum, qui mensuram omnem respuit, seu, qui in se talis est, ut eorum, quæ sibi repræsentare valet, atque discernit, a se invicem numerus iniri nequeat.**

§. 179.

Quæ hic notanda.

Immo constat hoc modo immensitatem intellectus Divini juxta sacras literas in eo consistere, quod eorum, quæ vi ejusdem repræsentantur, & qui in ideis ab eodem productis continentur, nullus iniri possit numerus. Scriptura igitur intellectum Divinum nobis repræsentat tanquam immensum in se: quæ sola vera immensitas est, qualis nulli creaturæ convenire potest. Adduximus ipsa Hebraica verba propterea, quod ex versionibus non adeo clare pateat intellectus Divini immensitas, quam ex textu originali. *Vulgatus interpres* reddit: *Sapientiæ ejus non est numerus. Castalio* vertit, quod Deus sit *immensæ prudentiæ. Lutherus* in vernacula, **und ist unbegreifflich, wie er regiret,** plane ad verba textus hic non attendit. *Junius* vero & *Tremellius* bene interpretantur: *cujus intelligentia est innumerabilis.* Sapientia nimirum non est actus intellectus, qui vocabulo Hebraico תבונה indicatur: multo minus de prudentia hic sermo est, quid dicam de significatu verborum vernaculo datorum, **und ist unbegreiflich, wie er regiret.** *Junium* atque *Tremellium* hic laudamus, atque ad textum authenticum provocamus, quia ad eum provoca-

ri hic, verſionibus inter ſe diſcedentibus, opus eſt (*Logic.* §. 978.). Tenendum itaque, quando ad eum non provocamus, verſionem textui ſatis convenire, aut a nobis ſolum adduci verba, quæ mentem ejus loquuntur.

§. 180.

Errandi anſa detegitur, & adimitur.

Qui non ſufficiente acumine utuntur, immenſitatem intellectus Divini ex eo inferunt, quod eundem ſibi incomprehenſibilem experti non videant, quomodo eundem metiri liceat. Verum enim vero inferre tantummodo debebant, ſe intellectum Divinum metiri minime poſſe; nec videre quomodo eundem metiri liceat. Inde vero nullatenus ſequitur, intellectum Divinum in ſe talem deprehendi, ut menſura ipſius non detur, ſive ut metiri nullo modo poſſit. Id, quod tamen requiritur, ſi quis immenſus dici debeat (*Theol. natur.* §. 41.). Hæc ideo monemus, ne quis per præcipitantiam ſibi perſuadeat, nos immenſitatem intellectus Divini, non æque per ſe claram, probando magis obſcurare, quam clariorem reddere. Accedit enim haud raro, ut, qui in maxima luce caligant defectu notionum diſtinctarum, unde probationis claritas pendet, vitium non in ſe, ſed in probatione quærant. Adde ipſam ſacram ſcripturam non provocare ad incomprehenſibilitatem; ſed hoc loco, ut ejus immenſitas concludi legitime poſſit, ita ait: *intelligentiæ ejus eſt numerus;* ut adeo cum ſacris literis immenſitatem intellectus Divini concludamus ex eo, quod eorum, quæ ſibi Deus per eum repræſentare valet, atque in ideis rerum diſcernit a ſe invicem, numerus iniri nequeat, & inde ſua ſponte ſequitur, intellectum Divinum in ſe, ſive ſua natura talem deprehendi, ut ipſius menſura non detur (§. 178.).

Intellectus Divini puritas.

§. 181.

Deus juxta ſacram ſcripturam omnia diſtincte cognoſcit, nihil

nihil vero obscure (§. 169.); Adeoque multo minus obscuri quidpiam ideis atque notionibus ejus admiscetur (*Psych. empir.* §. 32.). Quamobrem cum **intellectus purus** sit, si notioni rei, quam habet, nihil confusi admiscetur, nihilque obscuri (*Psych. empir.* §. 313); **Intellectus Dei juxta sacras literas purus est, quatenus notioni rei, quam habet, nihil confusi, nihilque obscuri admiscetur.**

§. 182.

Puritatem intellectus Divini per consequentiam ex scriptura sacra eruimus, propterea quod nobis non succurrit dictum sacrarum paginarum ex quo eadem immediate inferri poterat. Equidem 1 *Johan.* I. 5. *Deus lux esse* dicitur, *& tenebras in eo esse nullas* affirmatur. Cum constet, **lucem** prædicari de intellectu, quatenus ideis ineſt claritas, quo sensu etiam nostræ tribuitur animæ, (*Psychol. empir.* §. 35.) & ex adverso obscuritas & defectus idearum, unde pendet ignorantia atque error, denotetur **tenebrarum** nomine, quo sensu etiam animæ tenebras ineſſe dicimus (*Psychol. ration.* §. 36.): hinc omnino inferri poterat, ideis rerum, quæ sunt in intellectu Divino, nihil prorsus obscuri admisceri; consequenter purum esse (*Psychol. empir.* §. 313.). Atat! cum difficultas ex textu orta, quod lumen et tenebræ ad actiones liberas referantur, quatenus eædem bonæ vel malæ sunt, non nisi per ambages & difficulter tollatur; præstat puritatem intellectus Divini per consequentiam ex sacris erui literis ac inde stabilire significatum luminis & tenebrarum, quo illud Deo tribuitur, hæ vero de eodem negantur, quam vice versa suppositio significatu luminis & tenebrarum quoad Deum ex eorundem notionibus inferre puritatem intellectus. Nimirum ubi intellectus purus est, ibi merum lumen, tenebræ

Quæ hic notanda.

sunt nullæ; ast ubi purus non est, ibi sunt tenebræ. Quamobrem cum intellectus hominis purus non sit (*Psychol. empir.* §. 315.), nec is per naturam suam dici potest lumen, etsi luminis quidpiam ipsi affulgeat; præterea tamen insunt tenebræ spissæ. Me non monente apparet, cum juxta sacras paginas Deus distincte cognoscat omnia, nihil confuse, cetera omnia, quæ ex distincta rerum cognitione, qualis Deo competit, in Theologia naturali Philosophorum principis *Cl. Wolfii* demonstrata sunt, eodem modo probari posse juxta S. S. Deo tribuenda, quo in propositione præsente idem de puritate intellectus Divini evicimus; ut adeo supervacaneum foret hisce deductionibus prolixius immorari. Ceterum ex hac ipsa propositione differentia intercedens inter intellectum Divinum, qui absolute purus, & humanum, qui nunquam prorsus est purus, patet. Est nimirum puritas plenaria privilegium intellectus omnium omnino perfectissimi, videlicet Divini. Denique evidens est, nos nullatenus incautos esse neque Deo tribui, quæ ex limitatione intellectus humani propria, ipsi tribui nequeunt (§. 167.); sed ea quæ ex notione intellectus illimitati demonstrantur & Deo digna sunt.

§. 183.

Remotio limitum ab intellectu Divino, & eiusdem infinitudo.

Numerus I. *Deo omnia sua opera nota sunt ab æterno, Actorum* XV. 18; Consequenter cum quidquid præter Deum existit, *ab eo creatum sit, Gen.* I. 1. cognovit id omne antequam existeret. Quoniam itaque ad id, ut Deus, quæ præter ipsum possibilia sunt, actu cognoscat, eorundem non requiratur existentia; dubio caret, quod etiam possibilia nunquam extitura, quæ tamen, si ita visum fuisset, ad existentiam perducere poterat, cognoscere debebat. Atque adeo nil poni potest tanquam cognoscibile, quod non sit notum Deo

ab

ab æterno. Unde liquet intellectum Divinum non limitari quoad objectum (*Ontol.* §. 468.). Jam porro *Deo omnia nuda atque resupina sunt:* Hebr. IV. 13. hoc est, objectum unum, quod repræsentat sibi Deus, non posse obstare, quo minus percipiat alterum; Adeoque nec exteriora ejusdem objecti, quo minus percipiat interiora, nec ullam in objecto quocunque perceptibili partem a Deo posse dici aversam, ut eam percipere nequeat, quemadmodum supra (§. 169.) uberius ostendimus. Nihil adeo datur in objecto quocunque, quod ita sibi repræsentet Deus in intellectu suo, ut ejusdem sibi sit conscius. Unde porro liquet, intellectum Divinum non limitari quoad modum repræsentandi objectum, seu ideæ rationem formalem (*Ontol.* §. 468.). Quoniam itaque limitari aliter haud quaquam potest, nisi quoad numerum objectorum & quoad modum repræsentandi objectum; **intellectus Divinus juxta sacras literas illimitatus est, quatenus nec quoad numerum objectorum, nec quoad modum repræsentandi objectum limitari potest.**

Numerus II. Cum porro ens finitum sit etiam limitatum (*Theol. natur.* §. 173.); fieri haud quaquam potest, ut illimitatum sit finitum (*Ontol.* §. 28.). Ergo intellectus Divinus, qui prorsus illimitatus est: *per demonstrata numero* I, finitus esse nequit (*Ontol.* §. 53.). **Intellectus itaque Divinus est quoque infinitus juxta sacras literas, id est, in quo sunt omnia simul, quæ eidem actu inesse possunt** (*Ontol.* §. 838.).

§. 184.

Constat ex definitione illimitati (§. 183 *num.* I.) & ea infiniti intellectus (§. *citato num.* II.), notionem illimitati at- *Quæ hic notanda.*

que infiniti nobis non esse eandem, etsi una ab altera pendeat, atque ita facile sine ulla detorsione posterior a priori inferri possit. Ceterum non minus evidens est, qualis illa sit differentia, quæ intercedit inter intellectum Divinum prorsus illimitatum atque infinitum, nec non intellectum admodum limitatum & finitum humanum; ut adeo sive objectum, sive modum cognitionis spectes, differentia hæc palam sit.

§. 185.

Deus omnia cognoscit simul seu actu unico.

Intellectus Divinus juxta sacras paginas infinitus est (§. 183. *num.* II.). Quamobrem cum in ente infinito sint omnia simul, quæ eidem actu inesse possunt (*Ontol.* 838.); in intellectu Dei ideæ rerum possibilium omnium simul sunt. **Quicquid igitur cognoscibile, probante sacra scriptura a Deo simul, seu actu unico cognoscitur.**

§. 186.

Quæ hic notanda.

Patet eodem modo per principia rationis demonstrari posse illimitationem intellectus Divini ac inde colligi, primum infinitudinem ejusdem, deinde ex hac porro simultaneitatem in cognoscendo: quamvis contraria ratione ex simultaneitate in cognoscendo infinitudo intellectus Dei æque facile colligi possit: Hanc tamen ex illa collegimus, quoniam non nullis hoc modo facta demonstratio evidentior videbitur.

Ceterum evidens est, quod distincta omnium rerum cognitio, quam superius (§. 169.) uberius ex sacris probavimus literis cum simultaneitate in cognoscendo adeo connexa sit, ut ista admissa, hæc negari minime possit. Nimirum id constat, tum ex electione mundi hujus adspectabilis, qui optimus est, quem ex ceteris omnibus possibilibus elegit Deus (*Theol. natur.* §. 121.); Consequenter ejus differentiam a ceteris

ceteris omnibus distincte cognoscere debet. Necesse itaque est, ut sibi conscius sit eorum omnium, quibus hic mundus adspectabilis a ceteris omnibus differre deprehensus; ut adeo Deus simul sibi conscius esse debeat eorum omnium, quæ mundis singulis insunt; Adeoque ea omnia simul cognoscere. Tum etiam ex eo inferi potest, quod totum aliquod universum, seu mundus quilibet sit ens unum, distincte non cognoscendum, nisi exhibeatur aliqua idea, in qua singula actu distinguuntur, ut cognoscens omnium eorum, quæ insunt, & nexus eorundem, quo ens unum constituuntur, simul fuerit sibi conscius. Tum non minus ex eo, quod nihil eorum, quæ insunt in aliqua rerum serie, possit tanquam in systemate cum ceteris distincte cognosci, nisi distinctissime percipiatur nexus ejus cum ceteris omnibus. Sed de his, ut dicamus apertius, opus non est, cum hujus rei veritas attendenti per se manifesta sit, nec Lectorem Benevolum ulla prolixitate defatigare volumus.

§. 187.

Deus caret sensu atque imaginatione.

Ad mentem literarum sacrarum intellectus Dei purus est, eo videlicet sensu, quo eundem purum esse (§. 181.) demonstravimus. Verum enim vero intellectus eo sensu purus a sensu atque imaginatione liber est (*Psychol. empir.* §. 314.). Ergo **intellectus Dei** a sensu atque imaginatione **juxta sacram scripturam** liber est; Consequenter **sensu atque imaginatione caret.**

§. 188.

Quod ab exceptionibus vindicatur.

Videtur hæc propositio, etsi satis evidenter ex iis fluens, quæ de Deo ex sacrarum paginarum principiis demonstrata sunt, ipsi scripturæ literæ contradicere, in qua Deus videre atque audire dicitur. Et quamvis supra (§. 109.) dixerimus, Deo in sacra scriptura tribui membra corporis humani, qualia

lia sunt organa visus, nec non auditus, oculus scilicet & auris significatu quodam generali, qui attributo cuidam Divino & usui illius membri communis est; non tamen negandum prorsus videbatur, Deo juxta sacras paginas sensum atque imaginationem convenire, præsertim cum scriptura emphatica locutione urgere videatur, ne Deo sensus prorsus denegemus. Ita enim Psalmista *Psalm* XCIV. 9. *Qui*, inquit, *plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, an non intueatur?* seu *Castellione* vertente, *non cernet?* Enimvero haud quaquam, quæ hic demonstrantur, verbis sacrarum literarum contradicunt. Negatur enim, Deo sensus, ut & imaginationem competere eo sensu, quo vocabulum utrumque accipitur, quando de hominibus & animalibus brutis usurpatur, cum vi harum facultatum objecta sensibilia ita repræsententur, ut vel quædam nobis sint tecta, vel quædam supina; Adeoque non videantur, etsi visibile sit sensui præsens. Deest nimirum formalis ratio, quæ sensum atque imaginationem ab intellectu distinguit, quando sensus, nec non imaginationis ad Deum applicanda notio. Ecquis ergo definitum prædicabit de subjecto, cui definitio competere nequit (*Logic.* §. 349.)? Non tamen ideo negatur, Deo competere sensum atque imaginationem per eminentiam; unde pendet significatus ille generalis organorum sensuum, aliorumque membrorum corporis, de quo supra (§. 108. & 109.) locuti fuimus.

Nemo porro sibi persuadeat, nos in probanda hac veritate per ambages incedisse, cum ex immaterialitate Dei, seu quod is corporeus non sit (§. 88.); Consequenter corpus istiusmodi, quale humanum est; Adeoque organis sensoriis instructum habere nequeat (§. 143.), sua veluti sponte fluat, Deum sensu atque imaginatione carere. Neque enim jam quæri-

quæritur, an Deus sit immaterialis, an incorporeus, aut num tanquam ens simplex unitus sit cuidam corpori, in quo mechanice repræsentetur, quod ineſt ipsi qua simplici; Sed num Deus intellectum habeat purum, ita ut nihil quidpiam obscuri ideis ac notionibus ipsius admisceri possit; Adeoque eo ipso a sensu atque imaginatione liber sit. Ostendimus itaque merito Deum carere sensu, nec non imaginatione eo quod intellectus ejus est purus, cujus notionibus, quæ illi de rebus quibuscunque obversantur, nihil confusi, nihilque obscuri est admixtum (*Psychol. empir.* §. 313.); cum e contra per naturam sensuum atque imaginationis ideæ rerum materialium confusæ sint, & ab omnimoda distinctione, qua Deus gaudet (§. 169.), infinito intervallo absint (*Psychol. ration.* §. 187.). Ut tandem clarius pateat, quid sacra scriptura indigitare nobis de Deo velit, quando de ipsius sensibus, organisque sensoriis, id est, oculis & auribus loquitur, sequentes paragraphos addere lubuit.

§. 189.

Deus juxta revelationem sensu caret (§. 187.); Adeoque eo modo tribui ipsi nequit sensus ullus, quo nobis ineſt, seu secundum propriam vocis acceptionem. Verum enim vero nos sensu præsentia cognoscimus, quæ sunt in hoc mundo materiali: Id quod per se patet. Quamobrem cum Deus omnia in eodem præsentia tanquam præsentia cognoscat (*Theol. natur.* §. 156.); Actus ille cognitionis sensuum vicem supplet. Quoniam vero **per eminentiam ineſt**, quod proprie loquendo ineſſe nequit, cujus tamen loco ineſt aliud quidpiam, quod vicem ipsius supplet (*Ontol.* 845.); **Sensus Deo per eminentiam tribuendos esse patet.** *Quo sensu Deo tribuuntur sensus.*

§. 190.

Sensus per eminentiam Deo tributi, quid denotant.

Itaque sensus per eminentiam Deo tributi, denotant, actum illum intellectus Divini, quo omnia praesentia tanquam praesentia cognoscit.

Ut adeo scriptura sacra nobis actum hunc Divinum, quo Deus omnia in hoc mundo adspectabili praesentia tanquam praesentia cognoscit, indigitans, hoc vocabulis sensuum humanorum propriis merito afferat.

§. 191.

Quae hic notanda ad errores refellendum.

Praesentia non denotat, quod rebus intrinsecum est, utpote nonnisi rerum quoad coëxistentiam relatio (§. 158.). Quamobrem etsi creaturae per eminentiam Deo praesentes dicantur, non tamen quid tribuitur creaturis, quod iis per eminentiam insit; Sed tantummodo relatio quaedam ad Deum, propterea quod ipsi Deo quid per eminentiam inest. Porro, bene perpendendum, hic loci necesse fuisse explicare uberius, quo significatu Deo sensus tribuendi, ne principio illo heuristico investigandi notiones eorum, quae Deo tribui debent, quis abutatur; Adeoque incautus in insulsos Anthropomorphitarum & Anthropomorphistarum errores incidat. Denique hic conferi possunt, quae superius (§. 162.) contra *Spinosam* annotavimus, quod sacrae paginae non loquantur secundum opinionem, ignorantiam atque errores hominum.

§. 192.

Visus & auditus quo sensu Deo tribuantur,

Quoniam visus atque auditus in numero sensuum sunt (*Psychol. empir.* §. 68.). Sensus vero Deo tribuuntur sensu quodam improprio, sive per eminentiam (§. 189.) Deo quoque

que visus atque auditus per eminentiam tribui possunt.

§. 193.

Sensus per eminentiam Deo tributi, actum intellectus Divini denotant, quo omnia præsentia tanquam præsentia cognoscit (§. 190.). Quare cum & visus & auditus in sensuum numero sint (*Psychol. empir.* §. 68.); si uterque per eminentiam Deo tribuitur (§. 192.), nonnisi actum intellectus denotare potest, quo præsentia, adeoque actu existentia (*Theol. natur.* §. 228.), tanquam momento dato extra se actu existentia cognoscit. *Et quid significent.*

Enimvero nemo non novit, se visu cognoscere res extra se actu existentes quoad determinationes non minus intrinsecas, quæ dato momento insunt, quam mutuas relationes, quas ad se invicem habent; Auditu vero percipere sonos, &, quæ in eorum numero sunt, voces animantium, ac voces hominum diversimode modificatas, seu loquentium sermones. Quamobrem si visus & auditus per eminentiam Deo tribuuntur (§. 192.), visus denotare debet actum intellectus Divini, quo dato quovis momento res extra se actu existentes quoad determinationes intrinsecas præsentes, mutuasque, quæ tunc habent relationes ad se invicem, easque in universum omnes (*Theol. natur. parte II.* §. 70.), certo cognoscit.

Auditus autem denotare debet illum intellectus Divini actum, quo dato quovis momento, in mundo sensibili auditu perceptibilia cognoscit.

§. 194.

Quod ulterius confirmatur.

Patet hinc visum per eminentiam Deo tributum extendi etiam ad ea, quæ in se invisibilia sunt. Ex. gr. omnis substantia simplex, veluti anima nostra, invisibilis est per essentiam & naturam suam. Unde nemo hominum sensu percipit cogitationes alterius; sed eas demum ex actionibus externis visu perceptis ratiocinando conjectat. Etenim inter res actu existentes sunt etiam animæ nostræ, quarum ideæ dantur in intellectu Divino (*Theol. natur. parte II.* §. 97.), & quas Deus quoad essentiam, attributa & modificationes omnes possibiles quam distinctissime (§. 170. & 169.) atque simul cognoscit (§. 185.). Quamobrem cum is præsentia omnia tanquam præsentia cognoscat (§. 190.); animarum non minus cogitationes præsentes tanquam præsentes cognoscere debet. Unde, cum nos præsentia a nobis diversa, quatenus enti existenti actu insunt, non aliter quam visu percipere valeamus; Deo autem sensus per eminentiam tribuatur, quatenus actu intellectus præsentia tanquam præsentia cognoscit (§. 190.); quin visus per eminentiam ipsi tributus ad nostras quoque cogitationes præsentes extendendus sit, dubitari nequit. Ceterum hac vice sufficit proposuisse principia fœcunda, unde reliqua, quæ de sensibus Deo tributis, sua sponte fluunt, quæ, cum nostrum jam non sit theoriam sensuum Deo tribuendorum condere, ulterius non protendimus. Omnis denique sensus, in se spectatus, necessario defectum cognitionis involvit; ab eodem vero liberatus degenerat in actum intellectus sensu multo nobiliorem, qui ejus vicem in eo etiam casu supplet, quo in nobis deficit.

Nemo, obsecro, cogitet, nos jam a semita aberrasse, quod ea, quæ hucusque de sensibus diximus, non immediate ex sacris literis deduxerimus: Etenim id non egimus, ut ambages

bages quæramus, & ſupervacaneo labore multo verborum ambitu efficiamus id, quod brevibus, & quidem evidenter demonſtrari poterat: Adde, quod hæc ipſa demonſtratio ex S. S. deſumta ſit. Deum enim ſenſu carere, ex eo demonſtravimus, quod intellectus purus ſit (§. 187.); puritatem autem ipſius intellectus evictam dedimus ex eo, quod Deus omnia diſtincte, nihil vero confuſe cognoſcat (§. 181.). Porro ex locis claſſicis *Actor.* XV. 18, & *Hebr.* IV. 13. uberius probavimus hanc diſtinctam, omnisque confuſionis expertem repræſentationem omnium omnino rerum in intellectu Divino (§. 169.); ut adeo conſequentiis certis ex ipſa revelatione ſua ſponte fluentibus hanc ipſam demonſtrationem deſumtam eſſe, in aprico ſit; Conſequenter cenſura, quaſi hanc intellectus Divini perfectionem ex ſcriptura non demonſtraverimus, notari haud queamus.

Pſaltes ita de Deo loquitur *Pſalm* XCIV. 9. *Qui plantavit aurem, annon audiet? aut qui finxit oculum, annon cernet?* Ex contextu luculenter patet, reprehendi, qui Deum hominum actiones cognoſcere, diffitentur: *illi* enim *verſu* 7. introducuntur: *dicentes, non reſpicit Deus; neque animadvertit Deus Jacobi.* Nimirum, *quod viduam atque peregrinum interficiant, ac pupillos occidant,* uti *verſu* 6. itemque, *quod operam dent iniquitati,* uti *verſu* 5. dicitur. Hi a *Pſalmiſta* fortiter increpantur *verſu* 8. his verbis: *Animadvertite, o brutiſſimi in populo! O Stultiſſimi! quando intelligentes eritis?* Unde manifeſtum eſt, illos brutos atque ſtultos declarari, qui negant Deum omnes hominum actiones cognoſcere, ſive actum illum Divini intellectus, quo ea, quæ extra illum ſunt, cognoſcit. Cum porro *Deo omnia opera ſua nota ſint Actorum* XV. 18. Ita ut *nulla res creata ſit, quæ non manifeſta in conſpectu ipſius: immo* cum *omnia ſint nuda &*

intime patentia oculis ejus Hebr. IV. 13. In Divino igitur intellectu actus quidam esse debet, quo omnino omnia, ita ut nihil eorum, quæ extra illum sunt excipi possit, distincte cognoscat (§. 169.). Idem *Petrus* confirmat, quando Christo quærente, *num se amaret?* respondet, *Domine, tu omnia nosti, tu nosti, quod amem te. Joh.* XXI. 17. Itaque *Petrus* ex eo, quod Christus, quem Deum esse agnovit, omnia conoscere, concludit, illum non minus cognoscere, quod eum in præsenti amaret, & quidem eo ipso momento, quo eum rogabat, an amaret ipsum. Idem etiam manifestum est ex verbis *Jeremiæ cap.* XVIII. 23. ubi ait: *Tu Jehova, nosti totum consilium eorum contra me ad mortem*, sive, qui me interficere meditantur. *David* non minus de hoc Divini intellectus actu ita loquitur *Psalm* CXXXIX. 4, *ne verbum quidem in lingua mea; en Jehova tu nosti illud omne.* Ex his aliisque scripturæ dictis evidens est, **in Divino intellectu dari actum, quo Deus præsentia, sive actu existentia omnia tanquam momento dato extra se actu existentia cognoscit.** Et quia idem ad cogitationes omnes hominum refertur, merito concludimus, **hunc Divini intellectus actum se etiam ad omnes omnium hominnm cogitationes extendere.** Quoniam vero Deus sensu proprio sensus habere nequit (§. 187.); hic tamen actus inest intellectui Divino, qui supplet vicem sensuum nostrorum. **Scriptura sacra itaque sensus per eminentiam merito attribuit.**

De Deo *Psalmista* inquit *Psalm* XCIV. 9. *Qui plantavit aurem, annon audiet?* Adeoque in Deo, ejusque intellectu aliquid inesse supponitur, quod suppleat sensum auditus

ditus humani; Conſequenter **auditus Deo tributus denotare debet illum intellectus Divini actum**, quem jam modo ei attribui debere demonſtravimus. Cum porro de eodem dicatur: *aut, qui finxit oculum, annon cernet?* conſimiliter propterea, quod intellectui ipſius quid inſit, quod ſupplet ſenſum viſus hominum; **Deo viſus tribuitur per eminentiam** eo ſenſu, quo eundem ei tribui poſſe modo inculcavimus.

§. 195.

Oculus quo ſenſu Deo tribuatur.

Oculus, tanquam organum viſus (*Pſychol. empir.* §. 69.), organum ſenſorium eſt (*Pſychol. empir.* §. 66.). Quamobrem cum organa ſenſoria juxta S. S. Deo tribui nequeant niſi ſenſu quodam metaphorico (§. 143.); **nec oculus eidem niſi metaphorice tribui poteſt.**

Enimvero organum ſenſorium Deo metaphorice tribuitur, quatenus actus intellectus Divini præſentia tanquam præſentia cognoſcendi poſſibilis (§. 143 *& Theol. natur. parte II.* §. 163.), in quo ſenſus per eminentiam Deo competens teſte verbo revelato (§. 194.) conſiſtit. Quamobrem cum viſus per eminentiam Deo tributus denotet juxta S. S., actum intellectus Divini, quo res actu exiſtentes quoad determinationes intrinſecas, & mutuas ad ſe invicem relationes præſentes dato quovis momento cognoſcuntur (§. *citat.*); **oculus metaphorice juxta ſcripturam tribuendus, *per modo demonſtrata*, non tribui poteſt, niſi ad denotandam actus illius intellectus Divini poſſibilitatem, quo res actu exiſtentes quoad determinationes intrinſecas, & mutuas ad ſe invicem relationes præſentes dato quovis modo cognoſcit.**

§. 196.

§. 196.

Auris quo sensu Deo tribuatur. Auris, auditus organum (*Psychol. empir.* §. 70.). in numero organorum sensorium est (*Psychol. empir.* §. 66.). Ast organa sensoria Deo tribui nequeunt, nisi metaphorice ex mente revelati verbi (§. 143.). Quare **nec auris Deo nisi metaphorico sensu tribui potest.**

Organum sensorium Deo metaphorice tribuitur, quatenus actus intellectus Divini præsentia tanquam præsentia cognoscendi possibilis (§. 143. & *Theol. natur. parte II.* §. 163.), in quo sensus per eminentiam eidem tribuendus consistit (§. 194.). Quoniam itaque auditus per eminentiam Deo tributus juxta sacras paginas denotat actum intellectus, quo dato momento in mundo sensibili auditu perceptibilia cognoscit (§. *citat.*); **Auris juxta sacram scripturam metaphorico sensu eidem tribuenda,** *per modo demonstrata,* **non tribui potest, nisi ad denotandam actus Divini intellectus possibilitatem, quo dato quovis momento auditu perceptibilia cognoscit.**

§. 197.

Error refellitur. Ex his denuo manifestum est, **quantus sit error eorum, qui ajunt, Deum nihil singulare, sed omnia communiter, & ad captum, ignorantiam, immo errores hominum revelasse.** Conferantur ea, quæ supra (§. 162.) de hac re uberius annotavimus. **Qui Anthropomorphismum amplectuntur, non minus erroris sui redarguuntur.** Ceterum ex his iterum palam est consensus hujus veritatis, cum iis, quæ de figuris hieroglyphicis, per quas Deus repræsentari potest (§. 105.), diximus,

ximus, & de significatu, quo membra corporis humani Deo metaphorice in S. S. tribuuntur, demonstravimus (§. 108. & 109.); Ita ut autoritatem sacrarum literarum contra hostes magis magisque defendere valeamus.

§. 198.

Intellectus Divini summa perfectio.

Deus de se ipso prædicat, quod non sit ens simile sui, & quidem hoc probat etiam ab intellectu, quo futura, immo præsentia atque præterita cognoscit. Ita enim *Jes.* XLVI. 9. 10. *Recordamini priorum inde a Seculo (ab æterno), quod ego sim Deus fortis & non amplius Deus, & nullus sicut ego (nec est similis mei): Annuncians a principio ultima, & ab initio (antiquitate), quæ necdum facta sunt.* Ex vobis itaque ipsius Dei manifesto evidens est, eum sibi nullum agnoscere parem, nec Deum præter se solum dari asseverare, quoniam ipse solus sit, qui futura certo prædicere possit. Futura certo prædicare non posset, nisi ea cognosceret; Adeoque cognoscit Deus futura. Futura a Præsentibus differunt, quod illa aliquando extitura sint, cum hæc actu existant. Præterita vero a futuris, quod ipsa aliquando extiterint, nunc autem non amplius existant, cum hæc vicissim aliquando extitura sint (*Theol. natur.* §. 228.); Illa igitur, quæ jam præsentia sunt, antequam præsentia facta sunt, sive quondam futura fuerunt: Consimiliter quæ jam præterita sunt, tum temporis, quo ea, quæ jam præsentia sunt, adhuc futura erant, præsentia fuerunt, & si cogitationibus ascendis usque ad tempus, ubi adhuc nihil præter Deum actu existebat, omnia ea, quæ præter eum quovis tempore conceptibili extiterunt, existunt, vel extitura sunt, adhuc futura erant. Cum autem Deus de se affirmet, se omnia futura prædicere posse, & quidem ab initio, immo ab æterno; ergo & ab initio prædicere potuerat, quæ jam sunt præ-

sentia, eo tempore futura, & ab æterno, quæ jam a mundo condito nobis præterita sunt; Deus hinc, ipso teste, nobis futura, præsentia atque præterita omnia prædicere potuerat; Ecquis dubitare potest, Deum hæc omnia cognovisse? per consequens intellectus Divinus, qui omnia præterita, præsentia atque futura; adeoque omnia successiva; *per modo demonstrata;* distincte cognoscit (§. 169.); tantæ est perfectionis, ut distincte cognoscat cognoscibilia omnia. Quoniam igitur præter Deum non datur, nec dari potest ens eidem simile quoad intellectum, cum intellectus Divinus ad omnia cognoscibilia cognitione distincta sese extendat; *per demonstrata:* patet juxta sacram scripturam, non majorem conceptu possibilem esse intellectum, quam qui Deo competit, & eundem non competere, nisi Deo soli. Cum intellectus, qui omnia cognoscibilia; adeoque omnia possibilia distincte sibi repræsentat, perfectissimus sit (*Psychol. ration.* §. 647.); intellectus Divinus juxta sacras literas, immo, Deo teste, omnium perfectissimus est, sive eundem absolute consideres, sive respectu entium intelligentium aliorum, quæ existunt; quoniam intellectus Divinus omnia possibilia solus sibi distincte repræsentare potest.

§. 199.

Quæ hic notanda.

Patet itaque intellectum Divinum esse perfectissimum, sive eundem spectes respectu entium intelligentium aliorum, quæ existunt; quoniam is solus sibi omnia possibilia repræsentare potest. Eodem modo facile patet, intellectum Divinum esse perfectissimum absolute spectatum, non respectu ad aliorum entium intellectum habito. Neque enim perfectior concipi potest intellectus, quam qui possibilia omnia distin-

distincte sibi repræsentat. Quodsi urgeas simultaneitatem in repræsentando; id quidem intellectui Divino non obest, propterea quod in eodem omnia repræsentantur simul. Nimirum supra ex sacra scriptura demonstravimus, Deum totum hunc mundum distincte cognoscere, & quidem ita, ut nil quicquam nominari possit, quod confuse tantummodo sibi repræsentet, sed omnia ea distincte sibi repræsentat (§. 169); ut adeo simultanea omnia distincte sibi repræsentare debeat. Ac præterea (*Theol. natur.* §. 160.) constat, simultaneatatem in repræsentando cum repræsentatione prorsus distincta adeo connexam esse, ut a se invicem separari minime possint. Unde etiam ex definitione abesse poterat, nisi consultius duxissemus, majoris perspicuitatis gratia eandem inseri.

§. 200.

Ex verbis Psalmistæ *Psalm* CXLVII. 4. 5. luculenter patet, intellectum Divinum talem esse, qui omnia omnino genera innumerabilium sibi tam distincte repræsentet, quam pater liberos suos cognoscat; Adeoque eum sibi omnia possibilia distincte repræsentare (§. 172.). **Intellectus** autem major concipi nequit, quam qui sibi omnia possibilia distincte repræsentare valet; qui hinc **maximus**, seu **absolute summus** dicitur (*Psychol. empir.* §. 278.); **Psalmista** itaque **asseverat intellectum Divinum esse sua natura maximum, sive absolute summum, quo majorem concipere impossibile sit.** *Magnitudo intellectus Divini.*

Intellectus Divini magnitudo absolute summa etiam hoc modo demonstrabilis. Juxta sacram scripturam intellectus Divinus perfectissimus est (§. 196.). Intellectus vero perfectissimus, maximus omnium seu absolute summus est (*Psy-*

chol. ration. §. 648.): **intellectus adeo Divinus omnium maximus, seu absolute summus est.**

§. 201.

Quæ hic notanda.

Jam supra (§. 173.) monuimus locum ex Psalmis desumtum classicum esse, quando de incomprehensibilitate atque magnitudine intellectus Divini agitur. Quæ ibidem annotavimus, hic conferri possunt; ea vero non repetimus, quoniam ab omni repetitione alienum habemus animum. Ceterum notari meretur, quod absoluta Divini intellectus magnitudo etiam ex eo inferri possit, quod juxta revelationem prorsus illimitatus sit (§. 183.), cum repugnet illimitato concipi majus.

§. 202.

Intellectus Divinus actus est, non facultas.

Deus juxta revelationem omnia cognoscibilia actu unico, sive simul cognoscit (§. 185.); adeoque nulla ipsi possibilis est cognitio, quæ non actu in eodem detur. Quoniam itaque **facultas** cognoscendi est potentia activa (*Ontol.* §. 716.); atque adeo nonnisi agendi possibilitatem denotat (§. *citato*); **juxta revelationem in Deo nulla datur facultas cognoscendi; sed Intellectus purus actus est.**

Unde etiam dici solet, intellectum in Deo concipi non per modum potentiæ; sed per modum actus.

§. 203.

Ideæ rerum Deo essentiales sunt.

Deus *Jes.* XLVI. 9. 10. negat, præter ipsum adhuc esse Deum alium, propterea quod ens ipsi simile non existat: id quod inter alia inde probat, quod nullum detur ens, cui istiusmodi intellectus competat, qualis est Divinus. Disertе enim: *Ego*, inquit, *sum Deus fortis, & non amplius Deus est.* En duas propositiones, alteram affirmativam: *Ego sum Deus,*

Deus, alteram negativam: *Nullum entium ceterorum, quæ existunt, Deus est.* Utraque propositio probatur, dum addit: *Non est mei simile.* Cum enim species sint similitudo individuorum (*Ontol.* §. 233.); adeoque notio speciei ea contineat, quæ individuis, seu entibus singularibus pluribus communia sunt (*Ontol.* §. 195.); Negat Deus dari notionem quandam communem, quæ simul ipsi & enti cuidam alteri præter ipsum conveniat; Consequenter definitionem Dei solummodo competere sibi, non vero adhuc alteri enti cuidam, quod existit (*Logic.* §. 152.). Nititur adeo Dei ratiocinium illa regula, quæ sub dicto de omni & nullo comprehenditur: cui competit definitio, eidem competit definitum: Et cui definitio non competit, ei nec definitum competit (*Logic.* §. 349.). Ulterius probat, sibi convenire definitionem Dei, non vero eandem præterea convenire enti cuidam alteri, dum pergit: *Annuncians a principio ultima, & ab initio, quæ necdum facta sunt* &c. Etenim sibi convenire affirmat, quod negotii alicujus exitum, quam primum incipit, palam facere, & quæ olim ventura sunt prædicere possit; Consequenter intellectum, qui universam rerum seriem intime perspicit; negat autem enti cuidam alteri similem intellectum competere. Hunc adeo intellectum in numerum notarum refert, quibus Deus ab entibus intelligentibus quibuscunque ceteris distinguitur. Quoniam itaque definitiones specierum enumerant essentialia, per quæ determinantur (*Logic.* §. 172.), nec definitiones aliæ, in quibus in locum essentialium surrogantur ab essentialibus diversa, quæ rebus insunt, admittuntur, nisi essentialibus ignoratis (*Logic.* §. 180. sqq.), id quod de Deo dici repugnat; istiusmodi intellectus, quo tota rerum series distincte percipitur, inter determinationes Dei essentiales referri utique debet. Ve-

rum enim vero cum intellectus Dei sit purus actus (§. 202.); absque ideis rerum, quæ in ipso sunt, esse nequit, immo ne concipi quidem potest. Quamobrem **ideæ rerum cum intellectu Divino Deo essentiales sunt, seu intellectui ipsius per naturam suam insunt ideæ omnium omnino rerum materialium, quibus totam rerum seriem distincte percipit.**

§. 204.

Quæ hic notanda.

Nimirum Deum non licet percipere sine intellectu; consequenter sine ideis rerum: quemadmodum triangulum concipi nequit sine numero ternario laterum, vel circulus sine æquali distantia singulorum punctorum in peripheria a centro. Tolle enim ideas rerum; evidens est ipsum tolli intellectum (§. 130.); Consequenter ens a se, quod concipis, non amplius erit Deus. Obiter præterea observamus ex demonstratione propositionis præsentis patere, quod ad vim ratiociniorum in sacra scriptura latentium percipiendam prosint principia veriorıis Logicæ, quæ adeo inviolabilia sunt, ut Deus ipsemet ea sancte observet. Elucet quoque ex propositione præsente principiorum Ontologicorum necessitas, ut per consequentiam ex verbis sacræ scripturæ eruantur, quæ in iisdem veluti abscondita latent, atque decidantur scripturæ menti conformiter quæstiones, quæ ex ea decidi posse primo intuitu vix ac ne vix quidem apparet. Ceterum necesse erat, idearum necessitatem sacræ scriptutæ conformem demonstrare, propterea quod hodie multi, *Cartesianos* secuti, ideas arbitrarias defendunt. Illam utut a Theologis constanter admissam, quamdiu philosophandi libertas in scholis erat strictior, religioni adversam pronunciare non verentur, nos vero ad eam defendendam utamur, ubi difficul-

difficultates idearum arbitrariarum patronis insuperabiles videntur.

§. 205.

Arbitrariæ ideæ rejiciuntur.

Pone ideas rerum esse arbitrarias. Sunt igitur tales, quia Deus eas voluit esse tales, & insunt intellectui Divino, quia Deus eas inesse voluit; consequenter non repugnat, cum voluntas Dei possibile quid efficere posse supponatur, ut aliæ inessent intellectui Divino ideæ, quam quæ insunt. Quoniam itaque in intellectu non insunt omnia simul, quæ per eum possibilia sunt; intellectus Divinus non est infinitus (*Ontol.* §. 838.); adeoque nec illimitatus (*Theol. natur.* §. 173.). Quod cum sit absurdum, sacrisque literis contrarietur (§. 183.); **ideas rerum non esse arbitrarias, fatendum est etiam juxta sacram scripturam.**

Idem etiam sic demonstrabile. Nemo non concedit, ea, quorum ideæ in intellectu Divino dantur, esse possibilia. Sed hæc a contradictione libera sunt (*Ontol.* §. 85.). Quodsi ergo ideæ rerum tales sunt, quia Deus eas tales esse voluit; ea, quæ insunt ideis rerum, sibi mutuo non repugnant; vel quia Deus voluit, ne sibi mutuo repugnent, repugnatura utique, si voluisset Deus; vel quia Deus non potuit velle, quæ sibi mutuo repugnant. Si ponas posterius, admittendum est, quædam esse possibilia, antequam Deus ea velit; Consequenter ut velle possit, eodem ipsi cognita esse. Admittendæ igitur ideæ possibilium in Deo, antequam in eodem dantur, quod absurdum, vel antequam vult, ut sint; adeoque non sunt tales, quia Deus esse vult tales, quod hypothesi idearum arbitrarium repugnat. Si sumas prius, nimirum a voluntate Dei esse, ut quædam sibi mutuo non repugnent, repugnatura sibi invicem, si quidem Deo aliter visum fuisset; in se spectata eadem & repugnare sibi invicem,

&

& non repugnare possunt; consequenter possibile erit, ut idem simul sit & non sit: quod esse absurdum, nemo non fateri cogitur, nisi insanire velit. Patet itaque ideas rerum esse debere in intellectu ipsius antequam supponi possit, Deum velle ut insint; atque adeo per naturam intellectus Divini esse tales, nec demum tales voluntate Numinis fieri.

Idearum arbitrariarum impossibilitatem, quæ utique ex illarum necessitate atque immutabilitate per modum corollarii inferi potuisset, prolixius ea propter adstruximus; quia *Cartesius*, eumque secutus *Petrus Poiret* in cogitationibus rationalibus de Deo, homine & malo *lib.* 3. *cap.* 10. eas acriter defendit: immo hodienum haud paucos nacti sunt sectatores. *Cartesius* in responsionibus sextis adversus *Mersennum* §. 6. & 8. contendit: *Deum indifferentem fuisse non tantum ad omnes res extra se, sed & ad omnium rerum ideas; adeo ut nullum bonum, nullum verum, nihil quod credendum, faciendum vel omittendum sit, fingi possit, cujus idea in intellectu Divino prius fuerit, quam ejus voluntas se determinavit ad efficiendum, ut id tale esset.* Ratio, quæ multis evidens atque prægnans videtur, hæc est: Quod durum sit statuere aliquid immutabile & æternum præter Deum? Etsi enim repræsentet res, quæ præter Deum existere possunt; non tamen ideo quicquam Deo coæternum existit. Et quamvis ideæ rerum sint immutabiles & necessariæ; minime tamen exinde sequitur, res iis respondentes esse immutabiles & necessarias, cum in ideis immutabilibus atque necessariis tanquam mutabiles atque contingentes exhibeantur: aliud enim est possibilitas existentiæ rei, aliud ipsa existentia, neque sane sapiens a possibilitate existentiæ ad ipsam existentiam, seu a posse ad esse concludit. Unde sane *Cl. Pungelerus*, Theologiæ & Historiæ Sacræ ante aliquot annos Professor in Athenæo Herbornensi, in dissertatione de

rerum

rerum possibilium ideis in Deo, quam *Poireto* opposuit *cap.* 3. *pag.* 53. *Cartesio* non inepte respondet, quæ ipse in responsionibus quintis *num.* I. *Gassendo* eandem rationem adversus ipsum urgenti regerit: *Quod vero ais, tibi durum videri, statuere aliquid immutabile & æternum præter Deum, merito sic videretur, si de re existente quæstio esset, vel tantum, si quid ita immutabile statuerem, ut ejus immutabilitas a Deo non penderet.* Et quamvis *Poiretus* affirmet, ideas necessarias Scholasticos conjecisse in errores inextricabiles; contrarium tamen suo constabit loco, ubi non minus hujus propositionis insignis usus patebit.

§. 206.

Quod Deus seipsum distincte cognoscat, ex ipsius verbis patet, dum dicit *Jes.* XLVI. 9. 10. *Ego sum Deus fortis, & non amplius Deus est, nec est mei similis.* Deus ibi asserit, primo *se esse Deum fortem*, deinde *quod præterea Deus non sit alius*, & denique nullum propterea præter ipsum Deum esse, quod *nemo ipsi sit similis.* Qui novit, quale ens sit, seu sibi competere definitum, ille etiam nosse debet notas definitionem ejusdem entis ingredientes (*Logic.* §. 349.). Qui præterea novit, non esse ens aliud sui simile, ille differentiam illius entis a ceteris omnibus perspicere debet (*Ontol.* §. 195. 211.). Deus igitur cognoscit ea, quæ ipsi insunt, & quibus a rebus omnibus ceteris differt (*Logic.* §. 79.). Immo cum *versu* 10. *& seqq.* enumeret, quibus differat ab entibus aliis, & quænam sint illa, quæ ipsi soli propria, scilicet quod exitum negotiorum præsignificare, olim ventura prædicere, quicquid vult, facere possit, & quænam alia his gemina sunt; Deus, ipso asseverante, semetipsum distincte cognoscit (*Psychol.-empir.* §. 38.), sive ea

Deus semetipsum cognoscit.

omnia distincte cognoscit, quæ sibimetipsi insunt, & quibus a rebus omnibus ceteris differt.

§. 207.

Quæ hic notanda.

Ex demonstratione hujus propositionis luculenter patet, quam naturaliter & minus coacte ex dicto hoc apud *Jesaiam* probetur, Deum semetipsum cognoscere, modo principiis logicis imbutum habeas animum, ubi idem per te observare volueris. Atque adeo porro liquet, principia philosophica, ipsa etiam logica, augere acumen, ne scripturam legentis attentionem effugiant ea, ad quæ vulgo animus non advertitur.

§. 208.

Deo competit historica cognitio omnis.

Deo in S. S. cognitionem factorum tribui, adeo notum est, ut id probare velle, supervacaneum merito habeatur. Immo si quis eandem legit, is animadvertet, nullum occurrere facti genus, cujus notitia non tribuatur Deo. Verum enim vero cognitio factorum **cognitio historica** nuncupanda est (*Theol. natur.* §. 252.). Adeoque **Deo, præeunte revelatione, cognitionem historicam merito attribuimus.**

Ut vero appareat juxta S. S. nihil factorum cognitioni historicæ Divinæ esse subducendum, idem in eorum gratiam, quorum attentio haud raro desideratur, omnino edisserendum paulo uberius. Docente Christo *Matth.* X. 29. 30. Deus novit, nullum passerculum humi cadere ipso inscio: eidem porro perspectum est, quot sint capilli capiti nostro; Consequenter novit, quod unus eorum evulsus sit, qui antea aderat. Loquitur Christus de passeribus tanquam de re vili & abjecta. Quærit enim: *Nonne duo passeres asse veneunt, & unus eorum non cadet humi sine Patre vestro?* & mox

versu

verſu 31. addit, auditores ſuos allocutus: *multis paſſeribus meliores vos eſtis* (*præſtatis*). Immo *verſu* 30. *ad capillos omnes capitis noſtri* provocat, tanquam rem magis adhuc abjectam, cui nullum ſtatuitur pretium (§. 170.), quale tamen paſſerum eſt, etſi vile. Quamobrem patet, Deo hic vindicari cognitionem hiſtoricam factorum viliſſimorum, cum providentia Divina, quæ a Chriſto circa res viles, immo viliſſimas occupata, ibidem urgetur, absque hiſtorica cognitione concipi non poſſit, ſed hanc utique neceſſario ſupponat. Quoniam itaque Chriſto Doctore nullum factum, qualecunque tandem illud ſit, exiſtimari debeat adeo vile atque abjectum, ut ejus cognitio Deum dedecere judicetur; **juxta mentem Salvatoris hiſtorica Dei cognitio, quæ eſt factorum** (*Theol. natur.* §. 252), **ad omnia promiſcue facta, nequidem abjectiſſimis exceptis, extendenda venit.**

§. 209.

Veritas hæc ab omni exceptione liberatur.

Ex verbis Redemtoris noſtri luculenter patet, quousque ſe extendat cognitio hiſtorica Divina: Exemplo enim paſſerum humi cadentium & capillorum a Deo numeratorum, qui Deo inſcio nec ſponte ſua excidere, nec evelli poſſunt; adeoque factorum rerum viliſſimarum atque abjectiſſimarum docemur, Divinam cognitionem hiſtoricam ſeſe extendere ad facta rerum ceteris omnibus adhuc magis vilium & abjectarum; ut adeo illi exemplo Chriſti diſcant, ſapiantque, qui abjecte de Dei cogitatione ſentiunt, quique non ex notionibus determinatis, ſed vocum etymologia, fallaci adumbratione quadam notionum confuſarum, earumque per inconſtantiam loquendi vagarum, perfuſa de rebus judicant, mox reprehenſuri talia de Deo demonſtrari, quæ ipſum, ex

minimo modulo attentionis ad verba scripturæ, parum decere somniant. Ceterum usus insignis hujus veritatis palam erit in Theologia morali, ubi necessitas patebit, distinctius nosse, nullum concipi posse cognitionis genus, quod Deo non sit tribuendum gradu absolute summo.

§. 210.

Deus est historicus summus.

Deus Christo docente omnem habet cognitionem historicam (§. 206.). Quamobrem cum **historicus** sit, cui est cognitio historica (*Theol. natur.* §. 254.); nec major concipi possit historicus, quam cui omnis cognitio historica est, seu qui omnia novit facta possibilia, ita ut abjectissimæ nequidem res excipiantur (§. 208.); **Deus, Christo docente, historicus absolute summus est.**

§. 211.

Veritas vindicatur, & ab exceptionibus liberatur.

Recordatus eorum, quæ jam modo (§. 209.) annotavimus, cave, ne nomen Historici Deo indignum pronuncies, propterea quod homines Historici nomine insignire solent. Intellectus nomen tribuitur facultati nostræ cognoscitivæ, quatenus distincta est cognitio (*Psychol. empir.* §. 275.). Ecquis vero est, qui ideo indignum Deo judicet, si ipsi tribuatur intellectus, sit ita intellectum Divinum ab humano tantundem differre, quantum differt cognitio Dei historica a cognitione historica hominum? Nonne Deus vocari solet *Architectus* summus, nobis vernaculo sermone **der gröste Baumeister:** Etenim *Hebr.* XI. 10. dicitur: *Expectabat enim* (scilicet *Abrahamus*) *civitatem illam habentem fundamenta, cujus* τεχνίτης καὶ δημιουργὸς *Deus.* Quod *Lutherus* ad rem attendens bene reddit: **dann er wartete auf eine Stadt, die einen Grund hat, welcher Baumeister und Schöpffer GOtt ist.** Nemo iraſcitur, Deum

Deum dici Architectum, etsi Architectorum nomen tribuatur hominibus, quorum architectonica scientia ab ea, quæ Deo est, tantundem differt, quantum cognitio historica hominum a cognitione historica Divina. Deo omnem historicam cognitionem, quæ dari potest, tribuendam esse, Christo Doctore, ecquis negare ausit (§. 208.)? Cum igitur ipsi competant ea, quæ definitionem Historici ingrediuntur (§. 210. & *Theol. nat.* §. 254.), quæ ratio est, quare non ipsi etiam tribuatur definitum, everso omni ratiocinandi fundamento (*Logic.* §. 349.)? Si res, quæ nomine indigitatur, Deum non dedecet, nec potest dedecere nomen, quod rei illius signum esse constat (*Logic.* §. 36. & *Ontol.* §. 952.). Unum idemque est, sive dicas Deum esse Historicum absolute summum, sive affirmes, Deo omnem esse cognitionem historicam propriam, quæ concipi potest, aut factorum omnium, quotquot concipi possunt, notitiam competere, cum voce Historici non aliud significetur. Ergo idem efferre verbis multis licet, quod paucis aut vocabulo unico indicare nefas videtur. Suo, quo superbiunt, acumine abundent, qui ita nugantur. Ceterum ex dictis abunde patet, a sacra scriptura minime abhorrere Deum salutari summum Historicum, ita ut, si quis vel ex Christo ipso quæsivisset, quinam sit Historicus absolute summus; is non aliter respondisset, quam Deum eundem esse. Immo quemadmodum idem affirmabat *Matth.* XIX. 17. *Neminem esse bonum, nisi unum (solum) Deum:* Ita citra omne dubium ipsius stylo dicendum: neminem esse Historicum, nisi Deum, quatenus nomen hoc ex omni parte tueri nequit quis, nisi Deus solus.

§. 212.

Qualis cognitio Deo sit attribuenda.

Ex eo, quod Deus homini aures & oculos dedit, infert Psaltes *Psalm* XCIV. Deum esse conscium eorum, quæ visu & auditu percipiuntur. *Qui plantavit*, inquit, *aurem non*

audiet? aut qui finxit oculum, non intueatur (cernet)? Deus nimirum juxta ſacras paginas corporeus eſſe nequit (§. 88.); nec organa corporea, qualia ſunt oculi & aures, tribui ipſi poſſunt (§. 143.). Jam cum porro experientia edoceamur, non modo nos videre non poſſe ſine oculis, nec audire ſine auribus, verum etiam animantia non videre absque oculis, nec audire absque auribus; facile hinc naturæ Divinæ non ſatis gnarus inferre poterat, Deum non poſſe videre, nec audire. Immo cum abſurditatis redarguat Pſalmiſta tam turpiter errantes, & hunc ipſis errorem interrogando exprobret; dubitandum vix videtur, fuiſſe ipſius tempore forſan haud paucos, qui ſibi perſuaſere, Deum non conſcium ſibi eſſe eorum, quæ homines loquuntur vel agunt. Oſtendit itaque, quod hæc argumentatio a Divina ſcientia, vel potius ejus modo ducta, oppido fallat, ab hominibus vero, & omni animantium genere deſumta, rite procedat. Nimirum concedendum eſt, *Deum, qui creavit hominem Gen.* II. 7. eſſe factorem oculorum atque aurium; Conſequenter homini dediſſe facultatem videndi objecta, quæ oculos feriunt, & facultatem audiendi ſonos, qui in aurem illabuntur. Quoniam itaque Deus condere potuit homines beneficio viſus ſibi præſentia cognoſcentes, & ſonos auxilio auditus percipientes; quin ipſemet quoque viſibilium & audibilium ſibi conſcius eſſe debeat, dubitandum non eſſe, videtur Pſalmiſtæ. Etenim ſi Deo perſpectum fuit, quomodo efficere poſſit, ut alii videant viſibilia, audiantque ſonos quoscunque; modus quoque non impoſſibilis cenſeri debet, quo ipſemet ea cognoſcit, quæ viſu atque auditu ab homine percipiuntur. Ex eo igitur, quod homini videndi facultatem conceſſit Deus, juxta ſacras literas infertur, Deo competere cognitionem viſibilium, & inde, quod homini facultatem dedit audiendi, juxta easdem recte colligitur, Deum cognoſcere

scere ea, quæ auditu percipiuntur. Quamobrem, quoniam nulla homini est cognoscendi facultas, quam docente scriptura non habeat a Deo: Etenim *Paulus* I *Corinth.* IV. 7. diserte affirmat: *nos nihil habere, quod non acceperimus a Deo.* Cum hoc in genere dictum ad omnia specialia, quæ sub genere continentur, extendi possit, contendimus; **Deo juxta scripturam eorum cognitionem, quorum cognoscendi facultas in homine datur, summo jure tribuendam esse.**

§. 213.

Usus hujus propositionis.

Propositionem hanc instar lemmatis præmittimus, ut demonstrare valeamus, Deo juxta sacram scripturam tribuendam esse rationem, & qualis illa sit, quæ eidem attribuenda. Nullibi quidem in sacris literis legitur, Deo competere rationem, vel eundem ratione præditum esse; ut hinc nobis tantum in præsenti evincendum sit, rationis vocabulum in sacris paginis eodem sumi sensu, quo idem de Deo accipiendum est. Nec ullibi disertis docetur verbis, Deum veritates universales cognoscere omnes, eorundemque nexum intime perspicere; ut hinc inferre liceret, juxta revelationem Deo hanc, nec aliam esse tribuendam rationem, eidem convenientem atque dignam. Per consequentiam igitur ex scripturæ principiis restabat, ut demonstraretur, rationem, & quidem hanc Deo competere.

§. 214.

Ratio Deo tribuenda.

Anima per essentiam & naturam suam rationalis est (*Psychol. ration.* §. 454.); Adeoque ad nexum veritatum universalium perspiciendum apta (*Psychol. ration.* §. 451). Immo a posteriori constat, hominem nexum veritatum universalium perspicere posse: Id quod vel sola probat Matheſis, probat philosophia intellectu systematico conscripta, ubi

ubi veritates universales inter se concatenantur. Jam vero Deo juxta sacram scripturam tribuenda est cognitio eorum, quorum cognoscendorum facultas homini competit (§. 212.). De Deo igitur juxta sacras literas affirmandum, quod veritates universales cognoscat, earundemque nexum perspiciat. Quamobrem cum facultas perspiciendi nexum veritatum universalium sit ratio (*Psychol. empir.* §. 483.); evidens est, **juxta sacras paginas Deo tribuendam esse rationem, qua nexum veritatum universalium perspicit.**

Poterat idem hoc quoque modo ostendi. Deus juxta S. S. totum sibi repræsentavit mundum ab æterno, & quidem omnia, quæ in eo sunt, distincte, nihil confuse (§. 169.). Quamobrem cum mundus rationalis intelligibili & sensibili totus sit immersus (*Theol. natur.* §. 260.); Deus quoque, scriptura non invita, ab æterno sibi repræsentasse dicendus est omnem mundum rationalem, & omnia, quæ in eo sunt, distincte, nihil confuse. Jam vero mundus rationalis omnes veritates universales continet (*Theol. natur.* §. 263.), & hæ inter se connexæ sunt (*Theol. natur.* §. 271.). Deus itaque juxta sacram scripturam ab æterno cognovit omnes veritates universales, earundemque nexum intime perspicit; Consequenter, quoniam facultas perspiciendi nexum veritatum universalium ratio est (*Psychol. empir.* §. 483.), & nos vocabulum hic in eodem significatu sumimus, quando Deo rationem tribuimus; **juxta sacras literas Deo tribuenda prorsus est ratio, qua nexum veritatum universalium perspicit.**

§. 215.

Ulterius vindicatur. Demonstratio, quam priori loco collocavimus, nobis potior visa est, propterea quod modus argumentandi ex ipsis sacris

sacris literis desumtus. Quemadmodum enim in scriptura dicitur, qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non cernet? aut num quid habetis, quod non accepistis? ita quoque eidem convenienter dici potest: qui rationis autor est, nonne veritatum universalium nexum perspiciet? Omnes istæ, & si quæ his geminæ sunt collectiones continentur sub lemmate generali, quod jam (§. 212.) præmisimus, Ipsum vero lemma, & ejus ad rationem, Deo vindicandam, applicatio singulare exemplum interpretationis extensivæ est. Quodsi vero quis fuerit scrupulosior, quam ut interpretationem extensivam verborum Davidis & Pauli admittere velit, in ejus gratiam addidimus demonstrationem alteram, qua communi argumentandi more, ex principiis antea demonstratis infertur conclusio.

§. 216.

Deus totum sibi repræsentat mundum ab æterno; & quidem omnia, quæ in eo sunt, distincte, nihil vero confuse (§. 169.). Quamobrem cum mundus rationalis mundo intelligibili, quem Deus sibi repræsentat (*Theol. natur.* §. 205.), totus sit immersus (*Theol. natur.* §. 260.); Adeoque eidem inexistat (*Theol. natur.* §. 259.); Scripturæ sacræ conforme est, quod Deus totum mundum rationalem ab æterno cognoscat, prorsusque distincte, eo quidem sensu, quo vocabulum mundi rationalis accipiendum (*Theol. natur.* §. 258.), Deoque ejus cognitionem solidissime vindicavit *Cl. Wolfius* (*Theol. natur.* §. 262.). Enimvero mundus rationalis omnes veritates universales continet (*Theol. natur.* §. 263.), & hæ inter se connexæ sunt (*Theol. natur.* §. 271.); Deus itaque juxta sacras literas veritatum universalium omnium nexum perspicit. Quoniam autem ratio major concipi nequit, quam cujus vi omnium veritatum uni- *Magnitudo rationis Divinæ.*

 versa-

versalium nexus perspicitur, si objectum spectes (*Psychol. empir.* §. 488.); Objective quoque, juxta revelationem, ratio major concipi nequit, quam quæ Deo propria est. Porro juxta sacras literas Deus omnia cognoscit simul (§. 185.), quæ scilicet ipsi cognitu possibilia sunt. Quamobrem juxta eandem veritatum quoque omnium universalium nexum uno obtutu comprehendere debet (*Theol. natur.* §. 275.). Quoniam vero ratio major concipi nequit, quam cujus vi veritatum omnium universalium nexus simul seu actu unico perspicitur, si eam formaliter consideres, seu quoad cognoscendi modum (*Psychol. empir.* §. 489.); formaliter quoque major juxta scripturam concipi nequit ratio, quam quæ Deo est, Ratio spectari nequit nisi quoad objectum & modum considerandi objectum, seu objective atque formaliter. Quamobrem cum sacris literis convenienter Deo sit tribuenda ratio absolute maxima, sive eam objective, sive eandem formalem spectes, *per demonstrata;* quin eidem juxta scripturam tribuenda sit simpliciter ratio absolute maxima, qua omnium veritatum universalium nexum simul, seu actu unico perspicit, dubitari nequit.

§. 217.

Quæ hic notanda ad veritatem vindicandam, errоresque refellendos.

Nemo miretur, nos in probanda conformitate magnitudinis rationis Divinæ cum sacra scriptura ad nullum locum sacrarum paginarum provocasse. Diximus enim paulo ante (§. 213.) in sacris literis nullibi rationem expressis verbis tribui. Quamobrem per consequentiam ex aliis, quæ in iisdem leguuntur, probanda veniunt, quæ ad rationem Divinam spectant. Sufficit itaque, ut in demonstrationibus, assumatur aliquod principium, quibus ratio, eaque absolute summa

ſumma Deo vindicatur, quod autoritate Divina nititur, quemadmodum a nobis hac propoſitione factum. Reddetur autem deinceps ſuo loco ratio, cur Deus non revelaverit, quæ ex iis, quæ revelata ſunt, per conſequentiam facile deduci poſſunt.

Ceterum notari meretur, nos ſupra (§. 163.), Deum ratione præditum eſſe, ex natura ipſius ſpirituali probaviſſe. Jam vero idem per conſequentias veritatum ex revelatione deſumtarum demonſtravimus ex ipſa rationis definitione (§. 214.): quæ ſua utilitate non deſtituitur. Nimirum inde evidens eſt, Deum ratione, & quidem abſolute maxima (§. 216.) præditum eſſe. Immo hoc modo clariſſime patet, Deo tribui rationem eodem ſenſu, quo homini tribuitur: uti intellectus atque voluntas Dei eodem ſenſu Deo tribuitur, quo homini adſcribitur. **Cum abſonum ſit, ne quid gravius dicam, reprehendere quidpiam, quod Deo convenit; rationem humanam reprehendi minime poſſe, nec recte tanquam noxiam traduci, liquido conſtat.**

§. 218.

Limitum remotio a ratione Divina, ejusque infinitudo.

Juxta S. S. ratio Divina eſt abſolute maxima, ſeu maxima, quæ concipi poteſt (§. 216.). Jam cum ratio illimitata omnes reſpuat limites, ſive quoad objectum, ſive quoad modum conſiderandi objectum. Nec non ratione infinita omnium veritatum nexus perſpiciantur ſimul (*Ontol.* §. 838), nemo negaverit, rationem prorſus illimitatam & infinitam eſſe eam, qua major dari nequit. Quoniam itaque ratio illimitata & infinita, quam ex natura Dei fluere, Philoſophorum Princeps *Cl. Wolfius* demonſtravit, quod poſſibilis ſit (*Theol. natur.* §. 280. 281.); major utique ratio illimita & infinita

infinita concipi nequit. Deo igitur juxta sacras paginas ratio illimitata & infinita tribuenda venit, qua major concipi nequit.

Idem etiam sic ostenditur. Juxta sacras literas intellectus Divinus illimitatus & infinitus est (§. 183). Verum enim vero intellectus infinitus & illimitatus omnia possibilia distincte atque simul repræsentat, utpote omnes respuens limites tum quoad objectum, tum quoad modum repræsentandi objectum (*Ontol.* §. 796. 838.), universalia vero, eorundemque nexus cognoscuntur, dum singularibus inexistentes determinationes ad se invicem referunt (*Theol. natur.* §. 275.); intellectus Divinus sufficit ad universalium omnium, eorundemque nexum perspiciendum unico actu. Quoniam itaque ratio Divina, nec quoad objectum, nec quoad modum cognoscendi limitatur, ac unico actu absolvitur; utique & illimitata (*Ontol.* §. 796.), & infinita est (*Ontol.* §. 838.).

Immo propositio præsens non minus hoc modo probari potest. Nimirum quod ex demonstratione, qua Deo juxta sacras paginas vindicavimus rationem absolute maximam (§. 216.), pateat, rationem absolute maximam respuere limitem, & unico absolvi actu; Consequenter eandem & illimitatam (*Ontol.* §. 796.), & infinitam esse (*Ontol.* §. 838.).

§. 219.

Quæ hic notanda. Notandum in genere est, quando quid ex scriptura per consequentiam deducendum, idem non uno, sed pluribus modis fieri posse, quando varia prostant de eo, quod inde colligendum, principia, quemadmodum in præsente casu obtinet. Ceterum cum Deo sacris literis convenienter tribui queat ratio prorsus illimitata & infinita eo sensu, quo erat ipsi

ipsi asserta; cetera quoque, quæ de eadem demonstranda, juxta sacras paginas eidem non minus convenire debent. Ex his vero evidens differentia, quæ intercedit rationem Divinam inter atque humanam, quod posterior valde limitata sit, prior e contra sua natura limites omnes prorsus respuat.

§. 220.

Ratio Divina est incomprehensibilis.

Ens rationale finitum non omnium veritatum universalium nexum, quem actu perspicere valet (*Psychol. empir.* §. 483.), simul perspicit (*Ontol.* §. 837.). Quamobrem cum non habeat ideam rationis, nisi quatenus sibi sui ipsius est conscium (*Psychol. ration.* §. 12.); ideam non habet claram nisi actus successivi perspiciendi nexum veritatum universalium. Verum enim vero Deus omnes veritates universales simul cognoscit (*Theol. natur.* §. 273.); adeoque unico actu, & nexum earundem intuetur (*Theol. nat.* §. 272.) S.S. consentiente (§. 216.). Ens adeo rationale finitum, consentientibus sacris literis, non habet ideam istiusmodi actus, quo ratio Deo tribuenda absolvitur (*Psych. empir.* §. 483.), consequenter, rationem divinam sibi repræsentare nequit, nedum distincte (*Psych. empir.* §. 38.). **Ratio igitur Divina, consentiente scriptura, omni enti rationali finito est incomprehensibilis, quatenus illud sibi modum, quo Deus omnes veritates universales simul cognoscit, & unico actu earundem nexum intuetur, minime clare repræsentare valet.**

Idem etiam sic ostenditur. Quoniam ens rationale finitum non habet ideam rationis, nisi quatenus sui est conscium (*Psychol. ration.* §. 12.); non aliam nisi rationis finitæ ideam habet. Jam vero juxta sacras literas ratio Divina infinita est (§. 218.). Ens adeo rationale finitum non habet ideam rationis, qualis in Deo datur; Consequenter eandem

sibi repræsentare minime valet (*Psychol. empir.* §. 48.). Quoniam itaque enti intelligenti incomprehensibile est, cognoscibile, si modum, quo esse potest, sibi minime repræsentare valet (*Theol. natur.* §. 170.); **ratio Divina juxta sacras literas omni enti rationali finito incomprehensibilis est.**

§. 221.

Cur ratio Divina homini incomprehensibilis, & quid inde sequatur.

Nemo non novit homini, impossibile esse, ut veritatum omnium nexum perspiciat, multo minus autem fieri posse, ut eandem uno obtutu comprehendat. Quamobrem cum ratio sit facultas veritatum universalium nexum omnem simul perspiciendi (*Psychol. empir.* §. 483.); & Deo juxta S. S. veritatum universalium nexum simul intuenti (§. 216. & *Theol. natur.* §. 272. 273.), ratio multo major sit; ratio humana admodum limitata est (*Ontol.* §. 825.); Adeoque finita (*Theol. natur.* §. 173.). Enimvero ratio Divina omni enti rationali finito incomprehensibilis est juxta S. S. (§. 220.). **Ratio igitur Divina juxta scripturam homini incomprehensibilis est.**

Ceterum, quæ de incomprehensibilitate intellectus Divini supra (§. 173.) annotavimus, ea non minus ad incomprehensibilitatem rationis Divinæ applicanda veniunt, ac applicari debent, **ne quis ex incomprehensibilitate Divinæ rationis perperam inferat, quasi ens rationale finitum nullam prorsus habeat rationis Divinæ ideam.** Eam enim habet, quæ sufficit, ut intelligat rationem Divinam non esse terminum inanem, nec Deo tribui, quod impossibile, dum ratio infinita & illimitata, scriptura approbante, vindicatur.

§. 222.

§. 222.

Deus omnes veritates universales simul cognoscit (*Theol. natur.* §. 273.), earundemque nexum intuetur (*Theol. natur.* §. 272.). Quamobrem cum ratio entis intelligentis in eo consistat, ut nexum veritatum universalium perspiciat, seu intueatur (*Psychol. empir.* §. 483.), nihil vi rationis in Deo possibile est, quod non actu in eodem constanter detur. Quamobrem cum facultas sit potentia activa (*Ontol.* §. 716.); Adeoque de ratione sumta, nonnisi nexum veritatum universalium possibilitatem denotat (§. *citat.*); **ratio divina non est facultas, sed purus actus.** *Ratio Divina actus est, non facultas.*

§. 223.

Dici etiam solet, rationem in Deo concipi non per modum potentiæ, sed per modum actus. Id vero ab infinitudine Divinæ rationis, paulo ante per legitimam consequentiam ex sacris literis deductam (§. 218.), evicta pendet (*Ontol.* § 838.), quemadmodum ex adverso finitudini rationis humanæ tribuendum, quod animæ insit per modum potentiæ (*Ontol.* §. 837.); Adeoque inter facultates referatur (*Psychol. empir.* §. 29.). Unde evidens est per rationem, quod ipsum etiam ex iis, quæ sacræ literæ docent, sequitur, rationem Divinam non facultatem, sed purum esse actum: Etenim infinitudo Divinæ rationis ex iis evicta manat (§. 218.), & inde inferri potest, quod ratio Divina purus sit actus, *per demonstrata.* Simul patet differentia inter rationem Divinam atque humanam intercedens, quæ talis est, qualem discrimen inter ens finitum & infinitum postulat. *Quæ hic notanda.*

§. 224.

Ratio divina juxta scripturam illimitata est (§. 218.), eademque juxta eandem absolute maxima (§. 216.). Quamobrem *Immensitas rationis Divinæ.*

obrem cum non possit concipi ratio illimitata, quæ non sit eadem cum Divina; Consequenter & juxta sacras literas omni enti rationali finito incomprehensibilis (§. 220.), ratio illimitata pro mensura illimitatæ, hoc est, sui ipsius assumi nequit, ubi eam mensurare volueris (*Ontol.* §. 438.), nihil omnino acturus. Quoniam vero præter rationem illimitatam non datur alia, nisi limitata (*Ontol.* §. 53.); pro mensura accipienda foret ratio limitata. Verum enim vero impossibile est, ut ratio limitata, quotiescunque etiam sumatur, tandem evehatur in illimitatam (*Theol. natur.* §. 175.), seu Divinam (§. 218.), vel eandem superet (§. 216.). Ratio igitur limitata illimitatæ prorsus heterogenea est (*Ontol.* §. 364.). Quamobrem nec ratio limitata pro mensura illimitatæ assumi potest (*Ontol.* §. 441.). **Ratio igitur Divina juxta sacras paginas mensuram omnem respuit; consequenter immensa est** (*Theol. natur.* §. 41.).

§. 225.

Puritas rationis Divinæ.

Juxta scripturam ratio Divina illimitata est (§. 218.), ast humanam valde limitatam esse, nemo non novit, qui seipsum novit. Est vero illimitata sola pura, limitata pura esse nequit (*Theol. natur.* §. 287.). Quare **juxta sacras literas ratio Divina prorsus pura est, humana prorsus pura esse nequit.**

§. 226.

Quæ hic notanda.

Probe notandum est ad id, ut ratio quædam prorsus pura sit, requiri, ut nexus veritatum omnium perspiciatur. Alias enim ratiociniorum analysis, per quæ nexus explicatur, terminaretur in propositionibus a priori non cognitis, quod rationi puræ adversatur. Ceterum differentia, quæ inter rationem Divinam & humanam intercedit, ex hucusque

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0162
DFG

que demonſtratis, facile colligi poteſt. Immo & ipſa hæc differentia probe notanda eſt, ut, quantum ratio Divina humanæ præſtet, intelligatur: tanto enim ratio excellentior, quanto eſt purior.

§. 227.

Cognitio ſymbolica Deo perſpecta eſt,

In ſacris paginis multoties legitur, Deum locutum eſſe ad Patriarchas & Prophetas, veluti ad Adamum *Gen.* III. 9. ſqq. Abrahamum *Gen.* XII. 1. ſqq. Iſaacum *Gen.* XXVI. 2. ſqq. & Jacobum *Gen.* XXXV. 9. ſqq. ad Moſen *Exodi* III. 4. ſqq. Samuelem I. *Sam.* VIII. 22. Nathanem II. *Sam.* VII. 4. ſqq. aliosque. Locutus eſt Deus de ſe ipſo, & quidem de eſſentia ſua *Exodi* III. 14. *Jeſ.* XLVI. 9. de attributis ſuis *Gen.* XVII. 1. *Jeſ.* XLVI. 10. de operibus ſuis *Jeſ.* XLV. 12. Locutus eſt de rebus naturalibus, veluti de ſtellis, corporibus mundi totalibus *Gen.* XV. 5. de pulvere terræ *Gen.* XIII. 16. de arena maris *Gen.* XXII. 17. corporibus partialibus. Locutus eſt de rebus moralibus, veluti de malitia hominum, *Gen.* VI. 5. & de virtutibus *Gen.* VII. 1. Locutus eſt de rebus artificialibus, *Gen.* VI. 14. ſqq. *Exodi* XXV. 10. ſqq. Conſtat itaque, fide ſcripturæ, nihil poſſe concipi rerum, quod non nomine aliquo indigitare poſſit, eumque, quæ cogitat, verbis valere exprimere aliis. Jam vero **ſymbolica** dicitur **cognitio**, ſi terminatur actu, quo verbis tantum enunciamus, quæ in ideis continentur, vel aliis ſignis eadem repræſentantur, ideas vero ipſas verbis aut ſignis aliis indigitatas non intuemur (*Pſychol. empir.* §. 289.). Deo igitur perſpecta ſunt, quæ ad cognitionem ſymbolicam pertinent. Verum enim vero cum juxta ſacras literas ideæ rerum Deo eſſentiales ſint (§. 203.); Adeoque ab eodem nunquam abeſſe poſſint (*Ontol.* §. 144.), cumque nihil juxta easdem cognoſcat confuſe, ſed omnia diſtincte (§. 169.), illarumque

rumque ſibi ſemper conſcius eſſe debeat (*Pſychol. ration.* §. 11.); fieri non poteſt, ut cognitio ejus ſymbolica ſit, quemadmodum nobis eſt ob finitudinem facultatis cognoſcendi. Quamobrem Deo juxta ſacram ſcripturam cognitio ſymbolica tantum perſpecta eſt.

§. 228.

Quod ulterius vindicatur.

Cognitio ſymbolica arguit in cognoſcente imperfectionem intellectus, quatenus ea habet opus ad univerſalia diſtincte percipienda (*Pſychol. empir.* §. 328.), judicia magis diſtincta efficienda (*Pſychol. empir.* §. 351.), & ratiocinia magis manifeſta reddenda (*Pſychol. empir.* §. 369.). Deus igitur, cui juxta ſacram ſcripturam intellectus omnium poſſibilium perfectiſſimus competit (§. 198.), cognitione ſymbolica non indiget, immo ne tribui quidem poteſt eo ſenſu, quo nobis competit (*Pſychol. empir.* §. 289.). Verum enim vero cum in ſe nihil imperfectionis in cognoſcente arguat Symbolica idearum repræſentatio, ſed potius ad intellectus perfectionem referri debeat: Deo quoque indignum non eſt, quod omnis cognitionis ſymbolicæ ambitum perſpiciat, & quidem non demum in ideis animarum noſtrarum, ſed per ſe. Quodſi nos intellectus ſufficiente perfectione inſtruerемur, cognitione ſymbolica non haberemus opus, niſi ad intuitivam cum aliis communicandam, qualem uſum indicat ſacra ſcriptura de ipſo Deo in iis locis, ubi ad homines locutus dicitur, & verba, quæ effatus eſt, in medium proferuntur. Enimvero cum intuitus ideæ univerſi, quæ in nobis eſt, admodum limitatus ſit (*Theol. natur.* §. 184.); cognitione ſymbolica carere minime poſſumus, ubi in cognitione univerſali proficere ſtudemus. Hæc quidem ideo probe notanda

da sunt, ut intelligatur, cur in propositione non dicatur, Deum habere cognitionem symbolicam; aut tantummodo affirmetur, omnem ipsi perspectam esse cognitionem symbolicam.

§. 229.

Deus est omniscius.

Cum ea sciamus, quæ demonstrare valeamus (*Logic.* §. 598.), nobis vero perspecta sit demonstrationis forma genuina (*Logic.* §. 551. sqq.); vi hujus facile convincimur, si vel ad Matheſin solam animum advertamus, cadere in hominem scientiam: Sit ita, eam esse admodum limitatam, & non nisi ad pauca extendi, eidemque miscri, quæ ab experientia pendent (*Logic.* §. 562.). Juxta scripturam sacram Deo tribuenda cognitio eorum, quorum cognoscendorum facultas in homine datur (§. 212.); quin Deo etiam eadem non invita tribuenda sit scientia, dubitari nequit. Scientia cum nitatur demonstratione (*Logic.* §. 594.); adeoque nos successiva ratiociniorum concatenatione ad eandem perveniamus (*Logic.* §. 551. sqq.), Deus vero juxta sacras literas omnia cognoscat simul, seu actu unico (§. 185.), neque is demum opus habeat, ut unum ex altero colligat (*Theol. natur.* §. 274.); Scientia eminenter eidem ineſt (*Ontol.* §. 845.). Et quia juxta sacras paginas non minus intellectus ipsius (§. 183.), quam quoque ratio, qua universalium veritatum nexum perspicit (*Psychol. empir.* §. 483.), illimitata est (§. 218.); scientia ejus ad omnia extenditur, ut adeo ipsi, sacra scriptura non invita, tribuenda sit scientia omnium universalium & singularum per eminentiam (*Theol. natur.* §. 300.). Quamobrem cum **omniscientia** non sit nisi scientia omnium cognitu possibilium, tam singularium, quam universalium (*Theol. natur.* §. 301.); **Deum esse etiam juxta sacras paginas omniscium, qui scientia omnium cognitu possibi-**

lium, tam singularium, quam universalium, seu, quæ in se talia sunt, ut cognosci possint, pollet.

§. 230.

Quæ hic notanda.

Terminus omniscientiæ ἄγραφος est, hoc est, in sacris literis nullibi legitur, neque alicubi Deus dicitur omniscius, vel eidem attribuitur omniscientia, tanquam attributum. Quamobrem arbitrarium est, quemnam vocabulo huic significatum tribuamus, modo ostendamus hoc significatu per ea, quæ de Deo affirmantur in scriptura omniscientiam eidem tribui posse, id quod in demonstratione præsentis propositionis (§. 229.) factum est. Quoniam tamen terminus omniscientiæ in Scholis & Theologorum & Philosophorum dudum receptus est, neque adeo temere ab eodem recedendum (*Discursu præliminari de Philosophia in genere* §. 142.); Ideo jam ibidem monuit *Cl. Wolfius*, quod propterea significatus non sit mutandus. Per propositionem adeo hanc patet, nos prælucente sacra scriptura Deo omniscientiam eodem sensu adscribere, quo secundum receptum significatum eidem attribuitur. Absit autem, ut quis existimet, eandem citra istiusmodi ambages exinde potuisse probari, quod *Deus* I *Joh.* III. 20. dicatur *nosse omnia.* Etsi enim admittatur, per *omnia* sine ulla restrictione ibidem intelligi, quæcunque cognitu possibilia sunt, sive singularia fuerint, sive universalia; non tamen absque ulteriori probatione patet, num vocabulo γινώσκειν, quo utitur Apostolus, ea cognitionis forma indigitetur, quæ ad scientiam requiritur in eo significatu, quo scientiæ vocabulum communi loquendi usui convenienter sumitur (*Logic.* §. 594.), & qui ingreditur notionem omniscientiæ (*Theol. natur.* §. 301.), quod scilicet Deo, etsi non unum demum ex altero colligat, quemadmodum a nobis fieri solet (*Logic.* §. 551. sqq.), perspectum tamen sit, quo-

quomodo unum ex altero colligatur (*Theol. natur.* §. 274.). Non existimandum est, probationes evidentes tam facili negotio colligi. Ceterum, qui convictus esse vult, vocabulum *scientiæ* & *omniscientiæ* a nobis eodem sensu sumi, quo vulgo in Theologorum atque Philosophorum Scholis venit, sicque eorum menti ad amussim respondeat, evolvat *Cl. Wolfii* Theologiam naturalem in notis ad §. 300. & 301. & inveniet per omniscientiam, & ab iis, & a nobis designari omnem intellectus Divini actum, quo rei cognitio absolvitur.

§. 231.

Apperceptio in Deo cur continua.

Psaltes disertis ait verbis *Psalm* CXXI. 4. *Ecce non dormitat, nec dormit custos Israëlis;* Deus itaque semper, teste scriptura, vigilat (§. 174.). Semper igitur est in statu perceptionum distinctarum (*Psychol. ration.* §. 14.); consequenter **Deus juxta sacras literas sui semper, atque eorum, quæ sibi repræsentat, conscius est** (*Psychol. ration.* §. 13.).

Vel per indirectum etiam sic patet. Pone Deum subinde sibi non esse conscium sui, nec eorum, quæ in ipso repræsentantur. Dormire igitur dicendus est (*Psychol. empir.* §. 119.). Enimvero ex loco scripturæ classico *Psalm* CXXI. 3. 4. patet, Deum nunquam dormire (§. 174.). Ergo **qui loca sacrarum literarum classica abnegare non vult, admittet ultro, quod Deus sui atque eorum, quæ sibi repræsentat, semper sit conscius.**

§. 232.

Quomodo possibile & existibile cognoscatur.

Deus juxta sacras paginas & sui ipsius, & eorum conscius sibi est, quæ sibi repræsentat (§. 231.); consequenter

non minus idearum, quæ ſcriptura approbante eſſentiales ſunt neceſſario in intellectu ejus exiſtunt (§. 203.), quam potentiæ ſuæ, qualem ipſi competere inferius capite ſequente oſtendemus, ſeu, qualem in ipſo dari probari poteſt. Enimvero ideo quid poſſibile eſt, quod ejus idea detur in intellectu Divino (*Theol. natur.* §. 192.), eo videlicet ſenſu, quo *Cl. Wolfius* poſſibile definit, & quo intrinſece tale intelligitur: Nimirum, quod contradictionem non involvit (*Ontol.* §. 85.). Deus igitur juxta ſcripturam ſacram cognoſcit, quod quid ſit intrinſece poſſibile, ſeu contradictionem nullam involvat, quatenus idearum, quæ intellectu ejus inſunt, ſibi conſcius eſt.

Porro poſſibile nullum exiſtibile, niſi per potentiam Dei (*Theol. natur.* §. 224.). Quamobrem num quid exiſtibile ſit ſacris literis non invitis, cognoſcit, quatenus juxta easdem ſibi conſcius eſt potentiæ ſuæ (§ 203.).

Ut vero hæc clarius pateant, exemplum aliquod addere libet: Nimirum idea mundi hujus adſpectabilis, approbantibus ſacris paginis, ab æterno in Deo fuit, utpote intellectui ejus æterno (§. 65.) eſſentialis (§. 203.). Quatenus igitur Deus intellectum ſuum cognoſcit; adeoque ſibi conſcius eſt hujus ideæ, ab omni æternitate novit, mundum hunc eſſe poſſibilem (*Theol. natur.* §. 192.). Verum enim vero Deus ab æterno non minus ſibi conſcius eſt potentiæ ſuæ, quam mundo huic producendo ſufficere intellexit. Atque adeo mundum hunc exiſtibilem cognovit (*Theol. natur.* §. 221.), quatenus ſibi conſcius potentiæ ſuæ. Ex his abunde patet, poſitis ideis in intellectu Dei, poſitaque potentia Dei, nondum intelligi, cur hic mundus adſpectabilis actu exſtiturus

ſit

sit aliquando, & cur nunc actu existat; consequenter quod & in Deo representetur tanquam aliquando certo extiturus, seu futurus, & tanquam actu existens, alias adhuc requiri rationes, in quas adeo deinceps suo loco inquirendum, ne in re tanti momenti, qualis est cognitio Dei, nimis præcipitato gradu progrediamur.

§. 233.

Scientia simplicis intelligentiæ Deo asserta.

Deus juxta scripturam cognoscit res ut possibiles & existibiles (§. 232.), seu ut a se producibiles (*Theol. natur.* §. 223.). Quamobrem cum **scientia simplicis intelligentiæ** sit, qua quid cognoscitur ut possibile atque existibile (*Theol. natur.* §. 221.), aut, si mavis, ut possibile non minus extrinsece, quam intrinsece tale; **in Deo dari juxta scripturam intelligentiam simplicis intelligentiæ, qua entia cognoscit ut possibilia atque existibilia,** palam est.

§. 234.

Quæ hic notanda.

Quæ toties de terminis ἀγεράφοις monuimus, hic non minus locum habent, præprimis quæ §. 230. de omniscientia diximus. Ceterum apparet, Scholasticos fuisse satis acutos in iis distinguendis, quæ ad omniscientiam Dei spectant, dum *scientiam simplicis intelligentiæ* peculiarem scientiæ Divinæ speciem, aut quasi partem omniscientiæ fecere, utut in evolvenda notione suum passi fuerint desiderari acumen, suam diligentiam: id quod ævo, quo vixerunt, codonandum, nostro vero supplendum. Ut vero hoc magis conspicuum evadat, sequentem addere lubet propositionem.

§. 235.

Quousque extendatur scientia simplicis intelligentiæ,

Per scientiam simplicis intelligentiæ Deus tantummodo intelligit aliquid esse possibile ac existere posse (*Theol. natur.* §. 221.). Enimvero quod possibile est, id ideo non existit

(*Ontol.*

(*Ontol.* §. 132. 133.), nec quia possibile est, ut per potentiam Dei existat (*Theol. natur.* §. 223.); ideo certum est, quod extiturum sit, cum necesse sit, Deum velle potentia sua possibile ad actum perducere. Quamobrem **per scientiam simplicis intelligentiæ nondum intelligitur, quod aliquid sit futurum.** Cumque ad hoc, ut actu existat, requiratur exercitium potentiæ Divinæ, seu ut Deus potentia sua, qua uti potest, actu utatur; **multo minus per scientiam simplicis intelligentiæ intelligitur, quod aliquid actu existat, vel jam extiterit.**

Quoniam, quod præter Deum existere potest, per potentiam Dei existere debet (*Theol. natur.* §. 223); ut actu existat, tantummodo requiritur, ut Deus idem ad actum perducere velit. Sed per scientiam simplicis intelligentiæ intelligitur, num quid existere possit (*Theol. natur.* §. 221.); Consequenter quod extiturum sit, siquidem Deus velit. **Per scientiam itaque simplicis intelligentiæ solummodo intelligitur, ut aliquando existat, fieri posse.**

§. 236.

Et quomodo res in eadem spectentur.

Quoniam per scientiam simplicis intelligentiæ nondum intelligitur, quod aliquid sit extiturum, multo minus quod quid actu sit, vel extiterit (§. 235.); **in scientia simplicis intelligentiæ res neque ut præsentes, neque ut præteritæ, neque ut futuræ spectantur.**

Unde simplicis intelligentiæ scientia comprehenduntur mundi omnes possibiles, quorum ideæ in intellectu Divino existunt.

§. 237.

§. 237.

Numerus I. Deus de se ipso *Jes.* XLVI. 10. asseverat, *se annunciare a principio ultima, & ab initio, quæ necdum facta sunt &c.* Ut adeo sibi convenire affirmet, quod negotii alicujus exitum, quam primum incipit, palam facere, & quæ olim ventura sunt, prædicere possit; Consequenter in intellectu suo existere ideas, quibus universam rerum seriem intime perspiciat. Hæc vero cognitio sese extendit ad omnia omnino possibilia: *Deo* enim *sua opera nota sunt ab æterno Actorum* XV. 18. Consequenter cum, quicquid præter Deum existit, *creatum sit Gen.* I. 1. Cognovit id omne antequam existeret. Quoniam vero ad id, ut Deus, quæ præter ipsum possibilia sunt, actu cognoscat, eorundem non requiratur existentia; dubio caret, quod etiam possibilia nunquam extitura, quæ tamen, si ita visum fuisset, ad existentiam perducere poterat, cognoscere debeat (§. 183.). Atque adeo nihil poni potest tanquam cognoscibile, quod non sit notum Deo ab æterno; Consequenter omnes omnium mundorum possibilium series Deo ab æterno intime perspectæ fuerunt, & quidem, teste scriptura, distincte (§. 169.); Adeoque eorundem quoad successionem nexum inter se distincte perspexit ab æterno. Quamobrem cum **effectus rerum materialium in se præscibiles sint**, quatenus earum nexus quoad successionem perspicitur (*Theol. natur.* §. 232. 231.); **Effectus rerum materialium, teste scriptura, Deo omnes præscibiles sunt, quatenus is earum nexum quoad successionem ab æterno perspexit.** *Præsentia Dei asserta.*

Numerus II. De Deo dicitur *Actorum* XV. 18. *Quod ei nota sint omnia opera sua ab omni æternitate;* Conse-

quenter Deus etiam animas distincte cognoscit (§. 169.), ac perinde ipsi essentia atque natura earundem una cum legibus, quas in modificationibus suis sequuntur, omnes perspectæ esse debent. Unde cum Deus cognoscat ea, per quæ volitiones & nolitiones in anima determinantur (*Theol. natur.* §. 233.), seu earundem rationem sufficientem (*Ontol.* §. 116.); ipsæ etiam volitiones ac nolitiones, seu libera animæ decreta juxta sacras literas Deo præscibilia esse debent (*Ontol.* §. 118. & *Theol. natur.* §. 231.), quatenus distincte cognoscit ea, per quæ volitiones & nolitiones in anima determinantur.

Numerus III. Cum Deus juxta sctipturam omnia cognoscat distincte, quæ præter ipsum cognitu possibilia sunt, nihil confuse (§. 169.); ea quoque cognoscere debet, unde præscibilitas eorum, quæ in serie perceptionum, appetitionum ac aversionum uniuscujusque animæ continentur, pendet. Sunt igitur, approbante sacra scriptura, Deo præscibilia quæcunque in serie integra perceptionum, appetitionum atque aversionum uniuscujusque animæ continentur (*Theol. natur.* §. 231.).

Numerus IV. *David* de Deo *Psalm* CXXXIX. 2. inquit: *Tu intelligis cogitationem meam e longinquo.* Quoniam cogitationes sunt ea omnia, quæ nobis conscii in anima fiunt (*Psychol. empir.* §. 23.); Consequenter non minus appetitiones & aversiones, quam perceptiones, quorum nobis sumus conscii; quæcunque vero in integra serie perceptionum ac appetitionum atque aversionum continentur, Deo præscibilia sunt, *per demonstrata num.* III. Patet omnino consequentia ex sacra scriptura deducta (*Num. III.*)

&

& disertis Davidis verbis verum esse, quod Deo cogitationes nostræ omnino omnes sint præscibiles, quatenus omnia cognoscit, quæ nobis conscîis in anima nostra fiunt.

Numerus V. Deus juxta Scripturam sibi conscius est omnium eorum, quæ sibi repræsentat (§. 231.), ita ut omnia eidem sint aperta, tectum nihil: *Nulla* enim *res creata est, quæ non manifesta sit in conspectu ipsius: immo omnia sunt nuda & intime patentia oculis ejus Hebr.* IV. 13. (§. 169.). Quamobrem cum idea mundi, quæ est in intellectu Divino, referat elementa rerum materialium singula, cum omni mutatione, quæ in unaquaque est (*Theol. natur.* §. 200.); Deus approbante sacra scriptura sibi conscius est omnium eorum, quæ in idea ista continentur, ita quidem ut hæc omnia ei sint aperta, nihil tectum: Status vero cujuslibet elementi in se præscibilis est: Etenim in omni elemento ex statu præsente colligi potest, qualis sit futurus (*Cosmol.* §. 200.); status igitur cujuslibet elementi futurus, teste scriptura, Deo præscibilis est, quatenus in omni elemento ex præsente statu colligit, qualis sit status ejus futurus.

Numerus VI. Idea mundi in Deo repræsentat elementa singula rerum materialium cum omni mutationum serie, quæ in ipsis est, ita coordinata, ut mutationes unius pendeant a mutationibus ceterorum (*Theol. natur.* §. 200.). Unde porro, ut paulo ante *numero V*, infertur, juxta sacras literas Deo per statum unius elementi præsentem præscibilem esse statum futurum omnium ceterorum elementorum per omne ævum subse-

cuturum, totiusque hujus mundi adſpectabilis.

Numerus VII. Quoniam denique Deus, dum mundum ſibi repræſentat, elementa rerum materialium ſingula ſibi repræſentat una cum omni mutationum ſerie, quæ in unaquaque eſt, & illa eo modo coordinata, ut mutationes omnes a ceterorum mutationibus pendeant (*Theol. natur.* §. 200.); Deus vero teſte ſcriptura ſibi conſcius eſt & eorum omnium, quæ ſibi repræſentat (§. 231), & quæ repræſentantur mutationes præſcibiles in ſe ſunt (*Theol. natur.* §. 237.); Nemo non videt, omnes mutationes juxta ſacras literas; conſequenter ſtatus elementorum ſingulorum (*Ontol.* §. 706.), eorundemque a ſe invicem dependentiam ab omnibus, Deo eſſe præſcibiles.

Adeoque Præſcientia Divina juxta ſacras paginas ſeſe extendit ad omnia omnino præſcibilia, ne quidem iis, quæ in mundis poſſibilibus præſcibilia in ſe ſunt, exceptis.

§. 238.

Veritas vindicatur, errorque refellitur. Nullus adeo concipi poteſt mundus poſſibilis, in quo, quæ contingunt, ita comparata non ſunt, ut præſciri ea minime repugnet; Conſequenter quoque approbante ſacra ſcriptura a Deo præſciantur (§. 237.). Ex demonſtratione propoſitionis (§. *citat.*) liquet, præſcibilitatem pendere a nexu ſucceſſivorum, quo ſine nullus concipi poteſt mundus, ſive notionem ex principiis Ontologicis de ente derives (*Ontol.* §. 142. ſqq.), ſive ad analogiam mundi hujus adſpectabilis formes (*Cosmol.* §. 55.), quemadmodum ex ſpecie data una derivatur notio ſpeciei alterius (*Logic.* §. 714.). Quamobrem

obrem cum in intellectu Divino existant ideæ prorsus distinctæ, teste scriptura, omnium possibilium (§. 169.), & Deus juxta eandem earundem sibi conscius sit quoad singula, quæ in iisdem continentur (§. 231.); nihil in aliquo mundo juxta sacras literas concipi potest præscibile, quod non Deo præscibile, siquidem mundus iste extiturus ponatur. Illa igitur præscibilitas per omnes mundos possibiles sese diffundit, etsi præscientia ipsa hunc solummodo mundum adspectabilem complectatur. Si vero rerum nexum tollis, & casus puros admittis, quos ex mundo exulare debere ostendit summus Philosophus *Cl. Wolfius* (*Cosmol.* §. 95.), everſum deprehendes totum præscibilitatis fundamentum, nec deinde absque præscibilitate concipi poterit præscientia. Neque enim sufficit acumen intellectus Divini in infinitum extendi: ubi enim non est, quod videri potest, ibi nec infinitum juvat acumen. Ex hac propositione (§. 237. *Num.* II.) non minus patet, animas & in se & a Deo præscibiles esse in omni mundo possibili. Qui Psychologiam tam empiricam, quam rationalem probe perspectam habent, præscibilitatem decretorum non difficulter admittent. Quodsi vero cum Socinianis & aliis, qui cum ipsis hac in parte sentiunt, fingas libertatem consistere in facultate sese sine motivis, immo contra motiva determinandi, prout scilicet ea admittere lubet, vel non lubet, hoc ipso corruet totum præscibilitatis fundamentum, nec poterit deinceps admitti præscientia Divina, quod absonum (§. 237.). Neque enim sufficit provocare ad acumen Numinis infinitum: quæ enim in se talia sunt, ut videri nequeant, nec infinito acumini, ut videantur, patent,

tent. Et sane Sociniani cum fundamentum præscibilitatis tollunt, ipsam quoque præscientiam, sublata præscibilitate, non admittunt, ne contradictorii ingenii arguantur. Ceterum notari meretur, in anima nostra plura inesse quam cogitationes: Dantur enim in eadem & perceptiones, & appetitiones atque aversiones, quarum sibi conscia non est, quemadmodum ex iis, quæ per omnem Psychologiam rationalem evidenter *Cl. Wolfius* demonstravit, abunde intelligitur: Sit ita, quod *Cartesianis* contrarium videatur, non sine manifesto damno, cum ideo rationem eorum, quæ in anima contingunt, reddere nequeant. Præscibilitas adeo cogitationum non omnem in anima præscibilium numerum exhaurit. Denique probavimus Deum S. S. non invita præscire dependentiam statuum futurorum in omnibus elementis: qui enim differentiam mundi intelligibilis & sensibilis bene perpendit (*Theol. natur.* §. 203.), verum præscibilitatis fundamentum in elementis rerum materialium esse quærendum, & per horum naturam omnia in hoc universo esse præscibilia, perspiciet. Immo agnoscet, præscibilitatem hoc pacto demum explicari, qualis in Deo habet locum, cum ad mundum sensibilem animum advertens, in concipienda præscibilitate tacite quid admittat, quod nonnisi humano more de Deo dici potest.

§. 239.

Recordabilitas Deo asserta.

Numerus I. Ex locis *Actorum* XV. 18. & *Hebr.* IV. 13. evidens est, Deo omnia possibilia, tanquam in Systemata relata (*Theol. natur.* §. 155.), eaque distincte cognita esse (§. 169.). Quamobrem cum in istiusmodi systemate successiva sint inter se connexa (*Cosmol.* §. 48.); Deus quoque nexum istum perspicit (*Psychol. empir.* §. 38.). Quamobrem

obrem cum ei, quæ in mundo materiali contingunt, recordabilia ſint, qui omnem ſucceſſivorum nexum perſpicit (*Theol. natur.* §. 239.); **Quæcunque in mundo materiali contingunt, juxte ſacram ſcripturam Deo recordabilia ſunt, quatenus omnem ſucceſſivorum nexum perſpiciens cognoſcit, quæ in hoc mundo præterita ſunt.**

Numerus II. Similiter ex iis, quæ ſupra (§. 237.) demonſtravimus, cum de præſcibilitate liberorum decretorum animæ ageremus, patet, Deum quoque juxta ſacras literas perſpicere liberorum iſtorum decretorum rationem ſufficientem. **Quare Deo juxta S. S. recordabiles eſſe debent ſtatus animæ anteriores per decreta ejusdem libera, quæ tanquam nunc præſentia ſumuntur.**

Numerus III. *Nehemias* a Deo petit, ut recordetur eorum, quæ egerit: Dicit enim *cap.* XIII. 22. *Edixi vero Levitis, ut mundarent ſe, & venientes obſervarent portas, ſanctificando diem Sabbathi: etiam hoc recordare mei, Deus mi.* Actiones has libere a ſe patratas commemorat Nehemias, & ut illarum Deus recordetur, obſecrat; Hinc utique colligendum, legem ceremonialem Levitis datam, ut ſe mundarent, portas templi cuſtodirent &c. ipſi cognitum fuiſſe, cum alias Levitas ad ejus obſervantiam admonere non potuiſſet. Enimvero, ut quis alium ad obſervantiam muneris ſui admoneat, ſeu ei inculcet, quæ ſunt officii ſui, absque libero decreto animæ non fit; Conſequenter hoc influit in inexiſtentiam ideæ iſtius admonitionis a Nehemia factæ. Quamobrem ex inexiſtentia perceptionis in anima, agnoſcitur inextitiſſe liberum aliquod decretum. Cum jam Nehemias a Deo petat, ut horum recordetur, quæ Levitis edixit,

xit, affirmat Deum recordari perceptionum animæ ipsius inexistentium. Ex iis vero, quæ animæ insunt, perceptionibus agnosci potest, talia infuisse decreta libera; Consequenter **Nehemias asserit, Deo animæ decreta libera recordabilia esse, quatenus novit, quod hæ insint in serie perceptionum, appetitionum atque aversionum perceptiones.**

Numerus IV. Deus, teste Jacobo *Actorum* XV. 18. & Paulo *Hebr.* IV. 13. omnia cognoscit distincte, quæ præter ipsum cognitu possibilia sunt (§. 169.): Adeoque & ea cognoscere debet, unde recordabilitas eorum, quæ in serie integra modificationum animæ continentur, pendet. **Quæcunque** igitur **ipsi juxta scripturam, quæ in serie modificationum animæ continentur, recordabilia sunt.**

Numerus V. Quoniam in cogitationum numero sunt, quæcunque nobis conscii in anima fiunt (*Psychol. empir.* §. 23.), Omnes perceptiones, appetitiones atque aversiones, quarum nobis conscii sumus, in cogitationum numero sunt. Enimvero juxta sacras literas nihil datur in tota serie perceptionum, aversionum ac appetitionum animæ, quod non sit Deo recordabile, *per demonstrata Num.* IV. **Omnes** igitur **hominum cogitationes, testibus sacris paginis, Deo sunt recordabiles.**

Numerus VI. Quoniam idea mundi, quæ est in intellectu Divino, singula refert elementa rerum materialium cum omni mutationum serie, quæ in unaquaque est (*Theol. natur.* §. 200.); Deus vero omnium eorum, quæ in idea ista continentur, teste sacra scriptura, sibi conscius est (§. 231.),

ita

ita ut ipsi omnia sint aperta, tectum nihil (*Hebr.* IV. 13. & *Theol. natur.* §. 180.); Deus quoque intuitive cognoscens omnia (*Theol. natur.* §. 207.), in statu præsente perspicit omnes præteritos. **Quilibet adeo status in quovis elemento juxta scripturam Deo est recordabilis.**

Numerus VII. Cum Deus in quolibet minimo, quod inest universo cognoscat totum universum (*Theol. natur.* §. 161.) consentiente scriptura (§. 169. & 170.); in quolibet minimo quoque statum mundi totius quoad maxima, minima; Consequenter etiam quoad singula elementa, præter quæ nihil substantiale in universo datur (*Cosmol.* §. 177.), per omne retro tempus cognoscere debet. **Sunt igitur, approbante scriptura, Deo per statum quemlibet unius elementi status ceterorum omnium totiusque mundi per omne retro tempus præteriti recordabiles.**

Numerus VIII. Deus mundum sibi repræsentans elementa rerum materialium singula sibi repræsentat, una cum omni mutationum serie, quæ in unaquaque est (*Theol. natur.* §. 200.). Quamobrem cum Deus sit sibi juxta scripturam conscius eorum omnium, quæ sibi repræsentat (§. 231.); Videre utique debet, per quosnam status anteriores determinetur quilibet, qui tanquam præsens sumitur; hujusque adeo ab istis dependentiam (*Ontol.* §. 116. 851.). **Sunt itaque juxta sacras literas status omnes elementorum singulorum, eorundemque a se invicem dependentia ab omnibus anterioribus Deo recordabiles.**

§. 240.

Nimirum non repugnat ex parte objecti, neque ex parte Dei tanquam subjecti, ut, si quidem in serie quacunque *Veritas hæc vindicatur.*

ſucceſſivorum quædam ſumuntur tanquam præſentia, alia in eadem ſerie ſpectentur tanquam præterita. Equidem ſcientia præteritorum vulgo nihil difficultatis habere creditur, & haud ægre admittitur, propterea quod homines quoque recordentur præteritorum, quæ viventibus ipſis contigere. Verum enim vero, ſi eam ex parte Dei conſideres, eodem cum præſcientia nititur fundamento, nec facilius concipitur, quomodo fieri poſſit, ut Deus recordetur præteriti, quam ut præſciat futura. Atque ea ratio eſt, cur quoque oſtendimus, quod eadem in ſerie ſucceſſivorum, quæ datur in mundo materiali, tum etiam ea, quæ datur in animabus & ſingulis rerum materialium elementis, ſint recordabilia, quæ præſcibilia. Ex demonſtrationum collatione patescit, recordabilitatis & præſcibilitatis fundamentum eſſe unum idemque. Recordatio in Deo eo modo concipi nequit, quo datur in nobis beneficio memoriæ a ſenſibus & imaginatione pendentis: neque enim Deo ſenſus & imaginatio competunt (§.187.). Ipſe ideam totius univerſi, quam unico actu producit (*Theol. natur.* §.201.), ſimul intuetur (§.185.), & quidem ab omni æternitate (§. 169.). Quamobrem quæritur, quomodo mundo, qui ideæ iſti reſpondet, jam exiſtente, fieri poſſit, ut Deus in eadem diſtinguat præſens a præterito atque futuro. Si integram ſeriem ſucceſſivorum in mundo, integramque modificationum ſeriem in aliqua anima tibi ſiſtas tanquam præſentem, & nexum cogites inter ſingula intercedentem, vi cujus intelligitur, cur unum in una ſerie alia præcedat, alia ſequantur; & præſcibilitatis & recordabilitatis fundamentum illico pateſcit. Sit iſtiusmodi ſeries A. B. C. D. E. F. &c. In hac B non exiſtere poſſe intelligitur, niſi ante extiterit A; Adeoque ex iis, quæ A inſunt, cognoſcitur, cur ſequi debeat B, ex iis vero, quæ ipſi B inſunt, perſpicitur, cur præcedere debeat

debeat A. Idem dicendum est, de ipso C respectu ipsius B, de ipso D respectu ipsius C, de ipso E respectu ipsius D, de ipso F respectu ipsius E & ita porro; Consequenter de ipso C respectu ipsorum A & B simul, de ipso D respectu ipsorum C, B & A simul, & vice versa quoad successionem de ipso D respectu ipsorum E & F simul, & ita porro. Quodsi jam D consideres tanquam præsens, evidens est respectu ipsius jam C, B & A spectanda esse tanquam præterita, ex adverso autem E, F, &c. tanquam futura. Quamobrem qui integram rerum successivarum inter se connexarum seriem perspicit, is nihil in ea deprehendit, quod non sit in se recordabile & præscibile; Ac ideo idem quoque sibi recordabile atque præscibile agnoscit. Cum in singulis elementis dentur series mutationum (*Cosmol.* §. 198.) inter se connexarum (*Cosmol.* §. 197.); eadem demonstratio ad omnia entia, immo elementa ipsa quoque pertinet. Atque ita generaliter citra omnes ambages & præscibilitas & recordabilitas tam ex parte objecti cujuscunque, quam ex parte subjecti, Dei videlicet cognoscentis, evicta est. Ceterum, quæ (§. 238.) annotavimus, ea quoque hic repetenda veniunt.

§. 241.

Scientia visionis Deo asserta.

Præterita, approbante scriptura, omnia Deo ab æterno nota sunt (§. 239.), is, eadem teste, omnia cognoscit præsentia distincte (§. 169.), ut &, eadem consentiente, futura omnia præscit (§. 237.). Quamobrem, cum **scientia visionis** sit, qua Deus ab æterno cognoscit, quæ in tempore futura sunt, & ubi præter ipsum res aliæ existunt, & quæ præsentia sunt, & quæ futura, & quæ præterita (*Theol. natur.* §. 230.); Deus itaque gaudet, approbantibus sacris

literis, scientia visionis, qua ab æterno cognoscit, quæ in tempore futura sunt, seu in serie rerum præter ipsum existentium & quæ præterita, & quæ præsentia, & quæ futura sunt.

§. 242.

Quæ hic notanda.

Scientia visionis terminus ἄγραφος est: Unde ea, quæ de his terminis hinc inde monuimus, huc referri possunt. Deo competere quoque scientiam visionis, in qua quædam possibilia ab omni æternitate spectata fuere tanquam futura, & nunc postquam hæc rerum series existit, quædam tanquam præterita, quædam tanquam præsentia, quædam tanquam adhuc futura, per locum quendam classicum, sive disertis scripturæ verbis ostendi nequit. Bona autem methodus postulat, ut singula vel per diserta sacrarum literarum verba, vel per legitimas consequentias demonstrentur (*Prælim. Discurs.* §. 124.); cui etiam nos morem gessimus (§. 241.), ut adeo Deo hanc scientiam quoque competere, dubitari nequeat.

§. 243.

Quomodo Deus præscibilitatem & recordabilitatem cognoscat.

Deus juxta scripturam per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit, quod non repugnet, ut quid existat (§. 235.), & quidem, cum ideæ rerum Deo essentiales sint, approbante eadem (§. 203.), ab æterno (§. 65.). Consentientibus igitur sacris paginis per scientiam simplicis intelligentiæ, si quæ rerum series, vel aliquod elementum rerum materialium in eadem, aut anima quædam una cum ista sumatur ut extitura, omnes mutationes ad istam seriem spectantes, vel in isto elemento, ac anima ista ad actum perducendæ, & in se & Deo præscibiles sunt.

Immo

Immo ex demonſtratis juxta ſcripturam per ſimplicis intelligentiæ ſcientiam, ſi qua rerum ſeries conſideretur ut exiſtens, vel etiam elementum quoddam ad eam pertinens, aut anima quædam ſpectetur ut exiſtens, & ſive in alia ſerie, ſive in hoc elemento, aut hac anima ſumatur quid ut præſens, mutationes anteriores, & in ſe & Deo recordabiles ſunt.

§. 244.

Veritas hæc vindicatur.

Nimirum præſcibilitas & recordabilitas ex parte objecti & ex parte ſubjecti, ſeu Dei cognoſcentis in numero poſſibilium ſunt, quatenus ſcilicet nec naturæ rerum, nec naturæ Dei repugnat, ut utraque detur (§. 243.). Quamobrem cum Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ poſſibilia ſunt, ut poſſibilia cognoſcat, ſive de intrinſeca, ſive de extrinſeca poſſibilitate ſermo fuerit (§. 233. *& Theol. natur.* §. 221.); Mirum non eſt, quod ea, quæ ad ſcientiam viſionis pertinent (§. 241. *& Theol. natur.* §. 230.), per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ut poſſibilia agnoſcantur.

§. 245.

Quod Deus norit, quid ſub data conditione fieri debeat.

Narratur I *Sam.* XXIII, 10. ſeq. Davidem Ceilæ commorantem ex Deo quæſiviſſe, num incolæ iſtius urbis ſe ſint. Saulo dedituri, ſi quidem usque ad hujus adventum in eadem manſerit, Deumque reſpondiſſe, quod eum ſint tradituri, ac ideo Davidem fuga ſibi conſuluiſſe. Noverat itaque Deus, quod incolæ Ceilæ Davidem ſint Saulo dedituri, ſi in urbe maneret; conſequenter quid ſub hæc conditione futurum eſſet. Quoniam vero libera decreta ſunt in ſe (*Theol. natur.* §. 233.) & Deo præſcibilia (§. 237.), atque recorda-

bilia (§. 239. & *Theol. natur.* §. 241.), ut spectari possint tanquam præterita (*Theol. natur.* §. 238.), antequam quidquam spectetur tanquam extiturum; patet **omnino juxta sacras literas Deum nosse, quid sub datis quibusdam circumstantiis futurum esset, aut quid posito uno ponatur.**

§. 246.

Quæ hic notanda.

Probe autem notandum est, conditionem, sub qua Deum, quid cognoscere supponitur, hic spectari tanquam nude possibilem, nondum vero tanquam extituram, vel non extituram. Licet enim communiter Theologi hoc loco utantur, ad probandum, quod Deus noscat etiam ea, quæ sub conditione non adimplenda futura sunt: Hoc tamen minime obstat, quo minus eam spectemus, quoad solam possibilitatem intrinsecam, quippe quæ adesse intelligitur, quando eadem consideratur tanquam non adimplenda. Inferius denique patebit, hoc concipiendi modo, conditionem aliquam ante spectari debere tanquam possibilem, quam spectetur tanquam extitura vel non extitura.

§. 247.

Per scientiam simplicis intelligentiæ Deus cognoscit ea, quæ sub data conditione fieri debent.

Si conditio aliqua, sub qua quid futurum esse posse intelligitur, tantummodo possibilis spectetur, non vero ut extitura, vel non extitura, nondum intelligitur, num, quod sub ea extiturum esse debere intelligitur, extiturum sit, nec ne; Consequenter solummodo patet, si conditio ista existat, hoc etiam existere debere; si illa non existat, nec hoc existere posse, seu, quod perinde est, sub conditione ista possibile esse, ut quid sit. Verum enim vero per scientiam simplicis intelligentiæ Deus intelligit, quod quid possibile sit, & existere possit (*Theol. natur.* §. 221.). Quamobrem

per

per scientiam simplicis intelligentiæ agnoscit, quid sub ea conditione futurum esse debeat, quod tanquam possibile agnoscitur.

§. 248.

Patebit inferius, principium hoc habere usum in finiendis controversiis circa Dei omniscientiam inter Theologos & Philosophos agitatis, & una conducit ad tollendam litem circa scientiam mediam per aliquod tempus commotam. Nostrum igitur fuit, scrutari omnem cogitationis, quæ Deo convenienter sacris literis tribuenda venit, differentiam, ne confundantur a se invicem separanda, sicque pateat, qui errores ex ista confusione sint orti, & qua via illi feliciter evitari queant. *Usus hujus propositionis.*

CAPUT III.

DE POTENTIA ET VOLVNTATE DEI.

§. 249.

Absoluta creatione, referente Mose *Gen.* I. 31. *Tum inspexit Deus, quicquid fecerat, ecce autem bonum (erat) valde.* *Tremellius & Junius*, quorum verba recitamus, juxta literam vertunt verba Mosis, qui affirmat fuisse omnia מאד טוב *bona valde.* Ex genio linguæ Hebrææ in qua comparatio non diversis graduum terminationibus, sed periphrasi fieri solet, constat, particulam מאד sive *valde* esse signum superlativi; atque adeo *valde bonum* idem, denotat, quod latino idiomate *optimum* dicitur, quemadmodum etiam vulgo a Philologis hæc ipsa locutio exempli loco adducitur, ubi de adjectivorum gradibus agunt. *Vid.* *Deus elegit & produxit mundum optimum.*

Wasma-

Wasmathus in Grammaticæ Hebrææ cap. 3. reg. 19. membr. 5. Hebraismi restituti pag. 67. Narrat igitur Moses, Deum intuentem ea omnia, quæ fecerat, ea deprehendisse optima. *Fecerat* autem *cœlum atque terram Gen.* I. 1., hoc est, *totum mundum*, seu *integrum universum*, vi eorum, quæ jam supra (§. 6. 7.) monuimus. *Deus* adeo *mundum*, *quem fecerat*, *contemplatus*, *judicavit esse optimum.* Dum vero mundum, quem fecerat, contemplabatur, cuncta intuebatur, ita ut nihil esset in eo, cujus sibi non erat conscius. Quoniam vero singula fuere optima, hoc ipso Moses innuit, judicio Dei nihil repertum fuisse in toto hoc universo, quod non fuerit optimum. In textu Hebræo lectoris attentio excitatur particula הנה, *ecce*, quæ ipsa simul certitudinis nota esse solet. Ita nimirum habent verba Mosis: וירא אלהים את־כל־אשר עשה והנה־טוב מאד Si in versione genium linguæ latinæ observans a litera tamen textus authentici minime recedas: *Et intuitus est Deus omne, quod fecerat, & ecce! optimum erat.* Non sine ratione excitatur attentio lecturi vel audituri, quale fuerit Dei de mundo, quem fecerat, judicium, propterea quod viro Divino Spiritu afflato perspectum erat, quam facile sit, ut homo de re, de qua ipsi judicare non datum (*Cosmol.* §. 541.), judicium suum præcipitet. Unde etiam monet, Deum omne, quod fecerat, intuitum esse, antequam ipse judicium tulerit, qualia a se facta fuerint, ne ipsum hoc judicium præcipitatum videri possit, cui impossibile est, per præcipitantiam judicare: etenim ejus cognitio perfectissima & simultanea, & ut hoc pacto avertat præcipitantiam judicii nostri. Judicium præcipitatur, quod ex parte judicemus de toto, nec de parte in relatione ad totum. Moses igitur diserte monet, Deum intuitum esse omne, quod fecerat; Consequenter de perfectione mundi non judicasse ex parte, nec de parte una sigillatim

tim ſpectata tuliſſe judicium, ſed in relatione ad cetera omnia, quæ fecerat: Secus enim non fuiſſet opus, ut omne, quod fecerat, ſimul intueretur. Judicio itaque Dei unumquodque, quod fecerat, erat optimum, quatenus ſimul factum erat cum ceteris, nec quicquam reperiri poterat, ob quod affirmare licuerit, potuiſſe mundum meliori fieri modo. Porro cum Moſes narret, Deum finita creatione contemplatum fuiſſe opus ſuum, quod fecerat, ut quale a ſe factum ſit, judicaret; hoc ipſo innuit, mundum quoque fieri potuiſſe alio, quam Deus eundem fecit, modo; Conſequenter hunc, qui exiſtit, mundum non eſſe unicum poſſibilem, ſed præter eum adhuc poſſibiles eſſe alios. Scripturæ igitur ſacræ conveniens eſt, Deum elegiſſe mundum optimum ex pluribus poſſibilibus; adeoque libere. Ecquis jam dubitet, juxta ſacras literas affirmandum eſſe, quod Deus mundum optimum ex pluribus poſſibilibus libere elegerit, & ſingula in eo ſint optima in relatione ad totum univerſum ſpectata? Ut vero verba Moſis penitus intelligamus, ad ſingula animum probe advertere tenemur, ne quid attentionem noſtram effugiat, quod ad probandam propoſitionem præſentem conducit. Probe igitur notandum, quod Moſes dicat: Deum intuitum eſſe את־כל־אשר עשה *omne, quod fecerat*, cum dicere potuiſſet: Intuitum ipſum eſſe cœlos atque terram, & omnem exercitum, vel ornatum, eorum, quemadmodum mox addit verba *Cap.* II. 1. *Itaque perfecti ſunt cœli & terra, omnisque exercitus (ornatus) eorum.* Etenim hoc ipſo monemur, Deum de perfectione mundi atque omnium, quæ in eo ſunt, judicaturum, mundum, & quæ in eo ſunt, conſideraſſe tanquam opus ſuum; Conſequenter in relatione ad ſeipſum. Unde intelligitur, juxta revelationem mundum hunc eſſe optimum, etiam in relatione ad Deum ejus opificem, ut, ſi quæſiveris, quemnam omnium mundorum poſſibilium ma-

xime deceat a Deo produci, reſpondere tenearis, non eſſe alium præter eum, quem fecerat, ſive hunc adſpectabilem, qui magis conveniat ſummæ ipſius perfectioni. Qui itaque cum ſummo Philoſopho *Cl. Wolfio* ſentiunt, atque demonſtrant, mundum hunc adſpectabilem eſſe in ſe omnium poſſibilium optimum (*Theol. natur.* §. 382.), & decuiſſe Deum, ut eundem eligeret, quia optimus (*Theol. natur.* §. 384.), immo eſſe etiam in relatione ad ipſum optimum (*Theol. natur.* §. 405.): Probantque præterea, Deum judicantem, quid ſit optimum in ſe, idem referre ad totum univerſum (*Theol. natur.* §. 393.), & ut conſtet, quid optimum ſit in relatione quoque ad ſe ipſum, idem referre ad omnia ſua attributa (*Theol. natur.* §. 395.). Quodſi jam attenta mente pervolvas omnia, quæ modo dicta ſunt, nihil horum reperies, quod non ex verbis Moſis æque evidenter probatum ſit, vel ſaltem probari poſſit; ut adeo, quam hic Philoſophus animo concepit mundi optimi, & liberæ electionis a Deo factæ ideam, ac in Theologia ſua naturali ſtabilivit, non ſit diverſa ab ea, quæ menti Moſis obverſata fuit, narraturi, quale fuerit Dei de mundi perfectione judicium; Conſequenter **Deus, teſte Moſe, liberrime elegit & creavit mundum omnium optimum, qui ſecundum ipſum Dei judicium & omnium poſſibilium mundorum, & in ſe, immo etiam in relatione ad ipſum Deum, optimus eſt, eundem referens & ad totum univerſum & ad omnia Divina ſua attributa; quem hinc, ut ſibi decentem, liberrime ex ceteris omnibus poſſibilibus elegit.**

§. 250.

Quæ hic ad In interpretatione verborum Moſis nihil eſt coacti.

Inhæ-

Inhæremus proprietati verborum juxta genium linguæ authenticæ & vocabulis ſingulis proprium tribuimus ſignificatum. Expendimus autem verba ſingula, & in rationem inquirimus, cur hisce potius verbis uſus fuerit autor Divinus, quam aliis, quibus idem dixiſſe primo intuitu videri poterat, ut ex comparatione intelligatur, ipſum plus dixiſſe hoc modo, quam quocunque alio. Verba denique ſigillatim intellecta ad ſe invicem referimus, ut eorum, quæ iisdem ſignificantur, vi notionum ipſis reſpondentium eluceſcat nexus. Hisce vero regulis, quas nemo reprehendere poteſt, qui admittit Divinam Scripturæ autoritatem, conceſſis, & ab eo, qui Theologiam hermeneuticam intellectu ſyſtematico conſcripturus, probandis; non aliud prodit Dei de mundi & eorum, quæ in ipſo ſunt, perfectione judicium, quam quod *Cl. Wolfius* operoſe, ſummoque cum acumine in Theologia naturali demonſtravit, & nos ex verbis Moſis legitime deduximus. Mundum, qui exiſtit, eſſe omnium poſſibilium optimum, agnovere dudum & Theologi & Philoſophi, etſi communiter animum ad perfectionem hujus univerſi non advertant, qui quomodo rite æſtimanda ſit, non perpendunt. Nominaſſe ſufficiat *Auguſtinus*, qui mundum hunc eſſe omnium poſſibilium optimum agnovit, & quantum in eo momentum poſitum, ut agnoſcatur, non ignoravit. Idem ſentiunt *Sebaſtianus Isquierdus* Tom. 2. de Deo, Diſput. 32. q. 3. prop. 6. num. 111. & prop. 9. num. 125. *Antonius Perez* de voluntate Dei Diſput. 6. cap. 6. num. 52. ſqq. atque *Maurus* Tom. I. quæſt. 51. num. 22. Immo a notione mundi optimi, qualem ex verbis Moſis deduximus, non prorſus diſſentanea ſunt, quæ docet *D. Thomas* in ſumma Theologiæ primæ partis quæſt. 25. art. 6. ubi diſputat, utrum Deus poſſit meliora facere ea, quæ fecit, nec ne. Etſi enim certo reſpectu concedat, mundum a Deo fieri potuiſſe meliorem;

veritatem hanc vindicandam notandam.

non concedit tamen, Deum posse facere aliquam rem meliorem substantialiter, aut, si mavis, essentialiter, quam ipsa sit, & si modum spectes ex parte facientis posse facere melius, quam fecit, & universum, suppositis istis rebus, non posse esse melius, propter decentissimum ordinem his rebus a Deo attributum, in quo perfectio universi consistat. Quid moderni de hac re sentiunt, orbis literarius ignorare nequit. Ceterum, quæ contra hanc propositionem ab existentia mali moralis petuntur objectiones, iis in sequentibus satisfiet.

§. 251.

Cur Deus non velit sine motivis.

Deus juxta sacras paginas mundum hunc elegit ex ceteris omnibus possibilibus, ut existeret, & quidem ob rationem objectivam: Etenim optimus est (§. 249.). Quamobrem, approbante scriptura patet, dari rationem sufficientem, cur Deus voluerit, ut hic potius mundus existat, quam alius. Jam cum mundus complectatur ea omnia, quæ præter Deum existunt (*Cosmol.* §. 48.); nihil eorum, quæ ad res creatas pertinent, Deum voluisse constat absque ratione, ab ipso objecto desumta. Quamobrem cum ratio sufficiens volitionis & nolitionis sit **motivum** (*Psychol. empir.* §. 887.); Dei voluntatem in eo convenire cum humana intelligitur. quod detur actus volitionis ac nolitionis aliquod motivum (*Psychol. empir.* §. 889.). Enimvero, quoniam in anima absque motivis nulla concipi potest volitio vel nolitio (§. *citato*); Atque adeo naturæ voluntatis, qua tali, convenire colligatur, quod absque motivis non eliciatur actus; **Deum quoque non velle vel nolle quidpiam, juxta revelationem, intelligitur, nisi detur aliquod motivum, cur id potius velit, quam nolit, aut cur id potius nolit, quam velit.**

Vel

Vel etiam hoc modo probabilis est hæc propositio. Deus hunc mundum, teste scriptura, elegit, quia optimus (§. 249.). Cum porro nihil sit sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit (*Ontol.* §. 70.); si quid Deus vult, aut non vult, ratio quoque sufficiens adesse debet, cur idem potius velit, quam nolit, vel ex adverso, cur idem potius nolit, quam velit; Consequenter ratio sufficiens, docente scriptura, cur Deus hunc mundum potius elegit, quam non elegit, est, quia est optimus. Jam vero ratio sufficiens actuum nolitionis ac volitionis **motivum** est (*Psychol. empir.* §. 887.); **Deus igitur, ut quid velit, vel nolit, motivum aliquod adesse debet.**

§. 252.

Motivum voluntatis Divinæ.

Quoniam Deus juxta sacras literas elegit mundum optimum (§. 249.): juxta easdem ratio sufficiens, cur Deus quid velit, est, quia in suo genere optimum (*Ontol.* §. 56.). Quamobrem cum ratio sufficiens volitionis sit motivum (*Psychol. empir.* §. 887.); **juxta scripturam itaque motivum voluntatis Divinæ est id, quod optimum est.**

§. 253.

Cur Deus non velit impossibilia, sed quicquid vult, possibile sit.

Deus juxta S. S. cognoscit omnia distincte (§. 169.); consequenter Deus noscit etiam omnia possibilia & impossibilia; adeoque fieri nequit, ut Deo possibilia videantur, quæ non sunt. Verum enim vero satis superque constat, nec nos velle, quæ impossibilia sunt, nisi quatenus nobis possibilia videntur, quæ non sunt. Quamobrem **minime, approbante scriptura, fieri potest, ut Deus velit, quod impossibile.**

Quoniam possibile, quod impossibile non est (*Ontol.* §. 85.); Deus vero velle nequit juxta sacras paginas, quod im-

possibile, *per modo demonstrata;* quicquid igitur vult, confirmante scriptura, possibile est.

§. 254.

Ulterius explicatur, hujusque propositionis usus.

Imperfectioni intellectus humani tribuendum, quod subinde velimus, quæ impossibilia sunt, propterea quod pro possibili habentes, quod non est, erramus (*Logic.* §. 623.). Quamobrem cum intellectus divinus, ipso Deo in S. paginis teste, sit omnium perfectissimus, ita ut majorem perfectionem intellectus ea, quæ divini est, concipi repugnet (§. 198.); Et Deus ideo ab omni prorsus errore immunis sit (*Theol. natur.* §. 294.); mirum profecto non est, quod Deus velle nequeat, quod impossibile. Ceterum hæc propositio sterilis videri haud quaquam debet, neque enim solummodo inferius patebit, pendere ab ea solutionem difficultatum, quæ insuperabiles visæ plurimis; verum etiam Theologiam moralem systematice scribens, insignem ejus usum reperiet, quando aget de officiis erga Deum.

§. 255.

Motiva voluntatis Divinæ unde desumantur.

Ex iis, quæ (§. 249.) diximus, probantes Deum juxta S. paginas elegisse mundum optimum, ubi ostendimus, Deum judicaturum de perfectione mundi, quem creaverat, non modo inspexisse res ipsas, quas fecerat, sed eas quoque consideravisse tanquam a se factas; adeoque ad se ipsum retulisse: id quod vero Moses a Deo factum recenset, creatione jam absoluta, quin factum fuerit ab æterno, cum mundi creationem decerneret, dubitandum non est: Ex his, dico, patet **motiva voluntatis divinæ juxta S. literas partim ab objecto, partim ab ipso volente Deo desumi.**

§. 256.

Veritas hæc

Quando motiva explicanda sunt per ea, quæ ab objecto

cto desumuntur, probe tenendum est, non minus respiciendum esse ad perfectionem accidentalem, quæ per se eidem non inest, sed essentiali superaccedere potest, quam ad essentialem, quæ cum essentiæ inhæreat, ab eadem inseparabilis est, ipsa etiam scriptura magistra. *Ita enim Deus Johan.* III. 16. *dilexit mundum, ut Filium suum illum unigenitum dederit &c.* Ibi enim Deus dicitur Flium suum unigenitum dedisse mundo, quia eum dilexit. Quod fecit in tempore, id ab æterno voluit: unde & dicitur, *nos elegisse ante jactum mundi fundamentum Eph.* I. 4. Adeoque cum præter Deum nihil adhuc esset, propterea quod *mundus creatus est in principio Gen.* I. 1. quando scilicet primum quid extra Deum existere cœpit. Deus itaque ab æterno voluit mundo dare Filium suum, quem dilexit. *Voluit* autem *dare* eum in finem, *ut homines non pereant, sed habeant vitam æternam Johann.* III. 16. Adeoque homines sibi repræsentavit peccato obnoxios & pœnæ æternæ reos. Hic igitur Deus judicans, quid sit pro hoc rerum statu optimum, non solummodo respexit ad perfectionem hominis essentialem, unde cognoscitur possibilitas accidentalis, cujus per fidem in Christum particeps fieri poterat homo a miseria liberandus.

ulterius adstruitur & vindicatur.

Cum S. literis convenienter demonstraverimus motiva voluntatis divinæ partim ab objecto, partim ab ipso Deo volente, seu subjecto desumi: Absit, ut existimes, voluntatem divinam; Consequenter Deum ipsum, hoc pacto effici dependentem a rebus aliis, creatorem a creaturis. Etenim Deus vult omnia ab æterno, antequam quicquam extra ipsum existit, quemadmodum præsenti paragrapho discimus, & sequenti alterius demonstrabimus; Adeoque nulla creatura influit in actum divinæ voluntatis. Ratio objectiva desumitur ab ideis rerum, quæ sunt in intellectu divino,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0193
DFG

no, immo quæ ipsum intellectus divini actum constituunt. Quodsi ergo inde petitur ratio objectiva voluntatis, divina tantummodo voluntas dependet ab intellectu ejus (*Ontol.* §. 851.); consequenter a Deo ipso. Absurdum vero minime est, statuere Deum dependere a se ipso, cum sit libertati ejus, summæque, qua gaudet, perfectioni nullatenus inimicum. Quodsi Deus demum quid in tempore vellet, quod ideo velle non potuisset, quia objectum, circa quod versatur, non existebat, atque actus volitionis in Deo dari non potuisset, nisi creatura existeret; tum demum aliqua veritatis specie dici poterat, ratione objectiva Deum fieri dependentem a creatura. Ast ubi ab æterno quid velle ponitur, quatenus intuetur ideas in intellectu suo, aut, verius loquendo, quatenus sibi conscius est actus intellectus sui, quemadmodum nos convenienter sacris literis statuimus, nulla specie fingitur Dei a re quadam alia ab ipso diversa dependentia.

§. 257.

Æternitas voluntatis Divinæ.

Deus nos elegisse dicitur *Eph.* I. 4. πρὸ καταβολῆς Κόσμε *ante jacta mundi fundamenta* & II. *Tim.* I, 9. πρὸ χρόνων αἰωνίων *ante tempora secularia* (*æterna*). Nimirum antequam mundus a Deo produceretur, nihil adhuc extra ipsum existebat, aut, si mavis, præter ipsum; adeoque nulla creatura finita; consequenter cum nulla adhuc esset rerum successio (*Ontol.* §. 834.). Quamobrem cum tempus non detur, nisi existentibus successivis in continua serie (*Ontol.* §. 574.); antequam mundi fundamenta jacerentur, hoc est, quicquam præter Deum existere inciperet, nullum erat tempus. Deus igitur nos in Christo elegit antequam tempus erat. Immo finge tempora qualiscunque durationis, dicendum tamen semper erit, Deum nos elegisse ante hoc tempus. Verum enim vero æternum est, cujus nullum assignari potest initium,

initium, quemadmodum existentia hujus universi datur, cum e contra æternum, quanto tempore duraverit, dici nequeat, quantacunque etiam tempora ponas. Patet igitur Deum nos elegisse in Christo ab æterno juxta scripturam. Electio hæc est actus liberrimæ voluntatis Divinæ (*Psychol. empir.* §. 941.). Quamobrem liquet, **juxta S. literas Deum velle ab æterno, quod vult.**

Deus nos eligit in Christo, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam Joh. III. 16.; consequenter Deus, nos eligens in Filio suo, nos consideravit tanquam in peccatum prolapsos atque pœnæ æternæ obnoxios. Homo demum lapsus est post creationem, *qui* ישר *integer a Deo creatus est. Eccles.* VII. 29. Quod non minus ex historia creationis & lapsus hominis *Gen.* I. 26. usque ad finem capitis & cap. III. 1. sqq. patet. Quamobrem cum ratio objectiva electionis involvat lapsum hominis (*Theol. natur.* §. 118.); videri poterat, Deum demum elegisse nos in Christo, quando lapsus fuerat Adamus; Consequenter Deum demum humano more in tempore velle invitantibus objectis. Hunc ergo errorem, ut præcaveret Apostolus, Deum nos elegisse asserit πρὸ καταβολῆς Κόσμε, *ante jacta mundi fundamenta*, hoc est, cum nihil adhuc rerum finitarum existeret, quod Deo volendi ansam suppeditare potuisset. Unde apparet, Scripturam æternitatem actus volitionis Divinæ ita urgere, ut excludantur omnes volitiones temporariæ. Quodsi vero Deus ea ab æterno voluit, quæ facta in tempore supponunt; nullum profecto dubium superesse potest, quin multo magis cetera ab æterno voluerit, quæ nihil in tempore factum supponunt; Consequenter palam est, **Deum juxta scripturam omnia voluisse ab æterno, & nihil demum in tempore.**

§. 258.

Impossibilitas volitionis temporariæ.

Ex sacris literis evidens est, quod omnia, quæ Deus vult, ab æterno voluerit (§. 257.). Quamobrem cum quid æternum sit, cujus nullum assignari potest tempus, quo actu esse cœpit, & actu esse desinet (§. 63.); Impossibile est, ut ullum assignetur tempus, quo Deus quid velle cœpit, & quo idem velle iterum desinet. **Impossibile** igitur, **teste scriptura, est, ut Deus quid nunc velit, quod antea nondum volebat, vel ut in posterum ipsum quid velle contingat, quod nondum vult;** Consequenter **ut quid demum in tempore velit.**

Cur hoc demum inculcemus, cum propositio præcedens sufficere videbatur, ut Deum nil in tempore velle agnoscatur, inferius patebit, ubi decreta temporaria evertenda sunt.

§. 259.

Cur sola possibilitas non sufficiat, ut Deus quid velit.

Deus approbante S. S. elegit & produxit mundum optimum (§. 249.); Consequenter, consentiente eodem, plures possibiles sunt; Existit tamen non nisi hic unus (*Theol. natur.* §. 117.), propterea quod Deus hunc ex ceteris elegit (§. 249. *& Theol. natur.* §. 121.); Consequenter voluit, ut hic potius mundus existat, quam alius, etsi æque possibilis; Consequenter qui perinde ac hic existere poterat (*Ontol.* §. 133.); **Sola igitur possibilitas non sufficit, ut Deus quid velit, approbantibus S. literis, seu Deus non ideo quid vult, quia possibile.**

Idem etiam sic ostenditur. Deus proprio judicio motus, teste scriptura, hunc mundum ex ceteris elegit, daturque electionis ratio objectiva (§. 249.). Verum enim vero ratio objectiva desumta est ab eo, quod hic mundus, qui existit,

existit, a ceteris possibilibus differt (*Theol. natur.* §. 120.). Quamobrem cum mundi omnes possibiles, possibiles sint, sola possibilitas non est ratio ista objectiva electionis ; Adeoque **Deus, suo proprio judicio testante, ideo nondum quid vult, quia possibile.**

§. 260.

Ad veritatem vindicandam, quæ notanda.

Hanc demonstrationem imprimis eo fine addimus, ut in eadem acquiescant, quibus dubium circa anteriores oriri poterat, quasi sumamus, quod nondum probatum est: Scilicet quod Deus ceteros mundos possibiles perinde producere potuisset, quemadmodum hunc produxit, siquidem voluisset. Etsi enim dubium haud difficulter tollatur, non inconsultum tamen fuit addere hanc probationem, quæ hoc dubio caret. Quomodo vero tollatur id, paucis accipe. Sermo hic nobis est potissimum de possibilitate intrinseca, non extrinseca; Consequenter nobis sufficit nosse, quod mundis ceteris existentia non repugnet, utut eosdem nondum referamus ad potentiam Dei, quo constet, num ea, ipsis ad actum perducendis, sufficiat. Quodsi vero quis possibilitatem, de qua loquimur, etiam ad extrinsecam trahere velit; hoc tamen non obstante, veritatem propositionis in hac etiam hypothesi tueri licet, provocando ad ea, quæ inferius independenter ab eadem demonstrabuntur: Id, quod bonæ methodo non repugnat, præsertim cum ordinem mixtum elegerimus (*Logic.* §. 830.).

§. 261.

Deus penitus intelligit, quicquid vult; Adeoque ejus voluntas non fertur in incognitum.

Quicquid Deus vult, approbante scriptura, possibile est (§. 253.). Jam vero Deus cognoscit omnia possibilia (§. 169.), tam quæ sunt res facti (§. 208.), sive singularia (*Theol. natur.* §. 249.), quam universalia (*Theol. natur.* §. 275.).

275.). Quicquid ergo vult, illud cognoscit. Verum enim vero cognoscit omnia distincte, quæ præter ipsum cognitu possibilia sunt (§. 169.), & tam in quolibet minimo, quod est in universo, cognoscit totum universum (*Theol. natur.* §. 161.), quam ex qualibet veritate universali veritates ceteras omnes in universum (*Theol. natur.* §. 289.). Quamobrem fieri haud quaquam potest, ut quicquam ejus cognitioni subducatur, quod rei cuicunque vel in se spectatæ, vel ad alias quascunque omni possibili modo relatæ, convenire potest: **Cum adeo nihil quoad cognitionem ejus, quod vult, desiderari possit; patet Deum penitus intelligere, quicquid vult.**

Quoniam Deus penitus intelligit, quicquid vult, *per modo demonstrata;* **Voluntas ejus nullo modo fertur in incognitum.**

Plurimum interest, ut norimus, Deo penitus perspecta esse, quæ vult. Hinc enim plurima consequuntur, quæ voluntatem Divinam ab humana distingunt; Immo hæc volitionis intelligentia fons est omnis differentiæ; quæ inter voluntatem Divinam & voluntatem nostram intercedit.

§. 262.

Deus omnia vult simul.

Ex verbis Paulinis demonstravimus (§. 257.), Deum omnia, quæ vult, velle ab æterno, & nihil in tempore. Enimvero **Tempus** cum sit ordo successivorum in serie continua (*Ontol.* §. 572.); Quæ ab æterno fiunt, successive fieri nequeunt: Etenim quamprimum res successivæ existunt, tempus datur (*Ontol.* §. 574.). Quare **Deus**, quia omnia ab æterno voluit, **teste scriptura, etiam quicquid vult,**

vult, unico voluntatis actu, seu simul velle debet, nihil vero successive.

Idem etiam sic demonstrabile. Deus juxta S. paginas omnia cognoscit simul (§. 185.). Quamobrem cum cognoscens aliquid appetat, quamprimum appetibile vel aversabile ut tale cognoscit (*Theol. natur.* §. 318.); Deus quoque juxta eandem omnia simul velle debet.

§. 263.

Veritates per consequentias ex S. literis eruendæ, ut plurimum variis modis demonstrari possunt. Exemplo esto propositio præsens. Ne quis vero veritatem ulla ratione in dubium vocare præsumat, nisi prorsus infanire velit; hinc eandem duplici demonstratione ex eadem evicimus. Ceterum ex hac ipsa propositione luculenter patet, simultaneitatem voluntatis proprium quid esse voluntatis Divinæ. Nos enim, quæ volumus, successive volumus, omnia simul velle nequimus. Ratio manifesta est. Non omnia cognoscimus simul, quæ nobis per omnem vitam appetibilia vel aversabilia occurrunt: Immo omni tempore de appetibili atque aversabili non eodem judicamus modo. Fieri adeo nequit, ut unico voluntatis actu statuamus de iis, quæ per omnem vitam vel appetenda vel aversanda. Atque hinc uberius liquet, unitatem actus voluntatis pendere ab unitate actus intellectus. Immo ex hac differentia, voluntatem inter Divinam & humanam, intercedente, evidens est, quid agendum sit iis, qui juste & æque de Deo quid statuere volunt, nec non quam sollicite omne præcipitatum, ex confusis ideis propullulans judicium, sit vitandum. *Usus huius propositionis.*

§. 264.

Juxta S. paginas Deus omnia simul vult (§. 262.); A- deo- *Voluntas Dei actus est non facultas.*

deoque nulla ipsi possibilis volitio, quæ non actu in eodem detur. Quoniam itaque facultas est potentia activa (*Ont l.* §. 716.), atque adeo non nisi agendi possibilitatem denotat (§. *citato*); **In Deo, juxta scripturam nulla datur facultas volendi, sed voluntas ejus purus actus est.**

Dici enim solet, voluntatem in Deo concipi non per modum potentiæ, sed per modum actus, in quo voluntas Divina ab humana formaliter differt.

§. 265.

Libertas voluntatis Divinæ ab omni coactione externa,

Nabuchodonosor *Danielis* IV. 35. (32.); *Omnes vero habitatores terræ*, inquit, *ut nihil* (apud Deum) *reputati sunt: juxta voluntatem enim suam facit, tam in exeritu cœli, quam in habitatoribus terræ, & non est, qui resistat manui ejus, & dicat ei, quare fecisti?* Refert Daniel Nabuchodonosorem a Deo graviter punitum ex hominum consortio depulsum fuisse; herbas boum more comedisse, ejusque corpus cœlesti rore tinctum fuisse; exacto autem temporis spatio ad pristinam mentis sanitatem rediisse, & Dei in omnes creaturas dominium atque imperium agnovisse: quo facto, in ea quæ modo recensuimus erupit verba. Patet adeo Danielem narrantem, quomodo a cultu idololatrico ad cultum veri & supremi Numinis fuerit conversus, probare tanquam vera, quæ dixit Nabuchodonosor, Deum verum laudaturus; Consequenter S. scripturæ dogmatis eadem conformia esse, quæ menti Nabuchodonosoris conformia probari possunt. Agnoscit Nabuchodonosor Deum facere secundum voluntatem suam in universo mundo, nec in toto mundo reperiri quenquam, qui ei resistere possit. Qui potest facere, quæ vult, & cui nemo resistere valet, quo minus

minus id faciat; is nulla vi externa adigi potest, ut quid velit, quod ea sepositа minime voluisset; Consequenter Deum, teste scriptura, liberum in volendo esse ab omni coactione externa, seu nulla vi externa adigi posse, ut quid velit.

§. 266.

Equidem & ipsa voluntas nostra cogi nequit (*Psychol. empir.* §. 927.); Adeoque vi externa ad volendum adigi nequit (*Psychol. empir.* §. 926.); Fieri tamen potest, ut nolens vel volens vi motivi ipsi suppeditati nolitionem vel volitionem mutet in gratiam vi utentis (*Psychol. empir.* §. 928.). Atat! in Deo nequidem posterius locum habet; Atque adeo libertas ab omni coactione externa latius patet, quam in homine. Ecce adhuc aliam inter voluntatem Divinam ac humanam differentiam. *Ulterius explicatur.*

§. 267.

Porro affirmat Nabuchodonosor *Dan.* IV. 35. (32.), *Deum facere secundum voluntatem suam, nec in toto universo esse quemquam, qui ei dicat, quare fecisti?* Nemo dicere potest ad alterum, qui suo arbitratu agit, quid agis? nisi qui jus habet exigendi ab eo, ut ad nutum suum componat actiones suas. Quamobrem fatetur Nabuchodonosor, neminem esse, qui rationem facti a Deo exigere possit, quando *suo arbitratu agit*, quemadmodum vertit *Castalio* verba עבר וכמציה verum enim vero si Deus non tenetur rationem reddere ejus, quod suo arbitratu facit, alteri: Nec ideo quid velle tenetur, quia ut hoc velit, vult alter; Consequenter voluntatis ipsius ratio nulla est in voluntate alterius (*Ontol.* §. 56.). Quamobrem cum ens omne independens sit ab alio, quatenus ejus, quod ipsi tribuitur, ratio extra ipsum *Voluntas Dei ab omni ente alio independens est.*

ipsum in alio non continetur (*Ontol.* §. 851.); patet ex mente Nabuchodnosoris voluntatem Dei esse independentem ab omni ente alio extra ipsum; Consequenter cum evicerimus (§. 265.), quod id, quod menti Nabuchodonosoris conforme est, idem conforme sit sacris literis; **Juxta scripturam voluntas Dei independens est ab omni ente alio extra ipsum.**

§. 268.

Deus semetipsum determinat ad volendum & nolendum.

Ex verbis Nabuchodonosoris juxta sacras literas evidens est, impossibile esse, ut Deus vi quacunque externa adigatur ad quid volendum, vel nolendum (§. 265.). **Necesse igitur, approbante sacra scriptura, est, ut Deus semetipsum ad volendum vel nolendum determinet.**

Nimirum Deus aut determinat semetipsum ad volendum, aut determinatur ab alio. Ab alio determinari nequit (§. 265. 267.). Ergo semetipsum determinat. Non est, quod fingas determinationem voluntatis minus violentam, & propositionem (§. 265.) de violenta esse objicias. Quæ enim ad demonstrandum eandem adduximus, etiam valent ad evertendam determinationem, quam fingis, minus violentam, sed cui Deus sese non invitus subjiciat.

§. 269.

Spontaneitas voluntatis Divinæ.

Ex ipsis illis Nabuchodonosoris verbis, ex quibus manifestum est, Deum semetipsum determinare ad volendum vel nolendum, ita ut impossibile plane sit, ut vi quacunque adigi possit externa ad quid volendum, aut nolendum (§. 268.); luculenter patet, principium sese determinandi ad volendum vel nolendum Deo necessario intrinsecum esse, nullatenus vero extrinsecum. Quamobrem cum sponte

sese

ſeſe determinet agens, ſi ſine principio extrinſeco, per principium ſibi intrinſecum, ſeſe determinat (*Pſychol. empir.* §. 933.); Deus itaque teſte Nabuchodonoſore; Conſequenter etiam S. S. (§. 265.), quicquid vult, vel non vult, id ſponte vult, vel non vult, cum principium determinandi voluntatem Divinam ipſi intrinſecum ſit, ita ut omne extrinſecum excludatur.

Et hæc eſt vera ſpontaneitas, non vero tantummodo apparens, qualis gravi cadenti in deſcenſu tribui ſolet. Quemadmodum manifeſtum eſt, ſi cogites demonſtrationem reſolvi in libertatem ab omni coactione externa, qualis tamen datur in caſu ſpontaneitatis apparentis, veluti in ſponta-neo deſcenſu gravis, ubi idem a cauſa gravifica continuo ad motum determinatur.

§. 270.

Quod Deus velit, quod ipſi placet, Diſertis verbis non uno in loco aſſeritur in S. paginis. Affirmat hoc Beatus noſter Salvator *Math.* XI. 26. Etenim cum *verſu* 25. doceret, *Deum myſterium ſalutis abſcondidiſſe ſapientibus & prudentibus ac revelaſſe parvulis*, mox addit: *Etiam Pater, quia ita placuit tibi*, ſeu ut *Caſtalio* vertit: *Ita, Pater: quoniam ſic tibi placitum eſt.* Vocabulum εὐδοκία, quod in textu Græco exſtat, exprimere ſolet illum animi actum, quo quid nobis repræſentamus tanquam delectabile, ſeu tale, unde voluptatem percipimus. Patet hoc ex *Math.* III. 17. ubi refertur vox Dei cœlitus demiſſa, cum Chriſtus baptizaretur in Jordane, quæ erat hujusmodi: Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα, *hic eſt Filius meus dilectus, in quo* *Deus vult, quod ipſi placet.*

complacui (*in quo delector*, seu, *ex quo voluptatem percipio*). Nimirum, quem amamus, in eo quid nobis repræsentamus, quod nobis placet, ita ut hæc repræsentatio sit amoris causa (*Psychol. empir.* §. 649.). Unde liquet, εὐδοκεῖν designare illum animi actum, quo quid nobis placet. Quamobrem si Deus quid facit, ὅτι ἔτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθεν αὐτῦ; *Deus id ideo facit, quia id ipsum illi placet.* Jam vero quod Deus facit, id etiam facere vult, de quo nemo dubitat. Quare ex eo, quod Deus facit, quod ipsi placet, & quia quid ipsi placet, recte omnino colligitur, eum quoque velle, quod ipsi placet, & quia ipsi placet. Christo igitur Doctore, Deum facere, quod ipsi placet, manifestum est.

Idem vero, quod a Christo acceperunt, tradiderunt etiam Apostoli. Hinc de iis verba facientes, quæ ad œconomiam salutis, sive gratiæ pertinent, omnia referunt ad εὐδοκίαν τῦ θελήματος τῦ θεῦ, *ad beneplacitum voluntatis Divinæ.* Ita *Ephes.* I, 5. *Deus nos*, dicitur, *prædestinasse in adoptionem filiorum Dei per Jesum Christum*, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τῦ θελήματος αὐτῦ *secundum beneplacitum voluntatis suæ;* Consequenter per ea, quæ modo uberius dicta, quia sic Deo placuit, ac ideo ipse idem voluit. Similiter idem Apostolus I. *Corinth.* I, 21. monet, εὐδόκησεν ὁ Θεὸς διὰ τῆς μωρίας τῦ κηρύγματος σῶσαι τὲς πιςεύοντας, *placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Nemo dubitare potest, Deum hoc loco dici, fecisse, quod ipsi placuit; Adeoque etiam voluisse, quod ipsi placuit; Consequenter hinc manifestum esse, juxta sacras literas dicendum omnino esse, velle Deum, quod ipsi placet. Enimvero in textu Græco legitur: εὐδόκησεν ὁ Θεὸς, ut adeo appareat, εὐδοκίαν esse sumendam de eo actu, quo quid nobis placet,

placet, & quando de voluntate accipitur, hoc ipso vocabulo significari, placuisse quid volenti, & ideo ipsum hoc voluisse, quia placuit.

§. 271.

Equidem non ignoro, εὐδοκεῖν vi originis idem denotare, *ac aliquid pro bono reputare*, seu *quid censere bonum*, ut adeo si Deus quid velit κατὰ τὴν εὐδοκίαν, id vi originis vocabuli ideo velle dicendus sit, quia ipsi videtur bonum. Non tamen hoc me anxium tenet, multo minus efficit, ut a facta in probatione propositionis hujus interpretatione discedam. Etenim *primo* abunde notum est, significatum vocabulorum non esse determinandum ex etymologia, sed ex usu loquendi. Usum autem loquendi scripturæ, autumo sufficienter a nobis fuisse probatum. Nec *secundo* ultra Lexica in lingua fere mortua, qualis est Græca, sapere licet; Ex his enim perspectum est, εὐδοκεῖν significare *aliquo delectari*, quem sane significatum contextus clarissime insinuat *Math.* III, 17. in voce Dei cœlitus demissa. Etsi autem ex accidente sit, favet tamen quoque *tertio* interpretationi origo vocabuli. Si quid enim existimatur bonum, ex eo voluptatem percipimus (*Psychol. empir.* §. 558.). Ex quo voluptatem percipimus, id nobis placet (*Psychol. empir.* §. 542.). Placet itaque, quod censetur bonum. Quamobrem si quis vult aliquid, quia censet bonum, ut hoc potius velit, quam non velit, aut velit hoc potius, quam aliud; is ideo quid vult, quoniam ipsi placet hoc potius velle, quam non velle, vel hoc potius velle, quam aliud. *Veritas hæc vindicatur.*

§. 272.

Gentium Apostolus *Rom.* IX, 22. 23. *Deus volens*, inquit, *ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit* *Deus vult, quod decet, ipsum*

ſtinuit in multa patientia vaſa iræ, aptata ad interitum, & ut notum faceret divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Non jam ſollicito tenemur animo circa objectum voluntatis Divinæ in hoc loco ſcripturæ, nec disquirimus, quid Deus de eodem voluerit ex mente Apoſtoli. Ea enim nihil prorſus faciunt ad ſcopum præſentem. Sufficit itaque obſervaſſe, Deum quædam voluiſſe ex mente Apoſtoli, ut hoc ipſo doceret, quænam ipſi ſint attributa. Etenim vaſa iræ ad exitium aptata multa cum patientia tulit, ut notum faceret iram ſuam & potentiam declararet. Iraſcimur alteri ob malefacta (*Pſychol. empir.* §. 862.), quæ cum nobis diſpliceant (*Pſychol. empir.* §. 569. 542.), odio digna habemus (*Pſychol. empir.* §. 674.). Deus itaque iram ſuam oſtenſurus, perinde odium mali declarare intendit, quemadmodum potentiam ſuam notam facere voluiſſe dicitur. Cum *Chriſtus* miraculum primum patraſſet in nuptiis, *aquain vinum mutata, diſcipulis gloriam ſuam manifeſtaſſe* dicitur *Johann.* II, 11. Ex hoc autem facto non poterat colligi niſi omniſcientia & potentia Divina ac poteſtas in naturam. Cum enim miraculum in eo corpore, in quo contingit per eſſentiam ipſius ſit poſſibile (*Cosmol.* §. 517.); Chriſto eſſentias rerum, quæque inde pendent, intime eſſe perſpecta, patet. Nimirum quia nunquam eſſentiæ aquæ ac vini inveſtigandæ operam impenderat Chriſtus, ſed hæc ſcientia ipſi natura ineſſe debebat; quod rei cujuscunque alterius eſſentiam atque naturam eodem modo perſpicere deberet, quo ipſi aquæ & vini eſſentia atque natura perſpecta fuit, palam erat. Quoniam vero deficiebant cauſæ naturales, quibus ad actum deduci poterat, quod in aqua fieri poſſe, per eſſentiam ipſius erat manifeſtum (*Cosmol.* §. 518.); Chriſtus aquam in vinum mutans declaravit, ſe poſſe facere, quod vult. Cum denique mira-

miraculum fieri nequeat, nisi motu legibus motus contrario (*Cosmol.* §. 526.); Consequenter qui fit contra naturæ ordinem (*Cosmol.* §. 559.), ac præterea miraculum vim naturæ omnem superet (*Cosmol.* §. 523.); Christus hoc miraculum patrans, ostendit, sibi esse jus plenarium in naturam rerum, & facere posse, quæ vim universam naturæ excedunt. Manifestavit itaque gloriam suam, dum declaravit, sibi competere attributa Divina. Hinc jam liquet, Deum ostendisse divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quatenus declaravit hoc ipso, quænam ipsi insint attributa. Unde jam porro patet, Deum aliquid potius velle, quam non velle, & velle hoc potius, quam aliud, quatenus ad ea, quæ ipsi insunt, seu essentiam & attributa sua respiciens, hæc sibi inesse deprehendit, non alia attributa. Quoniam itaque ex iis, quæ Deo insunt, seu ex essentia & ex attributis Divinis intelligitur, cur quid potius velit, quam non velit, & cur hoc potius velit, quam aliud; in iis, quæ Deo insunt, seu in essentia & attributis ejusdem continetur ratio, cur quid potius velit, quam non velit, & cur hoc potius velit, quam aliud (*Ontol.* §. 56.). Quare cum **Deum deceat,** cujus aliqua in essentia vel attributis ipsius continetur ratio, cur id potius velle debeat, quam aliud, aut, si mavis, cur conveniat ipsum quid velle, quam non velle, vel potius hoc velle, quam aliud (*Theol. natur.* §. 332.); **Juxta sacras literas Deus ipsum vult, quod decet, quatenus in iis, quæ ipsi insunt, seu in essentia vel attributis ipsius aliqua continetur ratio, cur hoc potius velle debeat, quam aliud.**

§. 273.

Cum Deus velit, quod ipsum decet, quatenus rationem, cur quid velit, a seipso petit; Consequenter quate- *Quæ hic notanda.*

nus motivum voluntatis ipsius ingreditur ratio subjectiva (*Theol. natur.* §. 336.); Paulo ante vero ostenderimus (§. 255.), motiva voluntatis Divinæ in S. S. desumi ab iis, quæ Deo insunt, ac imprimis interpretantes judicium Dei, quod ab ipso de perfectione mundi latum, refert Moses, ostenderimus, Deum non tulisse de eodem judicium, nisi habito ejusdem ad semetipsum respectu (§. 249.); ex his jam inferri poterat, velle Deum, quod ipsum decet. Non tamen probatio, quam dedimus, superflua censeri debet, propterea quod per consequentiam ex aliis, quæ scripturæ sacræ conformia esse demonstravimus, inferri non debent, quæ ex ejus dictis majore veritatis luce deduci possunt.

§. 274.

Deus facere potest, quicquid vult.

Psalmo CXV. 3, hæc verba leguntur: *Deus noster in cœlis (est): omnia, quæ voluit, fecit.* Verbum nimirum חפץ, quod in textu Hebræo extat, proprie significat *velle.* Nec obstat, quod *Castalio* vertat: *quicquid ei libet faciens. Junius* & *Tremellius* reddant: *quicquid placet, facit.* Et *Martinius*, Professor quondam apud Bremenses, eximius Philologus, teste ipsius lexico philologico, in Epitome Theologiæ methodice dispositæ (quæ anno 1732. editioni Marburgensi Institutionum theologicarum *Gürtleri* subjuncta est) lib. I. cap. 4. pag. 22. citans hæc verba, eadem sic reddat: *quicquid placet, facit.* Consimiliter *Christ. Stockius* in clavi linguæ sanctæ Vet. Testam. sub radice חפץ hoc verbum interpretatur: *voluit, optavit, delectatus est, placuit.* Etenim modo ostendimus (§. 270.), Deum velle, quicquid ipsi placet, ipsa Scriptura S. magistra; Adeoque si Deus facit, quicquid ei placet; facit utique, quicquid vult. Et nemo ignorat, facere quod quis velit, & facere quod libeat, optet, vel quo delectetur, pro synonimis haberi posse. Nullum adeo dubium supereresse potest, quin juxta S. pa-

ginas & dicto quodam classico affirmetur, quod Deus facere possit, quicquid vult, seu Deus omnia possibilia, si vult, ad actualitatem perducere possit.

§. 275.

Atque hoc pacto patet, quodnam sit potentiæ Divinæ objectum. Nimirum omnia possibilia; Consequenter excluduntur omnia impossibilia, quæ in se talia sunt, ut existere nequeant (*Ontol.* §. 28.); sunt igitur contradictoria, quæ nec velle, nec facere potest Deus (*Ontol.* §. 79.): Impossibilitas enim faciendi impossibilia minime arguit defectum potentiæ (*Theol. natur.* §. 346.). Ceterum ex contextu apparet, Deum dici facere posse quæcunque vult, ut evincatur illimitata ejusdem potentia, & hoc pacto magnitudo potentiæ Divinæ animis nostris insinuetur. Etenim dicitur facere posse, quæ vult, in oppositione ad idola gentilium, quæ omni prorsus potentia activa destituta sunt. Conveniens adeo erat exaggerare potentiam Divinam: quod quoad homines rectius fieri haud quaquam poterat, quam si potentia voluntati coëxtenderetur, cum nemo non potentissimum concipiat eum, qui quicquid vult, facere potest. Ex eo denique luculenter patet differentia potentiæ Dei a potentia humana: Etenim nos facere non possumus, quicquid volumus. Sæpe nimirum volumus, quod impossibile; Adeoque nec a Deo quidem (*Theol. natur.* §. 344.), nedum a nobis fieri potest. Sæpe volumus, quod equidem impossibile non est, cui tamen ad actum producendo vires nostræ minime sufficiunt. Defectu igitur scientiæ vel potentiæ nostræ accidit, ut facere non possimus, quod volumus. Quamobrem cum Deus & omniscius (§. 229.), & omnipotens sit (*Theol. natur.* §. 349.), quod paulo inferius demonstrabitur,

Quæ hic notanda.

tur, fieri nullo modo potest, ut vel velit, quod facere non potest, vel facere non possit, quod vult. Notanda est non modo differantia, quæ inter voluntatem nostram & Divinam ad potentiam relatam intercedit; sed animum quoque advertere debemus ad rationes, cur ea differentia intercedat, ne quid affirmetur, quod dedeceat eum, qui veritatem solummodo cordi habet, inanesque disputationes, discrepantias & litem, quæ Christianos misere devidunt, in exilium mittere ac profligare pro viribus allaborat.

§. 276.

Deus pœnitentia Duci ejus nequit, quod facit & vult.

Balaamus a Moabitarum rege vocatus, ut populo Israelitico malediceret, hæc a Deo verba sibi suggesta est prolocutus *Num.* XXIII, 23. (19): *Deus fortis non est homo, qui mentiatur, aut filius hominis, quem pœniteat: an ipse dixerit, & non faciet? an locutus fuerit, & non præstabit illud?* In textu Hebræo extat verbum נחם, quod idem significare ac *pœnitere*, pervulgatum est, & ipse *Vulgatus interpres*, qui verbum hoc hic vertit per *mutari*, idem tamen per *pœnitere* reddit I. *Samuelis* XV, 35. ubi *Deum pœnituisse* legitur, *quod Saulum regem constituisset super Israel.* Unde *Tremellius* & *Junius* נחם etiam hoc loco, ut & *Castalio* latine reddunt per *pœnitere.* Ex contextu porro liquet, verbum pœnitere hic sumi in significatu communi, quem ex usu loquendi habet. Ex eo enim innuit, quod is, quem pœnitet, factum infectum reddere mallet (*Psychol. empir.* §. 761.); Adeoque Deum nunquam pœnitere posse ejus, quod fecit, seu mallefactum infectum esse; Consequenter Deum, nec illius quod fecit, nec quod vult, pœnitere potest. Etenim Balaamus jussu Dei certum reddere debebat Balaacum, quod fieri haud quaquam possit, ut Deus non stet promissis suis. Removet igitur rationes, quæ impediunt,

diunt, cur homines iisdem ſtare minime ſoleant. Id ipſum vero duplici de cauſa accidere ſolet, vel quod non habeant animum faciendi, quæ promittunt, dum quid alteri promittunt; Adeoque mentiuntur; vel quod poſtea mutent animum, quod eos promiſſi pœniteat. Dum vero in poſteriori caſu animum mutant, triſtitiam, vel ſaltem tædium percipiunt ex eo, quod promiſerint, malum hoc a ſe factum arbitrantes. Quamobrem cum **pœnitentia** dicat triſtitiam ex eo ortam, quod aliquid a nobis male vel minus recte factum exiſtimamus, vel ſaltem tædium inde perceptum (*Pſychol. empir.* §. 755.); verbum *pœnitere* hic ſumi in ſignificatu uſu recepto, ſatis ſuperque patet. *Mutatio* adeo *animi* eſt effectus pœnitentiæ, qui in præſenti caſu menti loquentis convenienter eidem ſubſtitui poteſt, quemadmodum ab *Interprete vulgato* factum. Evidens adeo eſt **juxta ſacram ſcripturam, Deum non poſſe pœnitere ejus, quod facit, vel vult, quemadmodum hominibus accidere ſolet; propterea quod natura atque eſſentia Dei prorſus diverſa ab humana, cui adeo repugnat, quod huic convenit.**

§. 277.

Vidimus ſacras literas eodem vocabulo uti, quando negant Deum pœnitere poſſe ejus, quod voluit vel promiſit, & quando narrant, Deum pœnituiſſe ejus, quod fecerat; Adeoque alia de Deo docere, alia de eodem narrare videtur, factis, quæ de Deo recenſet, dogmatis, quæ de eodem inculcat, contrariis. Et ſane plura occurrunt in ſacris loca, ubi Deum pœnituiſſe dicitur ejus, quod fecerat, veluti *Gen.* VI, 6. narratur: *Pœnituit Jehovam, quod feciſſet hominem:* ubi in textu authentico idem verbum נחם extat.

Veritas hæc ab exceptionibus liberatur.

tat. Constat ex superioribus (§. 108. 110.), scripturam sacram de Deo sæpius loqui sensu improprio, seu humano more (§. 162.), veluti ipsi tribuendo membra corporis humani, aut motum ut in loco &c. Quoniam vero ea, si proprie acciperentur, contradicerent aliis, quæ aperte de ejus essentia ac natura docet; quin ita interpretanda sint, ut cum his consentiant, nemo non videt. Quando itaque dicitur, Deum pœnitere facti, hoc ita accipiendum est quod ea, quæ præter ipsius intentionem inde fuere consecuta, ab ipso improbentur, & quod ob ea non feciſſet, quod fecerat, nisi aliæ fuissent rationes in doctrina de permissione mali paulo post distinctius exponendæ. Enimvero quia deinceps paulo distinctius exposituri sumus, quo sensu Deo tribui possint affectus in genere, tum etiam pœnitentia in specie; ea hic anticipare non lubet.

§. 278.

Deus est omnipotens.

Jehova Deus de semetipso *ait Gen.* XVII, 1. אני־אל שדי *ego (sum) Deus fortis omnipotens.* Promittens Abrahamo centenario ex Sara nonagenaria filium: cui ut fidem haberet Abrahamus, convictus esse debebat de omnipotentia Divina. Extat in textu Hebræo vocabulum שדי, quod soli Deo, nulli unquam creaturæ, neque idolis in sacris paginis tribui constat, manifesto indicio, denotari eodem aliquod attributum, quod non convenit, nisi Deo vero, ac creaturæ nulli communicari potest. Quamobrem cum Deus, quemadmodum modo vidimus, se dicat omnipotentem, ubi ea promittit, quibus fides haberi non poterat sine cognitione omnipotentiæ; dubio profecto caret, quod ipso illo nomine omnipotentia Dei indigitetur, quicquid de ejus etymologia

mologia ſentiant Philologi. Nimirum ſi ad ea reſpicias, quæ ordinarie fieri ſolent, contra naturæ conſuetudinem eſſe videtur, ut mas centenarius generet, & fœmina nonagenaria pariat; Adeoque id fieri poſſe, improbabile eſt. Quæ improbabilia ſunt, non tamen ideo ſunt impoſſibilia. Quamobrem Abrahamus non poterat promittenti Deo credere, niſi perpendens poſſibilia eſſe poſſe, quæ an fieri poſſint, ipſi perſpectum non erat: Deum vero poſſe facere, quæ impoſſibilia abſolute talia non ſunt; Conſequenter quicquid poſſibile eſt (*Ontol.* §. 58.), ſeu tale, ut exiſtentia eidem minime repugnet (*Ontol.* §. 133.); Atque adeo cogitans **omnipotentiam** Dei, per eam intellexiſſe id, quod omnia poſſibilia facere poſſit (*Theol. natur.* §. 347.), **Deoque omnipotentiam competere,** quem omnia poſſibilia ad actum perducere poſſe agnovit. Ceterum vocabuli Hebræi non alium fuiſſe ſignificatum, quam quem eidem cum interpretibus S. S. tribuimus, & eidem modo vindicavimus. Ex Græca quoque verſione LXX interpretum liquet. Etenim ipſis Deus dicitur παντοκράτωρ, quando in textu Hebræo vocatur שדי: vocabulum vero Græcum & vi originis, & ex uſu loquendi ſignificat omnipotentem, perinde ac vocabulum latinum & Germanicum **allmächtig.** In novo fœdere Deus quoque παντοκράτωρ appellatur, II. *Corinth.* VI. 18. Ubi Apoſtolus recenſet promiſſiones fidelibus a Deo factas; Adeoque eodem prorſus in caſu, quo Deus ſibimetipſi tribuerat omnipotentis nomen; Ut adeo **toties, quoties Deo in ſacris paginis tribuatur nomen** שדי, **vel etiam** παντοκράτωρ, **toties indicetur, Deum verum ſolum omnia poſſibilia ad actum perducere poſſe, ſive omnipotentem eſſe.**

§. 279.

Quæ hic notanda.

Vocabulum Hebræum non perinde ac Græcum, Latinum atque Germanicum originem habet adeo evidentem, ut vi ejusdem insinuet potentiam Dei ad omnia possibilia extensam. Nec negari potest, contortam esse etymologiam, qua שדי derivatur a שדד, quod *vastare* significat, quasi Deus ea potentia, qua ex nihilo eduxit omnia, eadem denuo in nihilum redigere possit: Ratio enim denominandi e longinquo petita. Rectius utique vocabulum derivatur a nomine די, quod idem ac *sufficiens* significat, cum præfixo ש. Ita enim vi originis omnipotens is dicitur, qui omnibus faciendis sufficit, quæcunque scilicet possibilia sunt. Unde apparet, non opus esse, ut vi etymologiæ Deus dicendus sit sibi ipsi sufficiens esse, ac nullius indigus. Etenim hæc ratio etymologica, nec cum contextu, nec cum usu loquendi, quem versio LXX interpretum comprobat, conspirat, quemadmodum nostra. Ceterum notari meretur, qui illum omnipotentem dicunt, qui omnia facere potest, aut tacite supponunt, aut supponere debent, vi demonstrationis (§. 275.), non intelligi per omnia, nisi ea, quæ possibilia sunt, & quibus adeo in se spectatis, non repugnat, ut existant (*Ontol.* §. 133.). Præstat tamen id in definitione exprimi, ne quis eadem abutatur, cum sic appareat, nihil posse tribui omnipotentiæ, antequam id possibile esse fuerit evictum. Quod cum subinde fiat, præter necessitatem finguntur difficultates, habenturque pro nodis insolubilibus, qui tamen revera nulli sunt.

§. 280.

Potentia Dei est absolute maxima.

Jeremias Deo tribuit potentiam absolute maximam *Cap.* XXXII. 17. Ubi preces ad Deum fundens ita eundem alloquitur. *Eheu Domine Jehova: Ecce tu fecisti cœlum*

&

& terram virtute tua magna, & brachio tuo extento: non poteſt occultari tibi ulla res (non erit tibi difficile omne verbum). Vocabulum כח ſignificare *potentiam activam* ex aliis S. S. locis conſtat. Ita *Jacobus* aſſeverans ſe ſerviſſe Labano totis viribus ſuis *Gen.* XXXI. 6. ait בכל־כחי עבדתי *omnibus viribus meis ſervivi:* itaque eodem utitur vocabulo ſignificaturus, quod ſervitia præſtans, fecerit, quicquid a ſe fieri poterat. Unde liquet כח ſignificare *potentiam activam.* Hæc vero potentia Dei dicitur הגדול *illa magna.* Notum vero eſt ה demonſtrativum ſeu emphaticum, poſitivum convertere in ſuperlativum, ubi contextus idem, quemadmodum hic inſinuat. Senſus adeo verborum Jeremiæ eſt: quod Deus fecerit cœlum atque terram maxima, quæ ipſi eſt, potentia; Conſequenter eidem, diſertis verbis, maxima ab eodem tribuitur potentia. Addit vero: *non poſſe ipſi occultari ullam rem.* Quod *Vulgata* reddit: *non eſſe ipſi difficile omnem rem,* ſeu, quemadmodum *Caſtalio* vertit: *non eſſe ipſi ullam rem arduam.* Hebræum enim דבר ſignificat ſtylo hujus linguæ conformiter *omne id, quod nominari poteſt;* Adeoque Stylo Philoſophorum, *quicquid poſſibile.* Juxta literam textus itaque nihil horum, quod nominari poteſt, a Deo ſeparari poteſt, hoc eſt, non poteſt nominari quicquam, quod potentiam Dei maximam excedat; Conſequenter ex mente Jeremiæ hæc ſeſe extendit ad omnia poſſibilia. Nemo non novit majorem potentiam ea minime concipi poſſe, quæ ad omnia poſſibilia extenditur. **Vates igitur Divinus Deo tribuit potentiam abſolute maximam, qua major concipi nequit, quia ſe ad omnia omnino poſſibilia extendit.**

Similiter Angelus Mariam convicturus, quod absque viro concipere poſſit, affirmat *Luc.* I, 37. *non eſſe impoſſibi-*

li apud Deum omne verbum. Hebraismos in textu Græco novi fœderis occurrere, omni Philologo pervulgatum est. Quemadmodum itaque Stylo Hebraico כל־דבר significat, *quicquid nominari potest:* ita quoque hic πᾶν ῥῆμα, *omne verbum*, idem prorsus denotat; Ut adeo sensus verborum angeli hic sit: nihil eorum, quæ nominari possunt, Deo esse impossibile. Unde manifestum est, ex mente ejusdem Deum facere posse, quicquid possibile; Consequenter **Deo ab eodem tribui potentiam absolute maximam** *per paulo ante demonstrata.*

Sponte sua hinc fluit, Deum, juxta scripturam absolute potentissimum esse, ut omnia omnino possibilia ad actum perducere possit, ita ut nullum possibile nominari, ne quidem concipi possit, quod non possit ad actum perducere. Ipse vero etiam Propheta *loc. cit. versu* 18. הגבור *potentem illum*, seu *illum potentia excellentem*, hoc est, *potentissimum* adpellat, quemadmodum ex modo dictis evidens est.

§. 281.

Quæ hic notanda.

Quoniam omnipotens est, qui facere potest quicquid possibile (§. 278. *& Theol. natur.* §. 347.), per ea sacrarum literarum loca, quibus evicimus, Deo competere juxta easdem potentiam absolute maximam, etiam probatur eundem esse omnipotentem: id quod paulo ante (§. 278.) per alia evicimus. Et quoniam verba angeli, non esse impossibile apud Deum omne verbum, verbis Prophetæ, non esse difficile omne verbum, æquipollent: quin Hebraismus in illis lateat, tanto minus dubitari potest. Immo forsan, nec a vero aberraveris, si angelum in verba Prophetæ, quæ Mariæ virgini piæ non ignota, quod supponere licet, intendisse statuas,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0216
DFG

tuas: id quod tamen ad præsens negotium nullum momentum affert. Denique si cui major videtur potentia, quæ ad omnia etiam impossibilia extendatur; is dat sine mente sonos, contradictorii ingenii homo.

§. 282.

Teste scriptura potentia Dei absolute maxima est, ita ut nihil nominari, ne quidem concipi possit possibile, quod ad actum perducere non possit (§. 280.). Jam cum impossibilia in se talia sint, ut existere nequeant (*Ontol.* §. 132.), **potentia Dei**, quæ in eo consistit, ut possibilia ad actum perducantur (*Theol. natur.* §. 222.), limitari aliter nequit, quam si quædam possibilia eidem subducantur (*Ontol.* §. 468.). Patet itaque, **approbante S. S. potentiam Divinam prorsus illimitatam esse.** *Potentia Divina est illimitata.*

Vel etiam sic demonstrari poterat. Deus juxta verbum revelatum est omnipotens (§. 278.); Adeoque potentia ejus est omnium absolute maxima (*Theol. natur.* §. 348.); Consequenter aliam eadem majorem concipi repugnat. Enimvero eo, quod limitatum est, majus vel minus concipi potest (*Ontol.* §. 826.). **Potentia igitur Dei, convenienter sacris literis, limitata esse nequit.**

§. 283.

Ethan Ezrachita ita de Deo ait *Psalm* LXXXIX, 7. *Quis assimiletur Jehovæ inter filios fortium?* (*potentium, seu facultatem habentium?*). Vocabulum Hebraicum אל id significare ac *facultatem*, seu *potentiam activam habens*, manifestum est ex verbis Labani *Gen.* XXXI, 29. ubi inquit: יש לאל ידי לעשות עמכם רע *esset in facultate* (*potentia*) *manus meæ vos malo afficere.* Ut adeo nemo dubitet, אל idem *Potentia Dei immensa est.*

idem indicare, quod Latinis denotat *facultas*, seu *potentia activa*. Ethan vero inquit: *quis assimuletur Jehovæ inter filios fortium (potentiam activam habentium)?* Ex mente itaque Ethanis nullus fortis, seu potentia activa gaudens, Deo assimilari potest: id etiam ex contextu luculenter patet, ubi maxima Dei opera recensentur, quæ a nullo ente potente præter solum Deum ad actum perduci potuerant. Si ne fortis quidem Deo assimilari potest, multo minus illi, qui minus potentes sunt; Consequenter nullus, qualem etiam potentiam habeat, ex mente Ethanis; itaque juxta S. S. Deo similis est. Inter opera, quæ Psaltes recenset, refert cœlum & terram, & ea, quæ ipsum implent; sic enim inquit *versu 12. Tui sunt cœli, etiam tua est terra; orbem habitabilem, & ea, quæ ipsum implent, tu fundasti.* Per cœlum & terram stylo Hebræorum indicatur totus mundus, seu omne id, quod præter Deum existit (§. 6.). Ethan ait illa omnia Dei esse, & ab eo fundata, quo probat, hæc omnia a Deo creata esse; Consequenter potentiam Divinam esse potentiam creatricem, quæ hæc omnia, quæ præter Deum existunt ex nihilo produxit (§. 152.). Cum vero omnis potentia illorum, quibus extra Deum potentia tribuitur omnia, quæ facit, ex præexistente materia efficiat, & sua natura ex nihilo quid producere minime queat; potentia omnis eorum, quibus præter Deum ea tribuitur, sua natura a potentia Divina differt: Etenim potentia Dei est creatrix, & omnis potentia reliqua solum productrix, ut adeo potentia Divina non modo magnitudine differat a potentia naturæ & animarum nostrarum; verum ipsa specie, seu potentia alterius prorsus generis sit (*Theol. natur.* §. 776.). Jam cum potentia naturæ & animarum nostrarum sit mensurabilis; potentia Divina, quæ alterius prorsus generis est, in se immensurabilis esse debet (*Ontol.* §. 441.). Porro potentia Dei, teste sacra

cra ſcriptura, prorſus illimitata eſt (§. 282.), & abſolute maxima (§. 280.). Quamobrem cum quid metiamur, ſi magnitudinem aliquam pro unitate aſſumamus, & alterius ad eam rationem determinemus (*Ontol.* §. 438.), menſura autem menſurato homogenea eſſe debeat (*Ontol.* §. 441.); potentiam metiri non licet, quam ſi entis cujusdam potentia pro unitate aſſumatur, & ratio potentiæ entis alterius ad eandem determinetur. Verum enim vero cum potentia Divina creatrix in ſe ſit immenſurabilis, & potentia illimitata & abſolute quæcunque maxima ad omnia poſſibilia ſeſe extendat, cum Divina eadem ſit, *per modo demonſtrata;* Adeoque pro menſura potentiæ Divinæ aſſumi nequit. Jam cum porro quantitas limitata quotieſcunque etiam ſumatur, degenerare nequeat in illimitatam (*Theol. natur.* §. 175.), nec fieri poteſt, ut potentia limitata degeneret in illimitatam, quotieſcunque ſumatur; Conſequenter nec potentia limitata pro menſura illimitatæ, ſeu Divinæ aſſumi poteſt, neque per eandem potentiam Divinam metiri licet. Quoniam itaque potentia Divina juxta ſacram ſcripturam menſuram omnem reſpuit, *per demonſtrata;* **immenſa utique juxta S. S. eſſe debet;** Conſequenter **impoſſibile eſt, ut homo eandem menſurare valeat.**

§. 284.

Sunt, qui exinde inferunt immenſitatem potentiæ Divinæ, quod ſe eandem menſurare non poſſe deprehendant. Sed quam parum hoc pacto probetur, quod erat probandum, jam ſupra (§. 180.) monuimus. Conſideramus itaque potentiam Divinam tanquam immenſam in ſe; non vero ſolummodo negatur fieri poſſe, ut ens quoddam præter Deum ipſam metiatur. Unde & Deus ipſe potentiam ſuam *Quæ hic notanda.*

cognoscit tanquam immensam, hoc est, eam, quæ mensuram omnem respuit. Quoniam tamen distincte novit omnia (§. 169.), ad quænam sese potentia sua extendit, eorumque sibi simul conscius est; adæquatam suæ potentiæ cognitionem habet. Cumque ipsum minime lateat, quid facere possit ens quodcunque aliud; distinctissime quoque perspicit, quam longo intervallo potentia ipsius post se relinquat creaturæ cujuslibet, seu entis finiti cujuscunque potentiam, nec opus habet, ut metiendo potentiam suam per potentiam creaturarum ad distinctam utriusque cognitionem perveniat, quemadmodum in magnitudinibus finitis accidit (*Ontol.* §. 440.).

§. 285.

Deus plura facere potest, quam quæ homo intelligere valet.

Quod Deus plura facere possit, quam quæ homo intelligere valet, gentium Apostolus disertis affirmat verbis *Eph.* III. 20. *Deus*, inquit, *potest omnia facere super ea, quæ petimus, aut cogitamus,* In textu Græco legitur ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν, *qui potest supra omnia facere plusquam abundanter iis, quæ petimus, aut intelligimus.* Unde *Hammondus* in paraphrasi: Deus, inquit, multo plura & majora facere potest, quam animo assequi possumus. Disertis itaque verbis S. literarum asseveratur, Deum plura facere posse, quam quæ homo intelligere valet, seu potentiam Divinam captum humanum transcendere.

§. 286.

Deus miracula facere potest.

Deum plura patrasse miracula & sub Veteri per Prophetas, & sub novo testamento per Christum & Apostolos: exemplo est *Moses* miracula patrans in Ægypto, Pharaonem permoturus, ut populum Israeliticum, quem educturus erat, dimit-

dimitteret *Exodi* IV. sqq. Christum miracula feciſſe, hiſtoria vitæ ejus palam facit. Et Christus ipſe recenſet miracula ab Apoſtolis peragenda *Marc.* XVI. 17. 18. Et *Marcus* diſerte monet *verſu* 20, Deum patraſſe eadem, ad nutum ſcilicet Apoſtolorum. Quoniam itaque Deus miracula patravit, quin ea patrare poſſit, dubitandum non eſt (*Ontol.* §. 170.). Verum enim vero miracula in ſacris relata, eſſe veri nominis miracula extra controverſiam eſt. Ex. gr. *jubente Joſua* cap. X. 12. 13. *Sol & luna ſtetere*, hoc eſt, ſitum ſuum erga tellurem intervallo plurium horarum non mutarunt. Defecere cauſæ naturales, quibus effectus hic tribui poterat: Cum enim ex eo, quod Joſua ſtare juſſit ſolem & lunam, creaturas ſenſu deſtitutas, nec ipſius imperio ſubjectas, non intelligatur, cur ſitum erga tellurem non mutaverint, nec nutus Joſuæ ratio ſufficiens hujus effectus eſſe poterat (*Ontol.* §. 56.); Conſequenter nec Joſua cauſa ejusdem ſufficiens (*Ontol.* §. 886.). Enimvero cum ex eo potiſſimum agnoſcatur miraculum, quod deficiant cauſæ naturales ſufficientes, quando exiſtit (*Coſmol.* §. 520.); Quod ſol ſtetit & luna tempore Joſuæ, **veri** utique **nominis miraculum eſt**, cujus ratio ſufficiens in eſſentia & natura corporum non continetur (*Coſmol.* §. 510.), & quod in iis corporibus, in quibus contingit, poſſibile (*Coſmol.* §. 517.), a Deo, qui facere poteſt, quicquid vult (§. 274.), patratum eſt. Eodem modo probatur, reliqua in ſacris recenſita miracula, miracula veri nominis eſſe, hoc eſt, eodem ſenſu, quo jam modo explicavimus. Unde jam colligitur, **Deum juxta ſacram ſcripturam miracula facere poſſe, quotieſcunque vult, id eſt, talia facere poteſt, cu-**

jus ratio sufficiens in essentia & natura entium non continetur, in quibus contingunt.

Cum in sacris literis probetur, Deum patrasse miracula, illæ supponunt miraculorum intrinsecam possibilitatem. Pone enim miraculum intrinsece impossibile esse, seu contradicere essentiæ illius corporis, in quo contingit, si fieri potest. Erit igitur absolute impossibile (*Ontol.* §. 79.); Consequenter existere nequit (*Ontol.* §. 132.). Quod cum ea, quæ S. S. asseverat, nimirum quod miracula certo patrata sint, evertat, *per modo demonstrata:* evidens est, miraculum, quod contigisse affirmant S. literæ, non potuisse contradicere essentiæ illius corporis, in quo contingit; Consequenter S. S. supponit intrinsecam miraculorum possibilitatem. Intrinseca vero possibilitas miraculorum non sufficit, ut ea actu existant; ut itaque actu existant, ad id requiritur possibilitas extrinseca, seu dari aliquam causam, cujus potentia miraculo producendo sufficiat, hanc miracula patrandi causam solum Deum esse, dicta allata S. S. asseverant, quemadmodum modo ostendimus.

§. 287.

Potentia Dei omni naturæ superior est.

Loca ea, quæ testantur de miraculis a Deo patratis, evincunt etiam Deum facere posse, quæ vim naturæ universæ excedunt. Deus enim miracula facere potest, quotiescunque vult (§. 286.). In serie vero causarum naturalium nulla continetur, quæ dato tempore Josuæ in sole & luna situm illorum sistere potuerit; Consequenter illud stare solis atque lunæ vim naturæ universæ superavit (*Cosmol.* §. 522.). Idem etiam ex omnibus ceteris in sacris paginis recensitis miraculis evidenter probari posset. Deus igitur, qui hæc miracula patravit (§. 286.), fecit, quæ vim

vim naturæ universæ excedunt; adeoque ea facere potest.

Atque hoc modo patet, quo sensu Deus natura superior dicatur, & natura ejus imperio subjecta pronuncietur.

§. 288.

Ex eo ipso, quod sol & luna steterunt, seu situm erga tellurem aliquot horarum intervello non mutarunt, quem naturaliter quovis momento mutant, luculenter patet, Deum cohibere, immo, eundem producere posse motus legibus motus contrarios.

Deus motus cohibere, aliosque producere potest.

§. 289.

Ponamus hoc miraculum ita contigisse, ut alia præterea mutatio per miraculum non acciderit: vicissitudo dierum atque noctium per totum terrarum orbem nunc non amplius eadem est, quæ absque miraculo illo fuisset, nec eadem sunt in universum omnia, quæ a vicissitudine dierum atque noctium, itemque a primo die longiori per universum terrarum orbem pendent. Plurimum autem fallitur, qui sibi persuadet, ex hoc miraculo non alia consequi, quam quod, quæ nunc fiunt, aliquot horis postposita fuerint: Neque enim interea temporis, quo nox in diem conversa, quieverunt homines, uti ex ipsa clade Cananitarum patet, nec otiosa fuit natura. Quamobrem ubivis terrarum vi hujus miraculi in omni rerum corporearum genere contigerunt, quæ alias non contigissent, cumque ista continuo influant in sequentia, virtute hujus miraculi alia prorsus rerum facies in tellure emersit, quam alias per omne universum tempus subsequens apparuisset. Verum enim vero per ordinem naturæ intelligimus eum, quem natura in agendo observat (*Cosmol.* §. 557.).

Ordo naturæ a Deo turbari potest.

Vi hujus miraculi itaque juxta ſcripturam, Deus alium ordinem naturæ produxit; Adeoque anteriorem turbavit. Deus porro juxta S. S. miracula patrare poteſt, quotieſcunque vult (§. 286.); Conſequenter **etiam juxta eandem ordinem naturæ turbare poteſt, quando & quotieſcunque vult.**

§. 290.

Voluntas Divina eſt infinita.

Ex verbis Paulinis evicimus, Deum omnia ſimul velle, ſeu unico voluntatis actu (§. 262.); ut adeo quicquid per voluntatem Dei poſſibile concipi poteſt, id actu in Deo detur. Quoniam itaque ens hoc reſpectu infinitum eſt, quatenus in eo ſunt omnia ſimul, quæ eidem ineſſe poſſunt (*Ontol.* §. 838.); **voluntas Divina juxta S. S. infinita eſt.**

§. 291.

Voluntas Dei eſt incomprehenſibilis.

Ex mente Pauli, Deus, quicquid vult, vult ſimul, ſeu unico voluntatis actu (§. 262.); Adeoque juxta eundem voluntas Dei minime facultas, ſed purus actus eſt (§. 264.). Verum enim vero ens intelligens finitum, quale homo eſt, ſucceſſive intelligit & vult, quæ vi ſua actu cognoſcere & velle poteſt (*Ontol.* §. 837.). Quamobrem cum ens intelligens finitum, quale eſt anima noſtra, non habeat ideam voluntatis, niſi quatenus ſibi ſui conſcium eſt (*Pſychol. ration.* §. 12.); non alia niſi ſucceſſivæ volitionis ac nolitionis ideam habere poteſt. Non igitur habet ideam niſi voluntatis, quæ per modum potentiæ ineſt: Voluntas vero, quæ purus actus eſt, quomodo ſit, ſibi minime repræſentare valet. **Ens igitur intelligens finitum, quale eſt homo non habet ideam voluntatis, qualis eſt in Deo; Conſequenter eandem ſibi clare repræſentare nequit** (*Pſychol. empir.*

pir. §. 48.); Atque adeo **voluntas Divina juxta ſacram ſcripturam ipſi incomprehenſibilis eſt** (*Theol. natur.* §. 170.).

Quando de incomprehenſibilitate voluntatis Divinæ hic loquimur, eandem non conſideramus niſi ut actum eſſentiæ Divinæ, animum minime advertentes ad objectum voluntatis: Id, quod probe notandum eſt, ne incomprehenſibilitatem cum inperſcrutabilitate confundamus, de qua paragrapho ſequente.

§. 292.

Voluntas Dei eſt imperſcrutabilis.

Gentium Apoſtolus his verbis de judiciis Divinis loquitur *Rom.* XI. 33. Ὡς ἀνεξεραυνήτα τὰ κρίματα αὐτῦ (Θεῦ). *Quam imperſcrutabilia ſunt judicia ejus* (*Dei*)! Qualia ſint hæc judicia, de quibus loquitur Apoſtolus, ex contextu apparet. Diſſeruerat nimirum de rejectione Judæorum, qui antea fuerant populus Dei electus, & vocatione gentilium, quos antea deſeruerat, ad ſalutem, nec non de ſpe Judæis relicta ad communionem cum Deo redeundi: de quibus omnibus rationes non ſunt ſatis apertæ, cur Deus potius, hoc quam alio procedere voluerit modo. Ac propterea exclamat: *quam imperſcrutabilia ſunt Dei judicia!* Ipſo igitur docente, ea, quæ Deus ſtatuit, imperſcrutabilia ſunt, quia rationes, cur Deus hoc potius velit, quam aliud, non ſatis perſpicere valemus. Quoniam rationes ſufficientes, cur hoc Deus potius velit, quam aliud, ſunt motiva voluntatis Divinæ (*Pſychol. empir.* §. 887.); ſi Paulo fidem habemus, motiva voluntatis Divinæ penitus perſpicere minime valemus. Quamobrem cum **voluntas** dicatur **imperſcrutabilis**, quatenus motiva ejusdem nobis penitus perſpecta non ſunt, nec eadem certo cognoſcere valemus (*Theol. natur.*

tur. §. 397.); Voluntas Dei juxta ſacram ſcripturam imperſcrutabilis eſt quatenus motiva ejusdem nobis non ſunt penitus perſpecta, nec eadem certo prorſus cognoſcere valemus.

§. 293.

Quæ hic notanda.

Equidem *Vulgatus interpres* judicia Dei incomprehenſibilia vocat, quem etiam ſequitur *Lutherus* in vernacula, **Wie gar unbegreifflich ſind ſeine Gerichte!** Enimvero pervulgatum eſt, vocabulum ἀνεξεύνητον ſignificatu proprio *imperſcrutabile* denotare. Unde & *Hammondus* in paraphraſi: quam imperſcrutabilia, inquit, ſunt Dei decreta, & quam mirandis rationibus ea exequitur! Ceterum cum ex contextu ſit colligenda notio, quæ verbis Pauli reſpondet, quemadmodum fecimus; eadem prodit, ſi vel maxime verſionem Vulgatam reſpicias, quæ in mente Apoſtoli nihil mutat; Conſequenter ex verſione quoque iſta colligitur, voluntatem Dei eſſe imperſcrutabilem eo ſenſu, quo modo eandem talem eſſe evicimus. Adhuc notari meretur, imperſcrutabilitatem voluntatis Divinæ non obſtare debere, quo minus eandem, quantum datur ſcrutemur. Etenim quo magis eandem ſcrutamur, eo evidentius, quam ſit imperſcrutabilis, cognoſcimus. Neque verendum, ut judicio noſtro plus tribuamus, quam fieri debet, ubi obſervamus cautiones, quas obſervare decet. Præterea non alio, quam hoc modo conſtabit luculentius, ſcripturam ſufficienter defendi adverſus Antiſcripturarios, ſi aliquas ſaltem probabiles rationes voluntatis Divinæ in medium afferre valeamus in iis, quæ eidem tribuuntur in S. literis. Ipſa autem imperſcrutabilitas hujus voluntatis argumentum præbet ad ſtabiliendam revelationis neceſſitatem, & in divinitatis S. S. pro-

probationem influit: Immo ſubinde ad defendendam ſacræ ſcripturæ veritatem in iis, quæ Deus voluiſſe, vel velle dicitur, conducit.

§. 294.

Cur Deus velle poſſit, cujus ratio homini ignota.

Ex verbis Pauli *Rom.* XI. 33. evidens eſt, voluntatem Dei imperſcrutabilem eſſe, quatenus motivum ejusdem certo cognoſcere, ac penitus perſpicere nequimus. Motivum vero cum ſit actus voluntatis, ſeu volitionis ratio ſufficiens (*Pſychol. empir.* §. 887.); Si Paulo credimus, fieri minime poteſt, ut rationem ſufficientem ejus, quod Deus vult, cognoſcamus (§. 292.). Quoniam itaque ex ratione ſufficiente intelligi debet, cur Deus quid potius velit, quam non velit (*Ontol.* §. 56.); Fieri poſſe patet, ut non intelligamus, cur quid Deus velit; Conſequenter **Deus velle poteſt, quæ cur velit, teſte ſcriptura, homo intelligere nequit.**

§. 295.

Mundi optimi electio ſignum naturale veri Dei eſt.

Gentium Doctor affirmat *Rom.* I. 20. *Inviſibilia Dei, videlicet æternam ejus potentiam & Divinitatem conſpici ex iis, quæ fecit*, ſeu ex eo mundo, quem creavit. Quoniam itaque ex iis, quæ de mundo cognoſcuntur, colligitur, qualis ſit verus Deus, ejusdem opifex, ſeu creator: Idem vero **alterius ſignum** ſit, ex quo alterum adeſſe colligitur (*Ontol.* §. 952.), idque **naturale**, ſi ſignificatus in ipſis rerum notionibus continetur (*Ontol.* §. 956.); Mundi hujus, qui exiſtit, a Deo facta electio utique veri Dei ſignum naturale eſſe debet. Verum enim vero conſtat ex ſuperioribus, ipſa autoritate ſacræ ſcripturæ, Deum elegiſſe mundum omnium optimum (§. 249.). Quamobrem **eadem autoritate aſſerendum, electionem mundi omni-**

um optimi esse signum naturale veri Dei.

§. 296.

Summa perfectio voluntatis Divinæ.

Auctoritate S. S. motivum voluntatis Divinæ est id, quod optimum (§. 252.); Adeoque voluntas Dei non tendit nisi ad optimum (*Psychol. empir.* §. 887.). Est vero **voluntas omnium perfectissima**, quæ non fertur nisi in optimum (*Psychol. ration.* §. 650.). **Voluntas itaque Dei juxta sacras literas perfectissima est, quatenus Deus vult, quod optimum est, tum in se, tum in relatione ad ipsum.**

§. 297.

Deo maxime placet, quod est perfectissimum in suo genere.

Deus, secundum proprium suum de mundo judicium *Gen.* I. 31. eundem elegit ex ceteris æque possibilibus ob majorem perfectionem, quæ ipsi inest (§. 249.). Quamobrem cum is penitus intelligat, consentiente scriptura, quicquid vult (§. 261.); omnem rerum perfectionem intelligere, & gradum perfectionis entis cujuslibet in quolibet genere determinate cognoscere debet. Cognoscit autem omnia intuitive (*Theol. natur.* §. 207. 272.); Adeoque etiam rerum perfectionem cognoscit intuitive. Verum enim vero in cognitione intuitiva perfectionis **voluptas** consistit (*Psychol. empir.* §. 511.), tantoque major ea est, quanto major fuerit perfectio (*Psychol. empir.* §. 516.). Deus igitur ex perfectione rerum voluptatem percipit, eamque tanto majorem, quo major illa est; Consequenter ex eo, quod perfectissimum est in suo genere, maximam, quæ in eo genere percipi potest. **Placet** vero **enti intelligenti** id, ex quo voluptatem percipit (*Psychol. empir.* §. 542.); Adeoque tanto magis, quanto major fuerit voluptas inde percepta. Quare **Deo, secundum proprium suum judicium**

cium

cium a Moſe in ſacris relatum, quicquid in ſuo genere perfectiſſimum eſt, maxime placet.

§. 298.

Nullus exiſtimet, Deo indignum eſſe, quod ipſi placeant res finitæ, etſi infinito intervallo a ſumma ipſius perfectione diſtent. Etenim ideæ rerum ſunt actus intellectus ipſius: quidni ergo ipſi placeat, quod ſuum eſt. Cave vero hinc inferas: Deo placere malum morale, quod in hominibus obſervamus. Paulo enim poſt oſtendemus, id non eſſe a Deo, ſed ab ipſis hominibus, evicturi, quod id eidem maxime diſpliceat. Placent enim entia, quatenus perfectionis ſunt capacia, quæ a Deo eſt. Ad hanc vero perfectionem minime ſpectat malum morale. Denique probe notandum eſt, in propoſitione præſente non affirmari abſolute, quod Deo placeat maxime, quod in ſuo genere perfectiſſimum; ſed tantummodo reſpective, ſive quod idem placeat inter ea, quæ ad iſtud rerum genus ſpectant. *Quæ hic notanda.*

§. 299.

Ex ipſo Dei de mundo hoc adſpectabili, ſeu qui exiſtit, judicio *Gen.* I. 31. patet eundem eſſe omnium poſſibilium optimum, ſeu perfectiſſimum (§. 249.). Enimvero quod eſt perfectiſſimum in ſuo genere, id Deo maxime, teſte ſcriptura, placet (§. 297.). Ergo **hic mundus adſpectabilis, ſeu qui exiſtit, approbantibus ſacris literis, Deo maxime placet.** *Mundus, qui exiſtit, Deo maxime placet.*

§. 300.

Mundum ſumimus pro ſerie entium finitorum, tam ſimultaneorum, quam ſucceſſivorum, inter ſe connexorum (*Cosmol.* §. 48.), qualem etiam eſſe mundum hunc adſpe- *Quæ hic notanda.*

stabilem, qui existit (*Cosmol.* §. 49.), constat (*Cosmol.* §. 55.). De tota igitur hac rerum serie prædicatur, quod Deo magis placeat, quam ceteræ istiusmodi rerum series. Cavendum itaque, ne quæ de toto dicuntur, ad partem applicentur, vel etiam ad id, quod in aliqua ejus, eaque valde exigua parte deprehenditur, vr. gr. ad homines, quatenus eorum actiones malæ sunt. Nulla sane argumentatio est: in mundo hoc datur malum morale. Ergo si is Deo maxime placet, maxime eidem placet, quod malum est. Ecquis enim est adeo hospes in omni Logica, ut vitiosam illam argumentandi formam non videat?

§. 301.

Iubentia voluntatis Divinæ.

Referente Mose Deus hunc mundum elegit, quia optimus (§. 249.), seu ob majorem, quæ ipsi inest, præ ceteris omnibus possibilibus perfectionem (*Theol. natur.* §. 325.); Adeoque cum id ipsi maxime placeat, quod in suo genere perfectissimum est, consentiente scriptura (§. 297.), ideo quia ipsi maxime placet. Quamobrem cum **electio** sit actus liberæ voluntatis (*Psychol. empir.* §. 941.); Ideo vult, quod vult, quia ipsi placet. Verum enim vero quia volens **lubenter vult**, quando vult, quod ipsi placet (*Psychol. empir.* §. 938.); Deus utique, **consentientibus sacris literis, lubentissime vult, quicquid vult.**

§. 302.

Immutabilitas voluntatis Divinæ.

Deus juxta sacram scripturam omnia vult simul, unico voluntatis actu (§. 262.). Fieri adeo non potest, ut pro aliqua volitione particulari, quæ a nobis spectatur tanquam pars illius (*Ontol.* §. 341.), substituatur alia, ceteris volitionibus particularibus manentibus iisdem, quæ actui isti unico insunt, vel ut quædam eidem accedat, quæ non inerat, aut etiam esse desinat, quæ inerat, non succedente alia

in

in ejus locum. Quamobrem cum immutabile sit, & id, cui nihil aliud substitui potest, & ea res, in qua manentibus ceteris iisdem nihil uni vel alteri substitui, nec iisdem non repugnantibus aliquid accedere potest (*Ontol.* §. 291.); Voluntas Divina juxta sacras paginas immutabilis est.

Immo idem etiam hoc modo evincitur. Ut Deus quid velit, vel nolit juxta scripturam motivum aliquod adesse debet (§. 251.). Verum enim vero motiva voluntatis Divinæ juxta eandem partim ab objecto, partim a subjecto desumuntur (§. 255.). Quamobrem cum Deus, & semetipsum, & omnes mundos possibiles (*Theol. natur.* §. 141.); Consequenter quicquid præter ipsum possibile cognitu (*Theol. natur.* §. 153.) ab æterno (*Theol. natur.* §. 319.), & necessario cognoscat (*Theol. natur.* §. 311.); sive objectum, sive subjectum spectes, motiva voluntatis Divinæ immutabilia sunt (*Ontol.* §. 292.). Quamobrem cum motiva sint ratio sufficiens, cur Deus quid velit, vel nolit (*Psychol. empir.* §. 887.), eadem semper ponitur voluntatis Divinæ ratio sufficiens; Consequenter cum posita ratione sufficiente, ponatur etiam id, quod propter eam potius est, quam non est (*Ontol.* §. 118.), idem semper ponendus est actus voluntatis; Adeoque cum voluntas Dei sit purus actus (§. 264.); eadem semper est voluntas Dei. Voluntas igitur Divina prorsus, approbante S. S., immutabilis est (*Ontol.* §. 291.).

§. 303.

Salvator noster disertis affirmat verbis *Johann.* IV. 24. quod *Deus sit spiritus.* Christo itaque Doctore Deus est spiritus, quia est ens intellectu atque voluntate libera præ- *Deus est Spiritus perfectissimus.*

ditum (§. 136.). Competit eidem intellectus omnium possibilium perfectissimus, sive eundem consideres absolute, sive respectu entium intelligentium aliorum: Id quod ex ipso Dei, de semetipso testante, testimonio evicimus (§. 198.). Non minus autoritate sacrarum literarum Deo voluntas perfectissima competit, qua non vult nisi optimum, tum in se, tum etiam in relatione ad seipsum consideratum (§. 296.). Quamobrem cum **spiritus perfectissimus** sit, qui intellectu perfectissimo, & voluntate perfectissima gaudet (*Psychol. ration.* §. 646.); **Deus juxta scripturam spiritus perfectissimus est, qui intellectu absolute perfectissimo, atque voluntate itidem absolute tali praeditus est.**

§. 304.

Mundi optimi electio signum spiritus perfectissimi est.

Disertis Paulus *Rom.* I. 20. affirmat verbis: *Divinitatem Dei conspici ex iis, quae Deus fecit;* Adeoque electio mundi omnium optimi est signum naturale Divinitatis veri Dei (§. 295.). Divinitas vero Dei in eo consistit, quod sit spiritus perfectissimus; Consequenter, **electio mundi, omnium possibilium optimi, sive hujus adspectabilis, qui existit, est signum, autoritate scripturae, naturale spiritus perfectissimi: Nec electio mundi in se non optimi tale esse potest.**

§. 305.

Quae hic notanda.

Ex eo igitur, quod mundus hic supponitur in se omnium possibilium optimus, necessaria consequentia infertur, autorem ejus esse spiritum omnium perfectissimum, qui est Deus (§. 303.); Ex contraria autem hypothesi idem inferri nequit. Id quod probe notandum, quia in sequentibus patebit, quantus ejus sit usus in solvendis quibusdam difficultatibus,

tatibus, alias indiſſolubilibus. Ceterum multa influunt in demonſtrationem hanc principia, quemadmodum patere poteſt, ſi analyſin juxta Logicam verioris nominis inſtituere volueris. Quamobrem judicium laturus, cave, ne idem præcipites, antequam principia ſingula fuerint expenſa, quantum ad aſſenſum generandum ſufficit. Non adeo facile eſt, quemadmodum plurimis videtur, dogmatum philoſophicorum cum ſacra ſcriptura æſtimare conſenſum vel diſſenſum. Puto tamen ea, quæ hanc in rem tradimus, acutioribus & cordatioribus profutura, ut in arduo hoc negotio circumſpectos ſe præbeant: id quod multiplices pollicetur fructus generi humano. Vigebit connubium rationis & revelationis, ſeu ſcripturæ ſacræ.

§. 306.

Gentium Apoſtolus diſerte affirmat *Rom.* I. 20. *Deum a mundo condito ex iis, quæ fecit patefeciſſe æternam ſuam potentiam*, ſive Deus producendo hunc mundum adſpectabilem patefecit eam, quæ ipſi ſemper competit, ἀΐδιον δύναμιν potentiam. Ea vero, quæ Deo competit potentia, teſte Deo in verbo ſuo revelato, eſt omnipotentia (§. 278.). Demonſtravit ergo creando hunc mundum omnipotentiam ſuam, ut ſcilicet ex hoc ipſo actu conſiderando ea, quæ facta ſunt, quemadmodum docet Apoſtolus, colligi poſſit, Deo convenire omnipotentiam; Conſequenter cum Deus etiam, ſcriptura magiſtra, ſit ſpiritus (§. 136.), evidens eſt, eundem eſſe ſpiritum potentiſſimum. Quamobrem cum id ſit alterius ſignum, unde alterum adeſſe colligitur (*Ontol.* §. 952.), idque naturale, ſi idem ex ipſis rerum notionibus colligitur (*Ontol.* §. 956.); Patet omnino **productionem mundi optimi eſſe juxta ſacras literas ſignum naturale omnipotentiæ.**

Productio mundi optimi eſt ſignum naturale omnipotentiæ, & minime perfectiſſimi tale ſignum non eſt.

Si

Si e contra ponamus, Deum produxisse mundum quendam imperfectiorem, cum essent alii perfectiores, quibus non minus, quam isti existentia repugnabat, inde colligere non licet, Deum quoque producere potuisse omnium perfectissimum; adeoque quemcunque alium: Etenim in notionum communium numero est, ex eo, quod quid fecit imperfectius, non posse colligi, quod facere etiam possit perfectius; adeoque multo minus, quod facere possit in isto genere perfectissimum. Ex productione itaque mundi cujusdam imperfectoris minime inferri potest, Deum posse facere omnia possibilia (*Theol. natur.* §. 343.). Unde liquet ex eo, quod Deus ponatur produxisse mundum minime perfectissimum, necessaria consequentia inferri minime posse, quod Deo competat omnipotentia (*Theol. natur.* §. 347.). Quoniam itaque id signum rei alterius esse nequit, ex quo alterum adesse non colligi potest ulla consequentia (*Ontol.* §. 952.); Adeoque multo minus naturale signum esse potest (*Ontol.* §. 956.); **productio mundi minime perfectissimi signum naturale omnipotentiæ esse nequit.**

§. 307.

Quæ hic notanda.

Magni momenti est nosse, quorumnam attributorum Divinorum signum mundus in suo genere perfectissimus, ac ideo optimus esse possit, non modo ut tanto certius constet, Deum non aliam, quam optimam rerum seriem elegisse, & ad actum perduxisse: verum ut & finem creationis intimius perspicere liceat, ac imprimis pleniſſima luce radiet illius propositionis veritas, quod Deus agat, quod ipsum maxime decet. Quantum vero interſit singularum harum veritatum convictum habere animum, ex sequentibus non minus, quam qui theologiam moralem tradet, abunde constabit. Ceterum notari adhuc meretur, Apostolum docturum mundum hunc

hunc esse signum naturale veri Dei, quatenus ab eodem electus & factus supponitur, in specie mentionem facit Divinitatis & potentiæ sempiternæ. Vidimus, si Divinitatem interpretemur ex ipsa S. S. eadem denotari perfectissimam spiritualitatem, per ea, quæ in evincenda veritate propositionis præcedentis (§. 304.) in medium adduximus. Jam vero cetera, quæ de Deo cognosci possunt, ex notione spiritualitatis, hoc est, intellectus atque voluntatis, & potentiæ deducuntur. Suffecerat adeo Paulo nominasse Divinitatem ac potentiam, ut constaret, contemplantem ea, quæ in mundo existunt, cognoscere posse, qualis sit Deus, & quænam ipsi conveniant attributa.

§. 308.

Deus sibimetipsi est sufficientissimus.

Paulus *Actorum* XVII. 25. *Nec manibus*, inquit, *hominum colitur, alicujus rei egens, quum ipse det omnibus vitam, & halitum & omnia.* Affirmat adeo, Deum re nulla indigere, & hanc reddit rationem, quod ipsemet omnibus vitam, halitum & omnia conferat, utpote autor & conservator totius universi. Adeoque Deus, docente Apostolo, re nulla alia extra se indiget, neque ad existendum (§. 12.), neque ad sui conservationem (§. 19.), aut perfectionem: Spiritus enim est perfectissimus (§. 304.), & potentia ejus est absolute maxima (§. 280.), neque alterius indiget consilio, neque auxilio vel opera opus habet, nec re ulla eget extra se voluptatis percipiendæ gratia. Patet igitur nullum fingi posse casum, in quo re quadam extra se indigeat Deus. Quamobrem cum sibi ipsi sufficientissimus sit, qui nulla prorsus re extra se quomodocunque indigeat (*Theol. natur.* §. 427.); **Deus juxta scripturam est sibimetipsi sufficientissimus, qui nulla prorsus re extra se quomodocunque indigeat.**

§. 309.

Quæ hic notanda.

Non difficile foret in ſingulis caſibus, quos hac propoſitione annotavimus, ſigillatim oſtendere juxta S. S. Deum re nulla alia indigere, ſiquidem prolixiores eſſe velimus: Enimvero cum probatio generalis, quam in medium attulimus, abunde ſufficiat, & ipſa illa ἀυταρκείας, ſeu omniſufficientiæ principia, quæ ad eam evincendam ſtabilivimus, pendeant ab attributis Divinis, quæ Deo autoritate ſacrarum literarum vindicavimus, ambagibus iſtis minime videtur opus.

§. 310.

Voluntas Dei quando allegari poſſit tanquam ratio.

In ſacris literis voluntas Dei allegatur tanquam ratio ultima actus contingentium in hoc univerſo. Patet id exemplis. Ita *Pſalm* CIV. 14. ubi *Pſaltes* inquit: *Faciens, ut germinet fœnum adjumentum, et herba ad hominis uſum; ut depromant cibum e terra.* Laudatur his verbis Deus, quod gramina pecudibus germinare faciat, & herbas ad uſum hominum. Deo igitur tribuitur tanquam cauſæ graminum & herbarum actualitas. Quamobrem cum Deus, autoritate ſacrarum literarum, poſſit facere, quicquid vult, ſeu omnia poſſibilia ad actualitatem perducere (§. 274.), & in cauſa contineatur ratio effectus (*Ontol.* §. 886.); Ratio actus contingentium in ſacris paginis allegatur voluntas Dei. Allegatur autem eo in caſu, quo bonitas Dei laudibus extollitur; Conſequenter ubi rationes deſumendæ a cauſis naturalibus non habere poterant locum. Si vero rationum dantur rationes, cur quid potius ſit, quam non ſit, **ratio** hæc dicitur **proxima**, quæ in ordine prima eſt. **Ultima** vero, in qua analyſis terminatur, ſeu ultra quam alia non datur. Inter proximam & ultimam intermediæ ſunt **remotæ**

motæ (*Theol. natur.* §. 437.); Voluntas itaque Dei in ſcriptura allegatur tanquam ratio ultima, ſeu ubi a cauſis naturalibus rationes deſumi nequeunt, ſive ultra quam alia non datur: non vero allegatur tanquam remota, multo minus tanquam proxima.

Idem eodem modo patet in exemplis cunctis aliis ſcripturæ, ut ſuperfluum foret plura in medium adduci. Neque difficulter patet ratio. Cum enim ſacræ paginæ non doceant rerum naturalium ſcientiam, ſed ab earum notitia officiorum erga Deum motiva ſolummodo deſumant; Scopo ipſarum convenit ad cauſam rerum primam recurrere; Adeoque a voluntate Dei actualitatem eorum etiam, quæ nunc fiunt, deducere. Ex exemplo rite conſiderato evicimus, juxta ſcripturam voluntatem Dei allegari tanquam rationem ultimam; Ut adeo pluribus exemplis ex ſacris literis deſumtis facilime probari poſſit, in iis ſæpiſſime allegari voluntatem Dei tanquam rationem ultimam actus rerum contingentium.

§. 311.

Sane nec a philoſophia alienum eſt ad Deum, cauſam rerum primam, recurrere, ubi motiva officiorum erga ipſum a rebus naturalibus deſumenda. Aſt, ſi quis in Phyſica facere velit, quod nonniſi in Ethica permiſſum, is eandem reprehenſionem incurrit, cui obnoxii ſunt, quotquot ex notionibus ontologicis phœnomenorum ſpecialium rationem reddere volunt, ob βατολογίαν dudum atro carbone notati. Quodſi enim quæſiveris, cur avis volet, piſcis natet? nihil ſane dicit, qui reſpondet, quia Deus avem creavit

Quæ hic notanda.

avit ad volandum, piscem ad notandum, seu, quod perinde est, quia Deus voluit hunc notare, illam volare: explicandum enim, quomodo avis facta fuerit, ut volare possit: quomodo factus piscis, ut natare possit. Nimirum remotis causis & rationibus, minus ultimæ, locus est, ubi proximas scrutamur. Ex his itaque evidens est, differentia inter Ethicum & Physicum intercedens. Non minus sapiens statim intelligit, quando ei ad causam remotissimam, seu ultimam recurrere liceat, quando e contra de proxima sit agendum.

§. 312.

Quomodo Deus quid velit in particulari.

Juxta scripturam Deus omnia vult simul, seu unico voluntatis actu (§. 262.), &, eadem approbante, elegit mundum hunc adspectabilem, qui existit, ex ceteris omnibus possibilibus, quia est optimus (§. 249), seu ob majorem perfectionem, quæ ipsi, quam ceteris inest (*Theol. natur.* §. 325.). Nihil igitur voluit in particulari, nisi quatenus in systema cum aliis relatum (*Theol. natur.* §. 155.), seu, quod perinde est, quatenus in hac rerum serie tanquam cum ceteris, quæ eidem insunt, connexum consideratur (*Theol. natur.* §. 142.). Patet igitur, **Deum juxta sacras literas nihil eorum, quæ in mundo fiunt, in particulari velle absolute, seu quatenus in se spectatur, citra relationem ad totum universum.**

§. 313.

Usus hujus propositionis.

Propositio hæc probe notanda est, ne circa originem & permissionem mali oriantur difficultates insuperabiles: quæcunque enim moveri solent, non aliunde proveniunt, quam quod res quædam in particulari referantur ad voluntatem Divinam. Augentur difficultates, si essentiæ rerum tanquam

tanquam arbitrariæ ſpectantur. Unde hunc errorem profligavimus in ſuperioribus (§. 203. 204. 205.).

§. 314.

Cum Joſua ſolem ſtare juſſiſſet, & ejus juſſu ſtetiſſet; id factum eſſe dicitur *Deo voci hominis obediente Joſuæ.* X. 14. **Obedit alteri,** qui voluntatem ſuam alterius voluntati ſubjicit, facturus ea, quæ alter fieri vult. Deus igitur, teſte ſcriptura ſacra, fecit ſolem ſtare ad nutum Joſuæ; Conſequenter facultas patrandi **miracula non aliter competebat Joſuæ, quam quatenus Deus ad ejus nutum miraculum facere volebat, ipſe vero juſſu ſuo ſolem in eo, quem habebat, ſitu retinere minime poterat.** *Collatio facultatis patrandi miracula qualis.*

Conſimiliter cum Chriſtus in cœlum aſcenſurus facultatem patrandi miracula conferet in Apoſtolos, *ut dæmonia ejicere, linguis, quas minime didicerant, loqui, ſerpentes citra periculum ullum tollere, venenum absque nocumento bibere, manuum impoſitione ægrotos ſanare valerent. Marci* XVI. 17. 18. quinam fuerit eventus, commemoraturus hiſtoricus ſacer ſubjicit *verſu* 20. Deum ſermonem Apoſtolorum Evangelium juſſu Magiſtri ſui ubivis terrarum prædicantium confirmaſſe ſignis, ſeu quod perinde eſt, miraculis ſequentibus. Quodſi ergo Deus fecit, quod de Apoſtolis refertur, id aliter intelligi nequit, quam quod ſtylo ſacrarum literarum, quemadmodum paulo ante manifeſtum fecimus, obediverit voci Apoſtolorum, faciens ea omnipotentia ſua, quæ ipſi fieri volebant. Atque adeo evidens eſt, **ſcriptura ſacra magiſtra facultatem patrandi miracula non aliter fuiſſe conceſſam, quam**

quam quatenus Deus ad eorum nutum eadem fecit, voluntatem ſuam quaſi ſubjiciens voluntati eorum. Cum adeo Apoſtoli non propria virtute eadem patrarint, ſed tantummodo nutu ſuo Deo eadem patrandi occaſionem dederint; juxta ſacras literas non fuere, niſi cauſæ miraculorum occaſionales (*Pſychol. ration.* §. 590.).

§. 315.

Quæ hic notanda.

Quoniam miracula ad nutum eorum ſecuta, ad quorum nutum Deus ea fecit; actus vero volitionis ſive verbis, ſive alio actu externo, veluti manum imponendo ægrotis, ſignificatus fuit; ideo adſtantibus ipſimet miracula patraſſe viſi ſunt, ut ea de cauſa potentiam miraculoſam ab Apoſtolis vendi poſſe exiſtimaverit Simon Magus *Actorum.* VIII. 18. *ſqq.* Patet tamen ex modo collationis, quem in propoſitione hac (§. 314.) ex S. S. adſtruximus, neminem pro ſuo arbitratu facultatem patrandi miracula Divinitus ſibi conceſſam in alium transferre potuiſſe: Etenim ea edidere non propria virtute, ſed Divina; Ut adeo Deus ſolus miraculorum ſit autor, homines vero, per quos ea patravit, ſolum eorum cauſæ occaſionales. Conſentit hoc cum eo, quod Theologi dicunt, viros Divinos non patraſſe miracula virtute propria, ſed ſola virtute Divina, potentiam miraculoſam ſoli Deo tribuentes, quemadmodum & nos autoritate S. literarum muniti eandem ipſi ſoli vindicavimus paragrapho ſuperiore.

§. 316.

Quo ſenſu Deo tribuendum conſilium.

Paulus docet *Epheſ.* I. 11. *quod ſimus prædeſtinati ſecundum præſtitutum (propoſitum) ejus, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*; τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴ

τοῦ τὴν βελὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Vocabulum βελὴ denotare *actum consultationis*, quo disquiritur, quid sit agendum & non agendum, quemadmodum **consultatio**, seu **Consilium** definiendum est (*Theol. natur.* §. 498.), satis evidenter constat. Patet igitur, secundum S. literas, Deum non indeliberato facere, quod facit, sed potuis facere, quod summa deliberatione facta fieri debet. Deus, teste scriptura, omniscius est (§. 229.); Adeoque scit omnia, quæ cognitu possibilia sunt, tam singularia, quam universalia (§. 229. & *Theol. uatur.* §. 301.). Cognoscit etiam juxta eandem omnia simul, seu actu unico (§. 185.); Ut adeo nihil ipsi dubium videri possit, quemadmodum nobis. Quamobrem etsi consultatione, seu consilio non sit opus nisi in re dubia (*Theol. natur.* §. 500.); Consequenter Deus consultatione minime habet opus (*Theol. natur.* §. 501.); Quid tamen fieri in quolibet casu debeat, cum vi omniscientiæ suæ perspiciat, perinde est ac si deliberasset, quid fieri optimum sit. Quamobrem quando in S. S. Deo consilium, sive consultatio tribuitur, id non aliter accipi potest, quam quod Deus summa certitudine intuetur, quid agendorum optimum sit, ita ut ab eo nil quicquam fiat, quod ab hominibus fieri solet, quando absque deliberatione, seu nullo consilio quid faciunt. Atque adeo patet, **juxta scripturam Deo tribuendam esse consultationem, seu consilium solummodo per eminentiam, quatenus innuit actum illum intellectus Divini, quo, quid agendorum optimum sit, certo judicio definit, aut, si mavis, summa certitudine intuetur.**

§. 317.

§. 317.

Quæ hic notanda.

Hic actus intellectus Divini æquipollet consultationi, qua nos opus habemus, ut certum fiat de eo, quod agendum vel omittendum est, judicium; Consequenter consultatio vel consilium, quemadmodum cum scriptura loquimur Theologi, per eminentiam est: utriusque sane effectus idem est, nimirum certitudo judicii de agendis & omittendis. Neque enim alio fine consultamus, quam ut certum nobis sit de agendis & omittendis judicium: Unde a consultatione non desistimus, quamdiu hæremus, utrum judicium nostrum certum sit, nec ne. Dubium enim, quo ad eandem adducimur (*Theol. natur.* §. 500.), tollendum, antequam finiatur. Atat! Deo esse certitudinem judicii de agendis atque omittendis maximam, quis omniscientiæ ejusdem gnarus dubitet (*Logic.* §. 564.)? Ex his non minus evidens est, quantum nos a Deo differamus, qui consultatione sensu proprio indigemus, immo sæpe per præcipitantiam primo impetu in decreta ruimus, cum Deo nonnisi per eminentiam tribui possit, ejusque, quid agendorum optimum sit, judicium certissimum sit.

§. 318.

Quo sensu Deo tribuendum decretum.

Loco *Eph.* I, 11. jamjam (§. 316.) citato, gentium Apostolus docet: *Deum omnia operari (facere) juxta consilium voluntatis suæ.* Consilium in se spectatum actus intellectus est (§. 316. *& Theol. natur.* §. 502.), hinc non voluntatis, seu tribuitur enti intelligenti, quatenus, quid agendum sit, perpendit, antequam id agere velit. Quamobrem quando Deus dicitur operari omnia juxta consilium voluntatis suæ; id alio sensu accipi non potest, quam quod Deus non faciat, nisi quod faciendi seria ipsi jam fuit voluntas, antequam faceret; non autem velle, nisi quod velle quis

quis potest certo consilio, sive prævia omni deliberatione ad certum quid statuendum necessaria juxta S. paginas adeo Deus determinavit voluntatem suam ad faciendum, quod facit, eo modo, quo ens intelligens eandem determinare poterat, prævia consultatione. Verum enim vero ista voluntatis ad aliquid agendum determinatio, est id, quod **decretum** appellare solet *Cl. Wolfius* (*Theol.natur.* §. 497.) convenienter sensui communi. Atque adeo liquet, **apostolum Deo tribuere decretum**, quando affirmat, ipsum omnia operari secundum consilium voluntatis suæ, & quidem eodem prorsus sensu, quo decretum vulgo dicimus omnes, nimirum **quod sit divinæ voluntatis determinatio ad aliquid agendum, vel non agendum.** Etenim quando quid decrevisse dicimur, utique affirmamus, nos consultatione facta tandem statuisse, hoc fieri debere, atque adeo hoc facere velle. Ita dicimus decrevisse auxilium alteri ferendum, si voluntatem eo determinavimus, ut alteri auxilium ferre velimus. Neque minus ex adverso dicimur decrevisse auxilium alteri non ferendum, si voluntatem eo determinavimus, ut eidem auxilium ferre nolimus.

§. 319.

Eodem loco *Eph.* I, 11. ubi inquit Apostolus, *quod simus prædestinati secundum præstitutum (propositum) eius, qui operatur omnia ex consilio voluntatis suæ*, rationem reddit, cur simus prædestinati secundum propositum Dei: nimirum quia Deus omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, hoc est, quemadmodum modo ostendimus (§. 318.), quoniam non sine consilio decernit, quod facturus est. Quamobrem per propositum intelligi nequit,

Quo sensu Deo tribuendum propositum.

quit, nisi volitio exequendi decretum. Etenim si indelibrato quid agre vellet, hoc est, sine consilio decerneret, non satis pervidens, quid agendorum optimum sit; fieri poterat, ut meliora edoctus decretum suum mutaret, sicque propositum ipsius non foret constans. Sed quia non decernit, nisi quod summa certitudine intuetur tanquam agendorum optimum (§. 316 & 318.); Voluntas suum exequendi decretum constans est, ac ideo, quod decernit, exequi etiam vult, & quemadmodum vult, suo tempore exequitur. Verum enim vero actus voluntatis, quo determinatur executio decreti, convenienter loquendi usui, **propositum** dicitur (*Tqeol. natur.* 503.) Atque adeo patet, **juxta scripturam Deo esse tribuendum propositum, tanquam actum illum voluntatis divinæ, quo determinatur executio decreti.**

§. 320.

Quæ hic notanda.

Nimirum decreto determinatur voluntas ad aliquid agendum, vel non agendum: proposito eadem voluntas efficitur constans, ut adeo veluti in quadam decreti repetitione & approbatione consistat. Perpendentibus, quod decretum est, placet, & ideo ad eius executionem fertur animus. Ceterum dictum Scripturæ Sacræ, quo usi sumus ad probandum, Deo juxta eandem tribuendum esse consilium, decretum atque propositum, eo quidem Sensu, quo eadem usui loquendi commune convenienter definienda, vulgo a Theologis allegari solet, ut probent Deo in Sacris tribui consilium & decretum, quemadmodum nos consulere & decernere solemus, salva tamen quoad consilium ea differentia, quam omniscientia exigit.

exigit. Ex iis tamen, quæ diximus, intelligitur, non adeo in propatulo esse nervum probationis, sane non patentem, nisi notionum evolutione contextui convenienter facta. Quemadmodum itaque in philosophia notionum evolutione evidentiam venamur veritatibus universalibus, ut tales agnoscantur: ita operæ pretium esse duximus, in probandis dogmatis per loca Scripturæ Sacræ notionum evolutione contextui convenienter facta lucem fœnerari probationibus, ut probari per ea certum sit, quod probare debent, etiamsi in examinandis probationibus scrupulosior fueris evidentiæ demonstrationum adsuetus.

§. 321.

Dei decreta juxta S. literas sunt actus voluntatis Divinæ (§. 318.) Verum enim vero quicquid Deus, vult, secundum easdem ab æterno voluit (§. 257.) Ergo **quicquid Deus decrevit, juxta scripturam ab æterno decrevit, seu decreta Dei sunt æterna.** *Decreta Dei sunt æterna.*

Idem non minus ex loco quodam Scripturæ immediate probatur hoc modo. Gentium Apostolus *Eph.* III, 11. de iis quæ Deus facit in dispensatione gratiæ in tempore, affirmat ea fieri *secundum præstitutum æternum, quod constituit in Christo Jesu Domino nostro*, quemadmodum habet *Beza.* In textu Græco legitur: κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνιων *Secundum propositum seculorum.* Constat phrasi Græca propositum seculorum idem esse ac, propositum *æternum.* Apostolus itaque pronunciat, propositum Dei esse æternum. In humanis decretum præcedit, propositum sequitur: cum enim hoc determinetur executio decreti (§. 319 *et Theol. natur.* §. 503.), ex decreti approbatione resultat, ubi idem secundis quasi curis perpendimus: quod etsi in Deo

non sit verum ratione temporis, in eo tamen intelligi debet ratione ordinis, quatenus humano more nobis repræsentamus ea, quæ in Deo sunt. Quoniam itaque propositum Dei æternum est juxta S. paginas, **quin iuxta easdem decretum divinum quoque æternum esse debeat, dubitandum non est.**

§. 322.

Quæ hic notanda.

Ratio nimirum æternitatis decreti Divini eadem est. quam de æternitate volitionis (§. 257.) dedimus, scilicet quod ab æterno cognoscat omnia, unico intellectus actu; Consequenter ratio cesset cur successive hominum instar decernere debeat, quid agere vel facere velit. Ceterum plures occurrunt ad decretum actus, & alii ab eodem pendent. Quamobrem quando Scriptura de decretis vel Divinis, vel humanis loquitut, prout circumstantiæ rei decretæ vel hunc potius, vel alium actum respici jubent, nunc hoc, nunc alio utitur vocabulo. Sed nostrum jam non est, de his uberius disquirere, de dogmatis in sacris contentis agentes contenti iis, quibus hæc stabiliri queunt: ea igitur criticis discutienda relinquimus. Si vero huc respicere velis, plura occurrerent verbi Divini loca, ex quibus decretorum divinorum æternitas demonstrari potest. Et sane si æternitatem omnis decreti Divini stabilire volueris, ne, qui decreta temporaria defendunt, excipiant, ab æternitate eorum decretorum, quæ sacra Scriptura talia dicit, non esse argumentandum ad omnia cetera, quæ Deus decernit; pluribus dictis S. literarum ea evincenda venit. Quamobrem ne his ce ambagibus haberemus opus, maluimus eandem ex principiis indubiis S.S. firmiter deducere, antequam locum aliquem adduceremus, in quo decretum

cretum aliquot divinum æternum pronunciatur. Et cum veritates revelatas in Syſtema coordinare allaboremus, ea, quæ adhuc deſiderari poſſint ad exceptiones eorum, qui decreta temporaria defendunt, refellendas in ſequentibus trademus, ita ut dubium nullum remaneat, quin luculenter pateat, æternitatem decretorum Dei ad res decretas omnes ſe extendere, quam de quibusdam Scriptura narrat.

§. 323.

Cur nulla Divina decreta temporaria.

Teſte Scriptura impoſſibile eſt, ut Deus quid nunc demum in tempore velit, quod antea nondum volebat, vel ut in poſterum ipſum quid velle contingat, quod nondum vult (§. 258.). Quamobrem cum decretum ſit actus voluntatis divinæ, quo quid agendum a ſe ſit, quid omittendum, determinat (*Theol. natur.* §. 497.); autoritate ſcripturæ impoſſibile eſt, ut Deus demum in tempore quid decernat; Conſequenter nulla dantur decreta Dei temporaria.

§. 324.

Error refellitur.

Errant adeo, qui decreta Dei temporaria fingunt in omniſcientiam Dei, & quidem in præſcientiam ipſius injurii, perverſæ notionis de libertate humana abuſu. Repetenda igitur hic ſunt, quæ de præſcibilitate rerum omnium ſuperius (§. 237. 238. 243.) luculenter demonſtrata ſunt.

§. 325.

Imperſcrutabilitas decretorum Divinorum.

Paulus *ad Rom.* XI, 33. *quam imperſcrutabilia*, inquit, *ſunt judicia ejus!* Qualia ſint hæc judicia, de quibus

bus loquitur Apostolus, & quæ ratio sit, quare in hæc erumpat verba, quam imperscrutabilia ea sint, modo (§. 292.) explicuimus. Docente itaque Gentium Apostolo, ea, quæ Deus statuit, imperscrutabilia sunt, quia rationes, cur Deus voluntatem suam ad hoc potius agendum, quam aliud, determinet, assequi minime valemus. Quoniam determinatio voluntatis ad aliquid agendum, vel non agendum decretum est (*Theol. natur.* §. 497.); Si Apostolo credimus, rationes decretorum Divinorum penitus perspicere minime valemus. Quamobrem cum **imperscrutabilitas decretorum Divinorum** dicatur, quatenus rationes determinationis voluntatis Divinæ ad aliquid agendum, vel non agendum seu horum decretorum nobis penitus perspectæ non sunt, easque minime assequi valemus; **decreta divina; teste Paulo, seu juxta S. literas, imperscrutabilia sunt.**

§. 326.

Qui hic notanda.

Quo sensu decreta Divina nobis imperscrutabilia dicantur, patet ex definitione imperscrutabilitatis modo (§. 325.) allatæ, & ex definitione imperscrutabilitatis voluntatis Divinæ a *Cl. Wolfio* (*Theol. natur.* §. 397.) datæ: Nimirum quatenus nobis eorum rationes penitus perspectæ non sunt, quæ Deum ad decernendum permoverunt. Quemadmodum vero superius (§. 293.) jam monuimus, imperscrutabilitatem voluntatis Divinæ non obstare, quo minus eandem quantum detur; scrutemur, ita etiam eadem minime obstat, quo minus in rationes decretorum Divinorum inquiramus, quantum eas assequi nobis licet. Et ubi rationes possibiles reperimus, in iis acquiescendum: ubi nullas perspicere possumus, de iis temere judicandum non est. §. 327.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0248
DFG

§. 327.

Apoſtolus *Rom.* IX, 18. ait, *cuius* (Deus) *vult miſeretur, quem autem vult, indurat.* Et *Jacobus* Cap, I, 18. *Is, quia voluit, progenuit nos verbo veritatis.* Ex his, aliisque evidens eſt, quod ratio, quæ in ſacris redditur, cur Deus quid faciat, ſit, quia id vult facere. Jam Deus, iterum docente Scriptura, non facit, niſi quod facere decrevit (§. 318.). Quamoberem dicendum eſt, S. literas hanc reddere decretorum Divinorum rationem, quod voluerit hoc potius decernere quam aliud. Quoniam **libere decernit** (*Pſychol. empir.* §. 941.), qui quid ideo decernit, non alia de cauſa, quam quod id potius velit, quam aliud; Conſequenter quod hoc ipſi placeat potius, quam aliud (*Pſychol. empir.* §. 937.); **decretum quoque Dei juxta verbum revelatum liberrimum eſſe debere conſtat.** *Decretum Dei liberum eſt.*

Sic idem non minus oſtendi poteſt. Decretum eſt actus voluntatis Divinæ (*Theol. natur.* §. 497.) Verum enim vero voluntas Dei, teſtibus ſacris literis, libera eſt ab omni coactione externa (§. 265.) & juxta easdem ab omni ente alio extra ipſum independens (§. 267), Immo Deus vult, quod ipſi placet (§. 270.), quemadmodum libertas voluntatis exigit (*Pſychol. empir.* §. 941.); **decretum igitur Dei juxta ſcripturam liberrimum dicendum eſt, quia is ideo quid decernit, non alia de cauſa, quod id potius velit, quam aliud, & hoc ipſi placeat potius, quam aliud.**

§. 328.

§. 328.

Quæ hic notanda.

Quando dicimus in S. paginis, tanquam rationem decreti allegari, quod Deus id voluerit, ut loco rationis voluntas ſtare videatur: id non ita accipiendum eſt, quaſi nullæ ſint decreti Divini rationes. Etenim, ipſa ſcriptura magiſtra, decreta divina nobis imperſcrutabilia ſunt (§. 325). Quamobrem cum imperſcrutabilia ſint, quia motiva voluntatis Divinæ (*Theol. natur.* §. 397.), hoc eſt, rationes cur Deus quid voluerit, certo aſſequi minime valemus; non ideo negandum ullas dari rationes decreti Divini, etſi ideo quid ipſum decreviſſe dicatur, quia voluit. Cur enim voluerit, dantur rationes; Ergo & eius quod decrevit. Ut denique propoſitioni major lux affulgeat, ad eam applicanda ſunt, quæ ad evincendam ſummam libertatem voluntatis Divinæ (§. 265 & 267.) in medium attulimus (§. 266.). Nimirum in genere notandum, quæ de decreto Dei prædicantur clariora fore, ſiquidem ad ea applices rationes, quæ de voluntate in genere ſuperius adductæ ſunt.

§. 329.

Decretum Dei non eſt caſus purus.

Approbante S. S. Deus, ut quid velit, motivum aliquot datur (251.); Conſequenter cum motiva ſint ratio ſufficiens actus volitionis (*Pſychol. empir.* §. 887.); Actus voluntatis Divinæ ratio ſufficiens utique datur. Enim vero **caſus purus** eſt actualitas ratione ſufficiente deſtituta (*Coſmol.* §. 94.). Apparet itaque quoque juxta S. S. actum voluntatis Divinæ non eſſe caſum purum. Cum vero decretum ſit actus voluntatis Divinæ (*Theol. natur.* §. 497.); **nec decreta Dei juxta S. literas caſus purus ſunt.**

Unde

Unde liquet, quam abjecte de voluntate & decretis Dei sentiant, qui iisdem motiva demunt, quasi eadem necessitatem volendi atque decernendi absolutam inducant. Ita vero tum demum volens & decernens erit vere liber, quando quid temere vult & decernit, & temerariæ volitiones, temerariaque decreta erunt liberrima: quod quam sit absurdum, nemo non videt.

§. 330.

Immutabilitas decreti Dei.

Disertis verbis consilium Dei immutabile dicitur *Hebr.* VI, 17. ubi Apostolus: *Deus*, inquit, *volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilii sui, fidejussit jurejurando:* βελόμενος ὁ Θεὸς ἐπιδεῖξαι τοῖς κληρονόμοις τῆς ἐπαγγελίας τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ, ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ. Nimirum vocabulum Græcum τὸ ἀμετάθετον vi quidem originis *immobilitatem* significat, quemadmodum vertit *interpres vulgatus*. Cum vero usurpetur de rebus, quæ moveri proprie loquendo non possunt, facile intelligitur, quod *immutabilitatem* indigitare debeat. Quod enim immutabile est, immotum dicitur sensu metaphorico, vi ipsius definitionis immutabilitatis (*Ontol.* §. 291.). Unde & communiter Lexicographi τὸ ἀμετάθετον per *immutabilitatem* reddunt. *Lutherus* in vernacula interpretatur: **aber GOtt, da er wolte den Erben der Verheissung überschwenglich beweisen, daß sein Rath nicht wancket, hat er einen Eyd dazu gethan.** Ubi hoc vocabulum reddit per **nicht wancket,** cum potius ei ad amussim respondeat **unverenderlich.** Dubium igitur nullum supereſt, quin Apostolus consilium Dei immutabile statuat. Quo significatu consilium Deo in sacris paginis tribuatur (§. 316.), ostendimus. Quamobrem cum id sit actus

intellectus Divini, quo, quid agendorum optimum ſit, certo judicio definit (§. 316. & *Theol. natur.* §. 502.); Apoſtolo docente, Deus judicium ſuum de eo, quod factu optimum judicat, nunquam mutat; Adeoque quod ab æterno fieri debere judicavit, id fieri debere ſemper judicat. Verum enim vero conſilium in humanis ſequitur decretum (*Theol. natur.* §. 499.), & Deus, quod factu optimum judicat, facere vult (*Theol. natur.* §. 390.). Quamobrem decretum Dei cum conſilio ipſius adeo arcto vinculo connectuntur, ut illud absque hoc eſſe non poſſit; atque ideo ſcriptura decretum a conſilio non diſtinguat, ſed ſub eodem ſimul comprehendat, præſertim cum in Deo cum conſilio ſimul ponatur decretum; **Decretum Dei juxta ſacras literas quoque immutabile dicendum eſt.**

Idem ex vetere Teſtamento eodem modo probari poteſt. Ex. gr. *Pſalm* XXXIII, 11. *Conſilium Jehovæ in ſeculum* (*in æternum*) *manere* dicitur: עצת יהוה לעולם תעמד. Vocabulum Hebraicum עצה Hebræis uſurpatur in eo caſu, quo alteri *conſilium impertire* dicimur, veluti cum Achitophel II. *Samuel.* XVII. Conſilium impium daret Abſolomo de Davide patre opprimendo, Chuſæus Davidi bene cupiens contrario conſilio ipſum irritum redderet, ubi vocabula hæc עצה & יעץ *verſu* 7. reperiuntur. Quando alteri conſilium damus, ipſi judicium noſtrum de eo, quod fieri debet, exponimus. Atque adeo patet, Deo tribui conſilium, quatenus ipſemet judicat, quid fieri debeat: qui ſane ſignificatus idem eſt, quem huic vocabulo tribuimus, & in quo Deo juxta ſacras paginas conſilium vindicavimus (§. 316.). De hoc Dei conſilio Pſaltes in ſacris inculcat, quod maneat in æternum. Quod in æternum manet, minime mutatur: id quod nemo non concedit. Dei adeo conſilium prorſus immutabile

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0252
DFG

mutabile est. Unde porro, quemadmodum modo fecimus, deducitur, **immutabile esse, teste S. S., consilium Dei.**

Alium addimus locum, ex quo, quod demonstrare occepimus, sponte sua sequitur. Habetur is *Jes.* XIV, 27. & ita se habet: *Nam Jehova exercituum inivit consilium, & quis irritum faciat?* Quærit is, consilium, seu decretum Dei, quis irritum faciat? Constat ex principiis artis oratoriæ interrogationem æquipollere affirmationi forti. Vates itaque Divinus sancte affirmat, non reperiri ullum, qui Dei consilium vel decretum irritum facere possit. **Juxta scripturam adeo decretum Dei non modo immutabile est ex parte Dei,** quem nunquam pœnitere potest illius, quod decrevit *Numer.* XXIII, 23. **verum etiam extra Deum non datur aliqua causa, quæ ipsum consilium suum atque decretum mutare cogat.**

§. 331.

Quoniam immutabilitas decreti Divini plurimum influit in praxin; haud parum refert, ut illa in tuto locetur, ne qua dubitandi ratio remaneat. Quamobrem Apostolus *Hebr.* VI, 17. *Deum juramento obstrinxisse fidem suam* hominibus, ut eos de immutabilitate consilii ac decreti sui certos redderet. Præterea ex iis, quæ ad hanc veritatem probandam dicta sunt, haud obscure intelligitur, non a vero aberrare, qui de decreto Divino accipiunt, quæ de consilio Dei dicuntur in sacris paginis. Etsi enim consilium a decreto differat, siquidem accurate distinguere velis, quæ diversa sunt, cum decretum ex consilii approbatione oriatur, quemadmodum hoc ex consultatione resultat: attamen sicuti consilium de actu consultationis accipi solet in Theologia, quia *Quæ hic notanda.*

ejusdem finis est (*Theol. natur.* §. 498.); ita quoque consilium pro decreto accipitur, quia hoc ex illo resultat. Id autem maxime succedit quoad Deum. Etenim cum Deus quemadmodum homines consultatione opus non habeat (§. 318. *&* *Theol. natur.* §. 501.), consultatio quoque & consilium non differunt quoad ipsum, nisi quatenus hoc resultare concipis ex collatione plurium possibilium, quæ unico intellectus actu simul repræsentantur (§. 185.), & decretum consilio statim adhæret, citra ullam hæsitationem præsentem atque futuram. Qui intimius perspicit, quæ de natura intellectus ac voluntatis Divinæ ex mente scripturæ sacræ dicta sunt, satis intelliget, quo sensu Deo tribuenda sint, quæ de consultatione, consilio, nec non decreto, itemque proposito quoad homines dicuntur, ut de Deo dicta humano more, quemadmodum ipsum deceant, explicentur.

§. 332.

Deum nunquam illius, quod decrevit pœnitere potest.

Balaamus de Deo affirmat *Numer.* XXIII, 23. *Deum fortem non esse hominem, qui mentiatur, aut filium hominis, quem pœniteat.* Verbum נחם idem significare *ac pœnitere*, pervulgatum est, & probavimus una cum eo, quod verbum pœnitere sumatur in significatu communi, quem ex usu loquendi habet, & in quo superius (§. 276.) ostendimus, Deum nunquam pœnitere posse ejus quod facit, consequenter quod vult. Quamobrem cum decreta sint actus voluntatis Divinæ (*Theol. natur.* §. 497.); **Deum quoque ex mente Balaami; consequenter juxta scripturam nunquam pœnitere potest ejus, quod decrevit.**

Per indirectum idem hoc modo demonstrabile. Pone Deum pœnitere ejus, quod decrevit. Quoniam decretum est actus suæ voluntatis (*Theol. natur.* §. 497.), eum pœnitet, quod hoc vel istud voluerit. Quamobrem cum Deus

jam

jam non velle debeat, quod voluit ante (*Pſychol. empir.* §. 761.), ſubſiſtente licet decreto immutabili (§. 330.); Voluntas ipſius foret mutabilis: quod cum ſit abſurdum, & S. literis contrarium (§. 302.); **Deum pœnitere, juxta ſcripturam, nunquam poteſt ejus, quod decrevit.**

§. 333.

Quæ hic notanda.

Immutabilitas decreti per ſe non arcet pœnitentiam: fieri enim poteſt, ut, etſi nos pœniteat, quod hoc vel iſtud decreverimus, adſint tamen rationes ſufficientes cur decretum potius exequi, quam reſcindere velimus: Aſt cum immutabilitate voluntatis in genere pœnitentia decreti conſiſtere minime poteſt, quemadmodum ex veritatis hujus demonſtratione ſatis evidens eſt.

§. 334.

Deus decreta ſua penitus intelligit.

Approbante S. S. Deus penitus intelligit, quicquid vult, ut ſcilicet nihil quoad ejus cognitionem deſiderari poſſit (§ 261.). Quare cum decreta ſint actus voluntatis Divinæ (*Theol. uatur.* §. 497.); **Deus juxta ſacras literas quoque ea, quæ decernit, penitus intelligit.**

§. 335.

Cur Deum decreti nunquam pœnitere poſſit.

Ex his evidenter apparet, quod nulla adſit ratio, cur Deum decreti ſui unquam pœniteat, quemadmodum hominibus accidere ſolet. Etenim Deus cum penitus intelligat decreta ſua, vereri minime debet, ne forſan rationes quasdam non videat, cur a decreto abſtinere conſultius ſit: ſed quas novit decernendi rationes, eædem ſemper ſubſiſtunt; Conſequenter ſi ad decernendum ſint ſufficientes, ſemper tales deprehenduntur. Quamprimum nimirum appeti-

bile vel averſabile qua tale cognoſcitur, illud quoque cognoſcens appetit vel averſatur (*Theol. natur.* §. 318.). Quamobrem, qui appetibile penitus cognoſcit, ita ut nihil quoad ejus cognitionem deſiderari poſſit, id appetibile ſibi ſemper tanquam tale repræſentat, atque adeo nulli mutationi locus eſſe poteſt.

§. 336.

Incomprehenſibilitas decretorum divinorum.

Voluntas Dei juxta ſacras literas omni homini, immo omni enti intelligenti finito incomprehenſibilis eſt (§. 291.). Eſt vero decretum Dei actus voluntatis Divinæ (*Theol. natur.* §. 497.), dependens ab actu intellectus (§. 334. 318.), quo ſingula, quæ decreto inſunt, referuntur ad totum univerſum, ſeu omnium rerum ſeriem (*Theol. natur.* §. 519.). **Ergo juxta ſcripturam quoque decreta Dei omni homini, immo omni enti intelligenti finito incomprehenſibilia ſunt.**

Quo ſenſu Divina decreta dicantur incomprehenſibilia, patet per definitionem incomprehenſibilitatis, quam *Cl. Wolfius* dedit (*Theol. natur.* §. 170.), & quo voluntatem ipſius incomprehenſibilem eſſe demonſtravimus (§. 291.).

§. 337.

Cur Deus decernere poſſit, cujus rationem homo intelligere nequeat.

Paulus in hæc erumpit verba *Rom.* XI. 33. *quam imperſcrutabilia ſunt ejus* (Dei) *judicia!* ejus rei rationem reddit *verſu.* 34, inquiens: *quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit a conſilio?* Ut adeo voluntas Divina propterea imperſcrutabilis ſit, quod motiva ejusdem nobis non ſint perſpecta, nec eadem certo prorſus cognoſcere valeamus (§. 292.); Conſequenter Deus, ſi Paulo fidem habemus, velle poteſt, cujus ratio homini ignota (§. 294.).

Quam

Quamobrem cum decreta Divina sint actus voluntatis Divinæ (*Theol. natur.* §. 497.); **Deus, teste scriptura, decernere potest, quæ cur decreverit, homo intelligere nequit.**

Hæc propositio multum influit in praxin, quemadmodum constabit, si Theologia moralis methodo Geometrica ordinabitur; Adeoque probe notanda est.

§. 338.

Deus decrit, quod est optimum.

Motivum voluntatis Divinæ juxta S. S. est id, quod optimum est (§. 252.), & quidem partim ratione objecti, partim ratione subjecti (§. 255.), aut, si mavis, quod optimum est, tum in se, tum in relatione ad ipsum Deum (*Theol. natur.* §. 390.). Cum jam decreta Dei sint actus voluntatis ipsius (*Theol. natur.* §. 497.). **Quare quod Deus decernit, approbante S. S., optimum esse debet tam in se, quam in relatione ad ipsummet Deum.**

§. 339.

Futuritio rerum a decreto pendet.

Quicquid Deus decrevit, illud suo tempore certo evenit. Etenim decretum Dei juxta sacras literas immutabile est (§. 330.), & *Jesaias* cap. XIV. 27. adeo evidens esse pronuntiat, ut a nemine in dubium vocari possit, quod decretum Dei nemo irritum facere & ejus executionem nemo impedire valeat. *Jehova enim*, inquit, *exercituum inivit consilium* (*decrevit*), *& quis irritum faciat? & manum ejus extentam, ecquis eam avertat?* Nemo non videt per extensionem manus hic significari decreti executionem; Consequenter manum avertere non posse, idem esse, ac decreti executionem minime impedire posse. Jam si neque fieri

fieri poteſt, ut Deus ipſe decretum ſuum mutet, neque ut quis idem irritum faciat, neque ut executionem quisquam impediat; **quin juxta ſcripturam illud certo evenire debeat, quod Deus decrevit, evidentiſſimum eſt.**

Idem affirmat ipſe Deus *Jeſ.* XLVI. 10. *conſilium*, ajens, *meum ſtabit, & omnem delectationem meam facturus ſum*, ubi fidem facere vult prædictionibus ſuis futurorum eventuum, quemadmodum verba Hebraica proprie ſonant, עצתי תקום וכל־חפצי אעשה. Hanc adeo Deus reddit rationem, cur quid certo eventurum ſit, quod prædicit, quia illud ipſum decrevit: Conſilium vero ſuum neque ab ipſo Deo mutatur, neque ab alio irritum fieri poteſt, nec quisquam ejus executionem impedire valet. **Deus** itaque propoſitionis præſentis veritatem eodem modo demonſtrat, quo ex ſcripturæ principiis eandem evicimus, hoc eſt, **quicquid decrevit, ipſo teſte, illud certo evenit ſuo tempore.**

§. 340.

Quæ hic notanda. Ex hucusque dictis luculenter patet, futuritionem rerum, ſcriptura ſacra magiſtra, pendere a Divino decreto, quatenus ipſum immutabile, nec a quoquam irritum fieri poteſt, ejus vero executio irreſiſtibilis. Immutabilitas fluit ex omniſcientia, Deo autoritate ſacrum literarum tribuenda (§. 229.), impoſſibilitas decretum irritum faciendi ex independentia voluntatis a rebus extra ſe in ſacris paginis aſſerta (§. 265.), & denique irreſiſtibilitas a magnitudine potentiæ independentis juxta S. S. Deo competentis (§. 280. 274.), quemadmodum facile aſſequitur anteriorum gnarus. Non tædet hæc inculcare, propterea quod hæc vulgo a ſe

ivicem

invicem non satis distinguuntur: unde deinde in aliis, quæ hinc pendent, lites nascuntur inanes, & difficultates vix subinde extricabiles.

§. 341.

Decreta Divina Deum decent.

Cum supra ostenderemus, Deum, docente scriptura sacra, velle quod ipsum decet (§. 272.), illud probavimus ex eo, *quod Deus vasa iræ in interitum aptaverit, vasa vero misericordiæ in gloriam præparaverit Rom.* IX, 22. 23. Quoniam determinatio voluntatis Divinæ ad aliquid agendum est decretum Dei (*Theol. natur.* §. 497.), etiam secundum S. S. (§. 318.); dubium non est, quod Apostolus ibidem loquatur de eo, quod Deus decrevit. Quamobrem quæ ibidem diximus ad adstruendam veritatem illius propositionis, quod Deus velit juxta S. S., quæ ipsum decent: ea quoque veritatem propositionis præsentis confirmant, ut adeo eadem huc denuo transcribi non sit opus.

Potest vero præsens propositio etiam probari hoc modo. Quæ Deus vult, ea ipsum, testibus sacris literis, decent (§. 272.). Sed quæ decernit, ea etiam, approbantibus iisdem, vult (§. 318.). Ergo **quoque, quæ decrevit, ea ipsum juxta sacras paginas decent.**

Quando de sapientia Dei deinceps acturi sumus, clarissime constabit, quomodo Deum deceant, quæ decrevit: Constituit enim finem sibi dignum, & ex eo elucet, quod non fecerit, nisi quod ipsum deceat. Sane quæ ex loco a nobis jam citato *Rom.* IX, 22. 23. ad probandam propositionem præsentem allegantur, a fine, quem Deus sapienter intendit, desumuntur. Maximum momentum ad praxin præsens propositio affert: quamobrem haud parum interest, ne ulla careat luce, qua perfundi potest.

§. 342.

Quomodo decreta Deo digna.

Quoniam, scriptura magistra, Deum decet, cujus aliqua in iis, quæ ipsi insunt, seu in essentia vel attributis ipsius continetur ratio, cur id potius velle debeat, quam aliud (§. 272.), decreta vero sua juxta eandem ipsum decent (§. 341.); in essentia & attributis Divinis, & hisce quidem omnibus simul sumtis (*Theol. natur.* §. 395.), continetur ratio, cur hoc potius decernere maluerit, quam aliud; Consequenter cum per rationem intelligatur, cur quid sit (*Ontol.* §. 56.); **juxta S. S. per essentiam & attributa Divina, sed ea simul sumta, intelligitur, cur Deus hoc potius decreverit, quam aliud, seu quomodo decreta ipsi digna.**

Cur vero rationes istæ nobis sint ut plurimum absconditæ, si ad particularia descendis, patet, quoniam rerum perfectionem, & quid sit tam in se, quam in relatione ad Deum ipsum optimum eodem, quo Deus, modo dijudicare nequimus (*Theol. natur.* §. 396.), nec non ex convenientia cum attributis Divinis difficulter a nobis cognoscitur, quid Deus velit, vel ex repugnantia, quid non velit (*Theol. natur.* §. 446.).

§. 343.

Quomodo Deus in particulari quid decernat.

Juxta S. S. Deus nihil eorum in particulari, quæ in mundo fiunt, vult absolute, sed in relatione ad totum spectatum (§. 312.). Cum itaque quod decernit, id velit (*Theol. natur.* §. 497.); **nihil quoque eorum, approbante scriptura, quæ in mundo fiunt, in particulari decernit, quatenus absolute, sed quatenus ad totum spectatur.**

§. 344.

§. 344.

Utplurimæ, immo fere omnes difficultates, quid? quod errores, quæ circa decreta Divina cooriuntur, ex hoc fonte manant, quod particularia in se spectata considerentur tanquam objectum decreti Divini, & idem referatur ad unum vel alterum aliquod attributum Divinum, non spectatis ceteris simul. *Fons errorum circa decreta.*

§. 345.

Deus, teste S. S., universam rerum præter ipsum existentium seriem, seu totum hunc mundum adspectabilem sibi distincte repræsentavit ab æterno (§. 169.), omniaque simul, seu unico intellectus actu, juxta sacras literas cognoscit (§. 185.). Verum enim vero mundus ens unum est (*Cosmol.* §. 60.), & singula in eodem vel simul, vel successive existentia sunt ejusdem partes (*Cosmol.* §. 61.); Deus itaque sibi mundum tanquam ens unum, & singula coëxistentia & successiva tanquam unius totius partes ab æterno repræsentavit; Actualitatem quoque totius mundi, & omnium eorum, quæ in ipso sunt, simul unico voluntatis actu decrevit. Et quamvis Deus, scriptura magistra, miracula facere possit, quotiescunque vult (§. 286.), & hinc sequentem mundi partem immutare valeat, ut non sit eadem, quæ ad ipsum in ejusdem idea spectat (*Theol. natur.* §. 367.); Quoniam tamen, scriptura magistra, non minus semetipsum (§. 206.), quam cetera omnia, eadem docente, quæcunque cognitu possibilia sunt, ab æterno distincte cognovit §. 169.), ab æterno quoque novit, quomodo per miracula partem mundi sequentem immutare, seu hanc rerum naturalium seriem interpolare possit. Quodsi ergo interpolatio seriei rerum naturalium per miracula ad majorem facit mundi perfectionem, & eum reddat Deo magis dignum, idem ab *Cur Dei decretum sit unicum.*

æterno cognovit, nec concipi in Deo potest idea seriei naturalis, nisi una cum interpolatione per miracula possibili. Quamobrem ubi Deo volenti, quod perfectioni totius universi, & summæ rerum perfectioni, quam habere possunt, convenit (*Theol. natur.* §. 443.), & cum perfectionibus ipsius consentit (*Theol. natur.* §. 445.), visum fuerit rerum seriem naturalem per miracula interpolare; nec aliter existentiam ejus decrevit quam eo, quo ipsi visum est, modo per miracula interpolandam. Atque adeo patet, **Decretum Dei juxta sacras paginas quoque non esse nisi numero unicum, & in eo contineri miracula tanquam ad hunc rerum seriem spectantia.**

§. 346.

Quæ hic notanda.

In eo differt decretum Divinum a decreto humano: quod non modo unico voluntatis actu, quemadmodum vult (§. 262.), ita & decernat omnia (*Theol. natur.* §. 497.), sed & de toto decernat, tanquam de toto: id quod omniscientiæ Divinæ tribuendum. Nos e contra deliberamus de partibus vitæ, & de iisdem decernimus, propterea quod omnem rerum ad vitam integram pertinentium seriem non obtutu uno comprehendimus, sed successive partes cognoscimus, de quibus statuendum. Cavendum itaque, ne de Deo ex nobis judicemus. Cur vero decretum Dei a nobis, si objectum, seu res decretas spectes, tanquam multiplex considerari possit, & debeat, unicum illum Divinæ voluntatis actum, quo decernit omnia, nostro concipiendi modo, veluti in plures se invicem consequentes resolvendo, ejus ratio in rebus decretis unice quærenda: quod sequente propositione paulo clarius edocere lubet.

§. 347.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0262
DFG

§. 347.

Qui S. evolvit literas plurima per Prophetas, a Christo & per Apostolos patrata esse miracula reperiet, quæ inter etiam locum habet nativitas miraculosa Dei hominis, nimirum Christi, inter hominem peccatorem atque Deum Mediatoris, quibus series hæc rerum interpolata est. Cum constet, seriem rerum ad actum perduci potuisse nulla interpolatione per miracula facta, quam tamen interpolatam esse autoritate codicis sacri scimus; nec minus, scriptura magistra, certum sit, Deum liberrime decernere omnia (§. 327.), in se non implicat, ut series rerum præseus ad actum perducenda, absque ulla interpolatione per miracula facta, decerneretur. Nostro igitur concipiendi modo Deus libere decrevit actualitatem præsentis rerum seriei, quatenus spectatur in se, nulla interpolatione per miracula facta, nec minus libere decrevit interpolationem ejusdem seriei per miracula, & libere quoque utrumque decrevit simul. Nostro igitur concipiendi modo duæ sunt voluntatis Divinæ determinationes, quarum una absque altera esse poterat; Consequenter **unicus ille voluntatis Divinæ actus, quo decretum ipsius continetur** (§. 345.), **autoritate sacri codicis, tanquam duo decreta spectari possunt** (*Theol. natur.* §. 497.). *Quomodo decretum Dei spectatur tanquam multiplex.*

Quoniam decreta Dei sunt actus voluntatis Divinæ (*Theol. natur.* §. 497.), voluntatis vero Divinæ datur aliqua ratio objectiva (*Theol. natur.* §. 339.); Cur Deus quædam simul decreverit, cum unum absque altero decernere potuisset, objectiva quædam ratio dari debet. Quamobrem cum ratio objectiva ab objecto desumatur (*Theol. natur.* §. 118.), & per eam intelligatur, cur quid potius

sit, quam non sit (*Ontol.* §. 56.); quædam rei uni decretæ inesse debent, per quæ intelligitur, cur non decreta sit altera. Quoniam adeo res decretæ a se invicem dependent (*Ontol.* §. 851.); Si distincte hanc dependentiam cognoscere velimus, decretum Dei tanquam multiplex a nobis spectari debet.

§. 348.

Quæ hic notanda.

Poterat demonstratio partis alterius hujus propositionis non minus applicari ad exemplum, quod in demonstratione partis primæ supposuimus. Quod ubi facere lubet, clarissima patebit dependentia rei decretæ unius ab altera. Etenim in serie rerum miraculis interpolata continetur lapsus Adami, teste S. S., & hujus causa Deus eandem miraculis interpolavit, quatenus redemtioni non erat locus sine miraculosa nativitate Christi, & executio decreti redemtionis adhuc alia miracula poscebat. Verum enim vero si rem quoad Deum consideres, cum ideæ rerum sint necessariæ (§. 203.), in intellectu ipsius simul continetur, & idea mundi absque miraculis interpolati, & idea quoque ejusdem per miracula interpolati: Deus vero liberrime decernens (§. 327.), seriem miraculis interpolatam prætulit alteri ab iisdem vacuæ tanquam eam, quæ se magis deceat (§. 272.), alteraque meliorem (§. 338.). Nimirum Deo, qui omnia unico actu intelligit (§. 185.), res decernendæ aliter objiciuntur, quam nobis, qui, quæ ad eandem seriem rerum pertinent, particulariter considerare tenemur. Neque est quod in præsente negotio id nobis videatur peregrinum atque alienum: Etenim in ipsa quoque serie rerum naturali diversa a se invicem distinguimus, & sigillatim expendimus. Ita constat, descensum gravium fieri in medio resistente, &

servare

servare in defensu per idem medium certam legem. Quoniam in se non implicat, ut gravis descensus concipiatur in vacuo seu medio non resistente, & lex descensus in medio resistente utique a duplici dependeat causa, nimirum a vi gravitatis, qua motus acceleratur, & a vi, qua medium resistit: igitur nos distincte concepturi legem descensus in medio resistente, sigillatim perpendimus, quomodo motus acceleretur vi gravitatis, & qualis foret descensus, si sola gravitas in descensum influeret; sigillatim quoque consideramus resistentiam medii, ut constet, quantum per eam motui descendentis detrahatur. Legem igitur descensus in medio resistente unicam resolvimus in duas, nimirum in legem descensus liberi in vacuo seu accelerationis, vi gravitatis factæ, ac in legem resistentiæ, quæ fit descendenti per medium resistens. Mathematum gnari minime ignorant, si legem descensus gravium in medio resistente distincte cognoscere velimus, & legem accelerationis in vacuo, & legem resistentiæ in medio, per quod descendit grave, sigillatim perpendendam esse, idemque non solum in descensu gravium distincte concipiendo, sed in aliis casibus quam plurimis motuum in rerum natura certa lege fieri solitorum similiter observari. Nihil adeo singulare est in Theologia, si seriem rerum præsentem sigillatim consideramus, qualis foret, si nullis miraculis interpolaretur, & qualis sit, ubi miraculis interpolatur; Consequenter interpolationem per miracula factam, tanquam quid a serie ista diversum, & ad eam per se minime pertinens spectamus; atque hoc pacto unicus voluntatis Divinæ actus, quo decrevit omnia, tanquam in duos actus a se invicem distinctos resolvitur, sicque decretum unicum quoad res decretas, minime autem quoad Deum decernentem, spectatur tanquam multiplex. Quemadmodum vero ex ipsa re decreta, quatenus refertur ad intellectum Divinum,

num, intelligitur, cur Deus unico voluntatis actu eandem decernere potuerit; ita non minus ex eadem, quatenus ad intellectum humanum refertur, perspicitur, cur unicum Dei decretum a nobis spectari possit tanquam multiplex, & cur hoc modo spectari debeat, si quidem distincte idem nobis repræsentare velimus.

§. 349.

Certitudo executionis decretorum Divinorum.

Deum decreta sua certo exequi Balaamus docet jussu ipsius Dei *Numer.* XXIII. 23. (19.). Ita enim ad Balaacum: *An ipse dixerit*, inquit, *& non faciet? an locutus fuerit, & non implebit illud?* Reddit quoque rationem, *quod Deus fortis non sit homo, qui mentiatur, nec filius hominis, quem pœniteat.* Quæ Deus dicit se facturum, illa utique facere decrevit. Etenim ex eo, quod dicit, se quid facturum, intelligitur, eum facere velle, quod decrevit. Quodsi vero facere vult, quod decrevit, certo etiam facturus est, & verbis suis stabit. Nimirum quando homines non faciunt, quod se facturos dicunt, aut non serio loquuntur, aliter nimirum loquentes, aliter sentientes; aut mentem suam mutant. Deus vero aliter non loquitur, aliter sentit; Consequenter dubitari nequit, quin sibi proposuerit ea facere, quæ se facturum dicit; Adeoque eadem decrevit (§. 319.). Præterea eundem Deum nunquam pœnitere potest decreti ac propositi sui, scriptura itidem magistra (§. 33.); Adeoque Balaamus jussu ipsius Dei omnem removet rationem, cur ea, quæ Deus decrevit, exequi non debeat. Cum vero nulla subsit ratio, cur, quæ decrevit, exequi non debeat, si Balaamo Divino jussu & instinctu asseveranti fidem habemus; Ubi consequenter **autoritati sacrarum literarum assentimur, dubitare nequimus, quin Deus decreta sua certo exequatur.**

§. 350.

§. 350.

Ipsemet Deus *Jesaiæ* XLIV. 6. 7. (1. 2.) ita loquens inducitur: *Sic ait Jehova rex Israëlis, & vindex ejus Jehova exercituum: ego* (sum) *primus, & ego ultimus, ac præter me nullus est Deus. Quis enim ut ego prædicat, & indicat illud, aut ordinat istud mihi ex quo disposui populum æternum; ut futura & quæ ventura sunt, indicentur illis?* Ex his evidens est, quod ipsemet Deus scientiam futurorum alleget, qua a falsis Diis distinguitur. Quærit enim *quis est ut ego* (*similis mei*)? quam ipsam interrogationem esse fortiorem negationem, nemo non novit. Reddit autem hanc rationem, quod nemo sui similis sit: Etenim futura *prædicit, & indicat illud, aut ordinat istud ut futura, & quæ ventura sunt, indicentur illis.* Atque adeo vi *versus* 6. ipsemet est solus Deus, *nec præter eum datur Deus alius*, quia ventura, & quæ futura sunt, annunciare nemo valet, quemadmodum ipse fecit per Prophetas. **Juxta S. S. itaque præscientia futurorum Deo tribuenda tanquam ipsi propria.** *Qualis præscientia Deo sit tribuenda.*

Similiter præscientiam futurorum sibi tanquam propriam, nec ulli enti communicabilem tribuit Deus *Jes.* XLII. 8. 9. ubi: *Ego*, inquit, *sum Jehova, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Quæ primo fuerunt, ecce venerunt: & nova ego annuncio; quum nondum exeriuntur, audita vobis faciam.* Sane hic denuo Deus probat Judæis, se esse verum Deum, quod futura prædicare possit, & se hoc facere posse probat inde, quod actu præticat ea. Et ne dubitent, quod omnia promiscue præsciat, nec ulla ex parte limitata sit ejus præscientia, monet, se in posterum quoque hoc facturum.

Etenim qui potuit futura prædicere, quæ evenerunt, qui in præsente prædicit adhuc futura, & qui sibi proponere potest etiam olim prædicere adhuc ventura, is omnium futurorum scientiam habere debet. Neque enim hic suspicioni locus, quasi prædictioni vel casu responderit eventus, aut quod ob causas quasdam particulares quædam prævidere potuerit. Eadem disertis admodum verbis inculcat Deus *Jes.* XLVIII, 3. 4. 5. 6. quæ legi merentur. **Abunde igitur patere arbitror, juxta sacras literas Deum præscire promiscue omnia.**

Inter futura, quæ Deus se prædixisse & prædicere posse apud Prophetam affirmat, continentur facta hominum, quæ a libero ejus decreto pendere constat. Atque adeo ex iisdem locis probari potest, Deum quoque præscire libera hominum decreta, antequam homines quicquam decreverint, seu quidpiam aliquando decreturi sint. Verum enim vero cum alia in sacris extent loca, in quibus Deo tribuitur præscientia cogitationum nostrarum, atque consiliorum & decretorum, non e re esse videtur, ut probationem ex iis petamus. Præscientia cogitationum & decretorum imprimis liberorum animæ omnium clarissime docetur *Psalmo* CXXXIX, 2. ubi David ad Deum preces fundens: *intellexisti*, inquit, *cogitationes meas e longinquo.* Cogitationes e longinquo cognoscere, idem omnino est, ac eas cognoscere, cum adhuc procul absunt; Adeoque cum nondum sunt præsentes; Consequenter quando adhuc futuræ. Patet igitur, Deum, si Davidem audimus, cogitationes hominum cognoscere, antequam sunt præsentes; Adeoque futuras; Consequenter easdem præscire. Cogitatio etiam complectitur volitiones ac nolitiones animæ, quemadmodum & vocabulum Hebraicum רעי tam per *cogitationem*, quam

per

per *voluntatem* vertitur ab Interpretibus. Nullum dubium est, quin David hic Deo non modo tribuat præscientiam perceptionum animæ, verum etiam volitionum atque nolitionum, aut in genere appetitionum & aversionum ejusdem; Consequenter & decretorum liberorum (*Theol. natur.* §. 497.). Quodsi vero quis decreta hominum libera sub cogitationibus comprehendi non admittit, aut saltem hæret, num admittere possit; longa disceptatione opus non est: addit enim mox *versu* 3. *Deum prævidisse omnes vias suas.* Quocunque modo vias hominis interpreteris, sive proprie, sive improprie, quemadmodum constat phrasi scripturæ vias quoque designare media, quibus ad finem consequendum utimur; semper liquet, prævisionem viarum continere prævisionem liberorum decretorum animæ; Consequenter Davidem Deo tribuere præscientiam liberorum decretorum animæ. Illud autem notatu dignum est, quod David dicat, *Deum intelligere cogitationes suas a longinquo.* Etenim hoc dicto modum prævisionis clarissime exprimit, siquidem recorderis eorum, quæ de præscibilitate rerum omnium, præsertim cogitationum nostrarum ac liberorum decretorum animæ demonstrata sunt in superioribus (§. 237.). Deo nimirum ea, quæ in mundo materiali contingunt, præscibilia sunt per nexum eorundem, quemadmodum ex demonstratione præscibilitatis effectuum rerum materialium liquet (§. *citato*), & quæcunque in serie integra perceptionum ac appetitionum atque aversionum continentur, per nexum modificationum animæ, qui per leges facultatum resultat, ac imprimis libera decreta per motiva præscibilia sunt, quemadmodum denuo ex demonstrationibus superioribus abunde patet (§. *citato*). Verum enim vero cum Deus omnia, teste sacro codice, cognoscat simul, seu actu unico (§. 185.), & hinc intuitive (*Theol. natur.* §. 207.); Tota rerum series ipsi præsens exhibetur, antequam

quicquam in eadem actu datur, &, si quid in ea sumitur tanquam actu existens, quæ deinde sequuntur, tanquam aliquo intervallo ab eodem remota spectantur, quatenus unum sequentium ad actum pertingere nequit, nisi aliis intermediis ante suo ordine ad actum successive perductis. Quamobrem si quis ideam quandam hujus prævisionis sibi formare voluerit, non sub alia imagine eadem exhiberi potest, quam per visionem rei e longinquo spectatæ. Etenim ubi oculus consistit, objecta vicina nobis præsentia sunt, & ea repræsentant id, quod in serie perceptionum & appetitionum & aversionum animæ sumitur tanquam actuale. Objectum e longinquo positum dato intervallo a nobis separatur per objecta intermedia ab oculo nostro usque ad ipsum continua serie posita, & hoc ipsum cogitationem aliquam, quæ post eam, quæ actu datur, sequitur, objecta autem intermedia cogitationes intermedias repræsentant, quibus demum præteritis isti locus est. Quemadmodum itaque objectum e longinquo spectatum tibi præsens fieri nequit, nisi omnia intermedia præsentia fuerint; ita quoque cogitationem venturam præsentem fieri non posse intelligitur, nisi cunctis intermediis ante præsentibus. Et hoc modo intelligitur, quomodo omnia Deo sint præsentia ab æterno, hoc tamen non obstante, ventura spectari possint tanquam e longinquo.

Adeoque præscientia Divina, futurorum ipso Deo in sacris teste, ipsi tribuenda tanquam ei soli propria, quæ sese promiscue extendit ad omnia omnino præscibilia, qua ab æterno ea omnia præscivit, quæ omni tempore ventura sunt.

§. 351.

§. 351.

Quicunque in principiis ontologicis, cosmologicis & psychologicis probe sunt versati, eis nihil erit obscurum in his, quæ de cogitationibus nostris e longinquo spectatis dicta sunt, quin potius profunditatem sensus verborum Davidis venerabunda in Deum mente suspicient. Cum tamen non levi opera notiones comparentur, sine quibus idea cogitationum e longinquo spectatarum luce sufficiente collustrari nequit; a præcipitantia in judicando sibi temperent, qui tanta notionum ubertate refertum nondum possident animum, aut saltem quæ intelligentibus dicta sunt, sibi dicta non esse putent. Ceterum modus iste ventura e longinquo spectandi, quatenus Deo tribuitur, patet per ea, quæ superius in medium adduximus, cum demonstraremus, Deum in quolibet minimo, quod inest universo, cognoscere totum universum (§. 237.). Quamobrem qui demonstrationem istam probe comprehendit; is & prævisionem cogitationum e longinquo optime concipiet. Acutiores intelligent, quantum principia, quibus utimur, prosint ad profunditatem sensus scripturæ eruendam, & quanta insit dictionibus S. S. vis ad ideam eorum animo nostro ingenerandam, quæ ab omni sensu procul remota sunt, ut etiam a rudibus intelligi possint; quantum denique juvent hæc principia ad ideam istam advertendam, & demonstrativa ratione stabiliendam, ne pro fictitia habeatur acutioribus. Neque hoc silentio prætereundum, ex modo cognoscendi cogitationes e longinquo patere, quod, quæ de præscibilitate rerum a nobis demonstrata sunt (§. *citato.*), S. S. ad amussim respondeant. Etenim cum Deus dicatur cogitationes intelligere e longinquo, modus aliquis possibilis esse debet, quo eædem tanquam e longinquo cognosci possunt, & qui ex natura intellectus Divini & natura rerum fluit. Simili, quod desumi-

Quæ hic notanda.

tur ab objecto e longinquo viso, & quod ideam in animo suscitat, vi cujus modus intelligendi cogitationes e longinquo fit intelligibilis, infinuat principia, qualia ad eum concipiendum sunt necessaria. Quamobrem ubi principia ista ea deprehendis, quæ & intellectui Divino, & naturæ rerum conveniunt, quatenus ex ipsa S. S. deducta sunt, quin ea autoritate ejusdem nitantur, dubitari haud quaquam potest.

§. 352.

Decretum Dei nihil in re decreta mutat,

Decretum Dei, teste Paulo, seu juxta sacras literas non nisi actus est, quo Deus voluntatem suam determinat ad quid agendum, vel non agendum (§. 318.); si itaque Deus, approbante scriptura, rem quandam decernit, eam ad actualitatem perducere vult. Verum enim vero cum possibilitas rerum non pendeat a voluntate Dei (*Theol. natur.* §. 434.); Ante decretum jam intelligitur possibilis; & quidem intrinsece, quatenus idea ejus in intellectu Divino continetur (*Theol. natur.* §. 192.), extrinsece vero quatenus Deus eam facere potest (§. 274. *& Cosmol.* §. 111.). Talem igitur decernit, qualem possibilem intrinsece & extrinsece novit, hoc est, qualem a se fieri posse intelligit, antequam eam ad actum perducere velit. Quoniam itaque juxta sacras literas decretum rei intrinsece atque extrinsece possibili nihil superaddit, nisi certitudinem existendi; **decretum, consentiente scriptura, nihil in re eadem mutare, palam est.**

§. 353.

Quæ hic notanda.

Nimirum decreto Dei tribuendum, quod, quæ in tempore existunt, non in statu puræ possibilitatis fuerint relictæ: minime autem res tales sunt, quod Deus tales esse debere decreverit. Quatenus tamen decrevit Deus, ut res, quæ tales sunt, potius existant, quam aliæ, & quid decreverit, penitus

penitus intelligit (§. 334.), & facere potest, quæ decrevit (§. 274. *& Theol. natur.* §. 525.); Eatenus recte dicitur res tales existere, quales eas Deus existere debere decrevit.

§. 354.

Decretum Dei nec contingentiam, nec libertatem tollit.

Juxta sacras paginas decretum Dei nihil in re decreta immutat (§. 352.); Adeoque eandem relinquit, qualis spectatur ante ipsum (*Ontol.* §. 291.); Evidens est, quod id, quod ante decretum Divinum spectatur ut contingens, idem etiam non aliter spectari possit quam contingens post decretum, & quod ante decretum intelligitur esse liberum, id etiam intelligi liberum post decretum. **Decretum itaque Dei, approbantibus sacris literis, nec contingentiam, nec libertatem tollit.**

Receptus Theologis & Philosophis canon est: decretum Dei non tollere contingentiam, nec officere libertati humanæ. Autumo autem ex iis, quæ a nobis hactenus de intellectu, potentia, voluntate & decreto Divino dicta sunt, liquido constare veritatem ejusdem. Nimirum quicquid contingenter existit, id ideo potius existit, quam alia contingentia, quia Deus voluit, ut, quod contingenter existere poterat, contingenter existeret, & quod homo libere vult, id ideo libere vult, quod Deus decrevit eum libertati suæ relinquere.

§. 355.

Quomodo se res ante & post decretum habeant quoad intellectum Divinum.

Deus, approbante S. S., per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit in se præscibilia qua talia, & ut sibi præscibilia (§. 243.). Verum enim vero per eandem nihil cognoscitur ut futurum (§. 235.); Consequenter nihil actu præscitur (*Theol. natur.* §. 231.). Quoniam itaque res per decretum demum evadunt futuræ (*Theol. natur.* §. 522.); Ideo patet,

patet, quod actu non præsciantur ante decretum, etsi præscibiles fuerint ante idem, *per demonstrata*; Consequenter **ante decretum res decretas tantummodo fuisse præscibiles.**

Verum enim vero per decretum Dei res decretæ factæ sunt futuræ (*Theol. natur.* §. 522.); Adeoque quæ ante ipsum erat præscibilia, *per demonstrata*, post idem spectata sunt tanquam futura (*Theol. natur.* §. 231.); Consequenter **post decretum actu præscita** (*Theol. natur.* §. 231.).

Res itaque decretæ juxta S. S. præscibiles fuere ante decretum; sed actu præscitæ post decretum.

§. 356.

Præscientia nec contingentiam, nec libertatem tollit.

Ex testimonio, quod Deus de se ipso dat *Jes.* XLVI, 10. patet, effectus rerum materialium, quæ successivorum seriem constituunt, esse in se; Adeoque, qua contingentes, præscibiles (§. 237. *Num.* I.). Etenim successiva in mundo contingentia sunt (*Cosmol.* §. 80.). Ita porro juxta scripturam libera hominis decreta in se; Adeoque quatenus libera sunt, præscibilia sunt tanquam libera (§. 237. *Num.* II.): sunt enim volitiones ac nolitiones animi, ipsi etiam motus corporis a voluntate pendentes contingentes (*Psychol. empir.* §. 935.), eædemque volitionis atque nolitionis liberæ sunt (*Psychol. empir.* §. 942.). Quamobrem cum præscibilia ante decretum, actu sciantur, teste S. S., post decretum (§. 355.), decretum vero, itidem approbante sacro codice, contingentiam atque libertatem non tollat (§. 354.); dum res præsciuntur, quæ contingentes, ut contingentes; quæ liberæ, ut liberæ præsciuntur; Adeoque **juxta sacras paginas præscientia nec contingentiam, nec libertatem tollit.**

§. 357.

§. 357.

Quæ de difficultate, quam perversa obiicit libertatis notio, moneri poterant, de iis jam diximus, cum de præscibilitate liberorum decretorum animæ ageremus (§. 238.). Nimirum præscibilitatem non modo expendi convenit ex parte Dei, quemadmodum vulgo fieri solet; verum etiam ex parte ipsius obiecti, quod vulgo negligitur. Tum enim veritas propositionis huius liquido demum constabit, simulque apparebit, quam sit necesse notioni libertatis non admisceri, quæ a veritate aliena sunt, sicuti faciunt. qui præscientiam liberorum decretorum animæ negant. *Error detegitur & refellitur.*

§. 358.

Deo præscibiles esse & omnes in mundo materiali eventus, & omnes status elementorum, & omnes nostras cogitationes, ex sacris demonstravimus (§. 237.). Cum vero Deus ab omni prorsus errore immunis sit (*Theol. natur.* §. 294.); quæ futura sunt, siquidem hæc rerum series ad actum perducatur, ab æterno certo perspexit (*Theol. natur.* §. 231.). Iam per decretum Dei res, quæ ante idem futura fieri posse intelligebatur, futura facta est (*Theol. natur.* §. 522.), cumque decretum ipsius sit immutabile, teste S. S. (§. 330.); Fieri quoque non potest, ut voluntate Dei, cuius quippe actus est decretum ipsius (*Theol. natur.* §. 497.), ex nudo possibilitatis statu in statum futuritionis translata, ex hoc in illum quasi recedat; Consequenter quod ab æterno ius quoddam aliquando existendi nactum est, idem id ipsum rursus amittere nequit. Quoniam itaque Deus juxta S. S. decretum suum penitus intelligit (§. 334.); Quænam sint certo futura novit (*Theol. natur.* §. 523.), & quidem citra omne erranti periculum (*Theol. natur.* §. 529.); Præscientia adeo Dei juxta sacras literas infallibilis est. *Infallibilitas præscientiæ Divinæ.*

359.

Veritatis huius ulterior dilucidatio.

Nimirum cognoscens non fallitur, quatenus ab errore immunis est. Hinc & Deus in præsciendo non fallitur, quatenus in præsciendo errare nequit, seu præscientia eius nulla erroris macula afficitur. Si præscientia Dei fallere posset, aut Deus ignorare deberet, quid in serie aliqua rerum actum consequi possit, ubi eam decreverit; vel ignorare deberet, quamnam rerum seriem decreverit; vel decretum suum mutare deberet in tempore. Enim vero Deo præscibilia sunt omnia (§. 237.); adeoque novit, quid in aliqua rerum serie actum consequi possit (*Theol. natur.* §. 231.); novit Deus quamnam rerum seriem decreverit (§. 334.); decretum denique ipsius immutabile est (§. 330.). Fieri adeo **nullo modo potest, ut juxta ea, quæ ex sacro codice legitima consequentia demonstratur, præscientia Divina fallat.**

§. 360.

Quænam ab æterno habeant veritatem determinatam.

Omnes effectus rerum materialium, omnes nostras cogitationes, omnesque status in omni elemento rerum materialium, eorundemque dependentiam a se invicem in omnibus Deus præscivit, & quidem ab æterno, prouti ex sacris literis docemur (§. 237.). Quicquid vero Deus præscivit, id veritatem determinatam habuit ab æterno (*Theol. natur.* §. 536.). Ergo **juxta S. S. omnes effectus rerum materialium & omnes nostræ cogitationes, omnesque status in quolibet elemento rerum materialium atque eorundem a se invicem in omnibus dependentia, veritatem determinatam habuere ab æterno.**

§. 361.

§. 361.

Ut veritas hæc rite intelligatur, animo recolendum est id, quod Philosophorum Princeps hac de re uberius docuit (*Cosmol.* §. 106.): Nimirum **veritatem determinatam habere** dicitur id, de quo alteram contradictionis partem affirmari, alteram negari oportet. Relegenda quoque sunt exempla, quæ hinc inde dedit, quæ quidem ex eorum summa ubertate, qua in sacris reperiuntur, hic afferre potuissemus, si non prolixitatem fugeremus. Sufficiat itaque hoc unicum; Christus, Redemtor noster crucifixus est. *Johann.* XIX. Ab æterno igitur verum fuit, Salvatorem esse crucifigendum. Ex adverso autem falsum fuit, Christum non crucifigendum esse. Sumamus adhuc vulgare exemplum. Hodie, hoc ipso momento, quo hæc scribo, Halæ Saxonum cœlum est serenum, & friget. Ab æterno igitur verum fuit: hoc ipso momento, quo hæc scribo, die scilicet 14 Januarii 1735. hora 11 matutina Halæ Saxonum cœlum est serenum & friget. Ex adverso autem ab æterno falsum fuit, hoc ipso momento, quo hæc scribo, cœlum his locis non esse serenum, nec frigidum. *Quomodo veritas hac patet.*

§. 362.

Iuxta S. S. ea, quæ contingunt, ante decretum præscibilia sunt (§. 355.). Quamobrem cum præscibile sit, quod in se tale est, ut præsciri possit, adeoque tanquam futurum cognosci posse non repugnat (*Theol. natur.* §. 231.); Ea, quæ contingunt, ante decretum talia deprehenduntur, ut futura fore agnoscantur, siquidem huius seriei rerum, ad quam spectant, existentia decernatur. Quoniam itaque quid **dererminabile** est, si quid de eodem affirmari possit, etsi nondum affirmari debeat (*Ontol.* §. 105.) juxta S. S. *Differentiarum ante & post decretum spectatarum.*

rerum, quæ contingunt, ante decretum ſpectatarum, veritas determinabilis eſt.

Iam vero, convenienter ſacris literis, poſt decretum ea, quæ contingunt, actu præſciuntur (§. 355.); Conſequenter ut futura agnoſcuntur (*Theol. natur.* §. 231.). Quoniam itaque poſt decretum certum eſt, ea eſſe extitura, & **Veritas** eorum **determinata** eſt, de quibus alteram contradictionis partem affirmari, alteram negari oportet (§. 361. *& Coſmol.* §. 106.); **Conſentientibus S. literis veritas eorum, quæ contingunt, poſt decretum determinata eſt.**

§. 363.

Quomodo hæc pateat.

Patet hinc quomodo decretum influat in determinationem veritatis contingentium ab æterno. Nimirum ante decretum certum eſt, ſi hæc rerum ſeries exiſtat, hoc vel illud contingenter in eadem extiturum. Atque adeo evidens eſt, ipſum eſſe determinabile quoad futuritionem in affirmativam contraditionis partem. Per decretum Dei ponitur exiſtentia huius ſeriei rerum tanquam certo futuræ. Quamobrem poſt ipſum liquet, hoc vel illud in eadem aliquando certo extiturum; Conſequenter futuritio, quam ante decretum de eodem affirmari non repugnabat, ſeu quæ poſſibilis erat, nunc de eodem affirmari debet. Atque adeo veritas ipſius per decretum determinata. Quomodo veritas determinata contingentium ab æterno convenienter S. S. clarius exponi poſſit, ego ſane non video. Si cui demonſtratio noſtra nondum ad liquidum perducta eſſe videatur, is ſibi tribuat, quod notiones anteriores, in quas notio veritatis determinatæ contingentium ab æterno reſolvitur, nondum

dum reddiderit sibi familiares, nec sensum verborum S. literarum eruere satis possit. Ceterum probe notandum est, quomodo decretum in veritatem determinatam contingentium ab æterno influat, ne in doctrina de malo morali, quod seriei rerum præsenti implicitum est, difficultates nascantur.

§. 364.

Relatio actus contingentium ad præscientiam.

Consentientibus S. paginis ea, quæ contingunt, non possunt spectari tanquam præscita ante decretum, sed demum post decretum (355.). Quamobrem cum ante decretum illorum veritas solummodo determinabilis sit, post decretum vero determinata (§. 362.); Ea, quæ contingunt, tanquam præscita spectari non possunt, quamdiu eorundem veritas determinata non est, intelligitur autem præscita esse, quamprimum veritas ipsorum determinata; Consequenter ratio sufficiens præscientiæ est eorundem determinata veritas (*Ontol.* §. 56.). Quoniam igitur posita ratione sufficiente ponitur id, quod propter eam potius est, quam non est (*Ontol.* §. 118.); Ea, quæ contingunt, præsciuntur, quia veritatem determinatam habent; Adeoque veritatem determinatam non ideo habent, quia præsciuntur; Consequenter approbante S. S., quæ contingunt veritatem determinatam habuere ab æterno, non quia Deus ea præscivit; sed Deus ea præscivit, quia veritatem determinatam ab æterno habuere, seu, quod perinde est. Nihil in tempore contingit, quia Deus præscivit; sed Deus ea præscivit, quia contingunt.

§. 365.

Adhuc clarior redditur.

Nimirum si ea, quæ contingunt, consideramus ante decretum Dei, Deo perspectum esse novimus, si hæc rerum

series ad actum perducatur, fore ut hæc ipsi contingenter insit. Quodsi jam porro concipimus, Deum decreviſſe hanc rerum seriem ad actum perducendam; tum intelligimus, veritatem eorum, quæ nunc contingunt, fuiſſe determinatam, seu per decretum Divinum certum fuiſſe, ea, quæ nunc contingunt, extitura esse, atque ideo Deo vi omniscientiæ idem quoque perspectum fuiſſe colligimus. Evidens hinc est, præscientiam a nobis concipi per determinatam contingentium veritatem, minime vero determinatam contingentium veritatem per præscientiam.

§. 366.

Deus rem nullam decrevit ob malum metaphysicum.

Ex sacris literis evidens est, Deum decernere, quod est optimum in se & in relatione ad se ipsum (§. 338.); Consequenter cum voluntas ipsius tendat ad id; quod in se optimum est, seu motivum ejusdem sit repræsentatio optimi (§. 252.), decretum vero sit actus voluntatis (*Theol. natur.* §. 497.), ideo quid decernit, quia in se, consequenter etiam in relatione ad se ipsum optimum (*Theol. natur.* §. 405.). Verum enim vero ens unum quodque in se **bonum** est, quatenus suam habet perfectionem tam essentialem, quam accidentalem (*Theol. natur.* §. 370.); non quatenus determinationes ejus essentiales limitationes habent, sine quibus perfectius foret; Consequenter quatenus malo metaphysico laborat (*Theol. natur.* §. 372.); **Deus** igitur **juxta S. S. rem nullam ideo decrevit, quod huic malo metaphysico obnoxia sit, seu, ob malum metaphysicum, quo laborat.**

§. 367.

Toto cœlo differunt, decernere id, a quo malum metaphysicum removeri nequit, & decernere idem ob malum

lum metaphyſicum, cui obnoxium eſt, ſeu quia eidem obnoxium eſt.

§. 368.

David *Pſalmo* V, 5. *Nam non Deus fortis*, inquit, *qui delectetur improbitate:* כי לא אל חפץ רשע: *qui delectatur*, ſeu *qui vult*. Qui quid vult, eidem placet, quod vult, quemadmodum ex natura voluntatis liberæ conſtat (*Pſychol. empir.* §. 938. 939.), & de ipſo Deo, teſte S. S., certum eſt (§. 270.). Deo igitur improbitas placere nequit. Unde & *Caſtalio* vertit: *non is Deus es, cui placeat iniquitas.* Vocabulum רשע denotare idem ac *malum morale*, quod actionibus liberis hominum inhæret, noto notius eſt: Unde & iniquus dicitur, qui actiones moraliter malas perpetrat. Quamobrem patet, Davide autore, Deo malum morale placere minime poſſe. *Malum morale Deo diſplicet.*

Idem porro oſtenditur ex eo, quod Deus in ſacro codice malum maximopere deteſtetur, hominibus ſevere interdicat, ne actiones malas committant, & pœnas ipſis infligendas ſtatuat, ubi eas commiſerint. De his tota ſcriptura ſacra toties loquitur, ut neceſſe non ſit aliqua ipſius verba in medium adduci, cum nemo ſit, opinor, qui de eo dubitare poſſit. Immo leguntur paſſim exempla, quibus Deus mala phyſica inflixit ob mala culpæ, hoc eſt, moralia, atque adeo pœnis affecit ob malum morale perpetratum. Et Chriſto Doctore Deus olim, quando mortui reſurgent, pœnis æternis afficiet homines ob malum morale in hac vita perpetratum *Math.* XXV, 31. ſqq. Qui malum deteſtatur, qui, ne fiat, ſevere interdicit, & pœnis graviſſimis ejusdem reos afficit, cum tamen nemo ſit, cujus judicio & voluntati ſubjectus ſit, is utique malum approbare nequit, multo minus autem ipſum eidem placere poteſt, quin potius hinc recte

cte infertur, quod summopere displiceat. Quamobrem ex dictis recte omnino infertur, Deo malum morale minime placere, aſt potius maximopere displicere.

§. 369.

Deus non decrevit mala physica, quatenus talia sunt.

Deus juxa sacras literas eorum, quæ in mundo fiunt, nihil decrevit in particulari absolute spectato, sed in relatione ad totum (§. 343.). Adeoque nec in relatione ad partem unam vel alteram. Enimvero mala physica non sunt talia, nisi respectu partium quarundam universi, & in relatione earundem ad se invicem (*Theol. natur.* §. 565.), minime autem in relatione ad integrum mundum talia sunt (*Theol. natur.* §. 563.); Deus igitur, consentiente sacro codice, non decrevit mala physica, quatenus talia sunt.

§. 370.

Usus hujus propositionis.

Probe notandum est, quo respectu Deus mala physica decreverit, ne decretum bonitati ipsius adversari videatur, quemadmodum ab hostibus religionis tam naturalis, quam revelatæ fieri solet, & ne ex decreto contra bonitatem ejus nascantur dubia. Absit autem, ut quis ideo sibi persuadeat, Deum in decreto suo non habuisse quoque rationem malorum physicorum qua talium: Etenim licet ea non decreverit, propterea quod talia sunt, non tamen inde sequitur, ipsum ideo malorum physicorum, qua talium, nullam in decreto suo habuisse rationem. Contrarium enim ostendetur in sequentibus, cum de sapientia Dei acturi sumus. Nimirum pertinet huc directio ad bonos fines, & hoc ipso mala physica faciunt ad decorem universi. Sed de his apertius suo loco.

§. 371.

§. 371.

Docet Petrus *Actorum.* II. 23. Judæos Jesum Nazarenum, *definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum cruci affixisse & interemisse.* Factum ipsum minime probari a Deo satis innuit, *quod ipsis vers. 22. refricet memoriam potentiæ, qua excelluerit, & miraculorum, quæ patraverit*, eosdemque moneat, hac ipsa miraculosa potentia *significasse, Deum, quod, quæ docuisset & fecerit, sibi probentur.* Unde eos redarguit, quod non ex ignorantia invincibili, quam superare minime poterant, sed ex malitia ipsum e medio sustulerint. Fecere adeo, quod judicio Dei erat omittendum; Consequenter dici nequit, quod Deus hoc ipsorum factum voluerit, quatenus malum est, hoc est, quatenus innocentem tanquam criminis admissi reum ultimo supplicio affecerint, non ex ignorantia, sed ex malitia. Recte igitur hinc colligitur, Deum malum morale minime velle, utpote quod ipsi placere minime posse, modo (§. 367.) ostendimus. Hoc tamen non obstante affirmat Petrus, illud factum esse *definito Dei consilio*, quemadmodum bene vertit *Interpres Vulgatus* vocabula ἡ ὡρισμένη βουλῇ, quam ipsam interpretationem quoque retinuerit *Castalio*, probatæ Latinitatis studiosissimus. Consilium denotat actum intellectus Divini, quo quid agendorum optimum sit, perspicit (§. 316.); Adeoque Petrus docens, Judæos Christum e medio sustulisse consilio Dei, autor est deliberasse Deum, si humano more de ipso loquendum, num Judæis concedere debeat, ut Christum e medio tollant, an vero potius idem sit impediendum, atque consultius judicasse, ut idem fiat, quam, ut ne fiat, impediatur. Et quamvis alias in S. S. per consilium simul indigitetur decretum, quatenus decretum cum consilio indivulso nexu cohæret; Apostolus tamen addit, id factum esse consilio Dei definito, hoc est,

Præscientia & decretum permissivum mali moralis,

quod consilio antecesserit decretum atque propositum. Deus igitur voluisse dici nequit, ut Judæi Christum e medio non tollerent: pone enim ipsum hoc voluisse, consilio ejus definito factum non est. Enimvero ostendimus jam quoque, ex Petri sententia Deum non voluisse, ut Judæi Christum e medio tollerent. Necesse igitur est, quod id permittere decreverit: Permittere enim dicimur, quod cum ab alio neque fieri, neque non fieri velimus, quo minus idem fiat, impedire nolumus (*Theol. natur.* §. 584.). Hinc liquet **Deum juxta S. S. malum morale permittere decrevisse.**

Verum enim vero observat quoque Apostolus, Judæos Christum e medio sustulisse *præscientia Dei*, quemadmodum denuo optime vertit *Interpres Vulgatus* πρόγνωσιν τῦ Θεῦ, cum πρόγνωσις *præscientiam* denotet apud profanos etiam autores, seu ex usu loquendi Græcorum. Monet igitur, dum Christum in manus scelestas impiorum tradi videret, Deum non demum consilium ex arena cepisse; Consequenter negat, decretum ipsius demum temporarium fuisse. Quin potius inculcat, Deum præsciviſse, quid facturi sint Judæi, antequam idem ex factis quibusdam eorum colligi poterat, & ex hac præscientia consilium iniisse, & quid facere velit, decrevisse. **Innuit adeo, præscientiam Dei mali hujus moralis fuisse æternam**, quemadmodum eandem æternam esse in genere jam (§. 350.) evicimus.

Teste itaque Petro; Adeoque & Scriptura, **Deus ab æterno malum morale præscivit, & permittere decrevit.**

§. 372.

Quæ hic tr[illegible] sunda.

Equidem cum modo (§. 350.) evicerimus, Deum juxta

ta sacras literas præscire omnia hominum libera decreta, superfluum videbatur, præscientiam mali moralis, quod actionibus liberis inhæret (*Theol. natur.* §. 374.), demum sigillatim probari. Enimvero quæ immediate ex S. S. probari possunt, ea non demum ex aliis eidem conformibus per consequentiam eruenda sunt. Et id ipsum tanto quidem magis e re esse videtur, quod, cum S. S. loca plerumque de rebus tantummodo in particulari loquantur, difficilius sit propositionum universalitatem evincere: quæ etiam ratio est, cur, qui adversam tuentur sententiam, facile non sine omni specie quædam excipiant. Sustinetur autem universalitas per rationem, ut adeo in articulis mixtis multum auxilii præstet Theologia naturalis, ac in specie in veritatibus moralibus philosophia practica cum psychologia. Ceterum adhuc notari meretur, quod permissio mali moralis non contrarietur attributis Divinis; quod suo loco inferius evidentius patebit. Quoniam tamen ex principiis anterioribus jam deduci potest ratio permissionis ejus, eandemque Deum minime dedecere: ideo sequentes adjicere lubet propositiones, ne quid prætermittatur, quod argumento difficili quomodocunque lucis quidpiam affundere possit. Cave autem, ne de permissione mali in relatione ad Deum judices, nisi eadem penitus perspecta. Unde nec te moveat, quando dicitur, Deum nec voluisse, ut malum ab hominibus fieret, nec voluisse, ut non fieret. Etenim si voluisset, ut non fieret, aut id per miraculum tolleret, aut mundum hunc, in quo existunt homines malum patrantes, non creasset. Si vero malum fieri vellet, sibimetipsi contrariaretur, cum vellet, quod perfectioni essentiali contrariatur, quam tamen ipsum velle negari haudquaquam potest. Unde affirmandum; Deum neque velle fieri malum, neque non fieri; sed permittere. Cur vero permittat, in sequentibus patebit.

§. 373.

Ratio permissionis mali. Christus admodum perspicue *in parabola de Zizaniis inter triticum enatis Math.* XIII. 24. sqq. docet malum morale huic rerum seriei ita implicari, ut, nisi bonum simul tollere velis, inde auferri nequeat, ac ideo a Deo permitti. Ipso enim interprete, ager in ista parabola mundum denotat, bonum semen filios regni, hoc est, homines a Deo electos; Zizania vero significant filios illius mali, seu homines improbos. Atque adeo apparet, Christum in ista parabola docere, unde sit malum, & cur eidem locus relinquatur in hoc mundo. Nobis in præsenti solummodo cum posteriori negotium est. Christus ergo rationem redditurus, cur malum morale a Deo ex hac rerum serie non tollatur, ac perinde hominibus malis ac bonis locus relinquatur in hoc mundo, hac in parabola narrat, patremfamilias noluisse a servis colligi Zizania, ne simul cum iis triticum eradicetur. Vi significatus adeo parabolæ Deus malum morale ex hac rerum serie non tollit, sed eidem locum in eadem relinquit, ne cum malo simul tollatur bonum. Ex Christi adeo sententia fieri non potest, ut malum morale ex hoc mundo tollatur, quin simul auferatur bonum. Ratio ex simili patet. Zizania eradicari non possunt, quin simul triticum eradicetur, si tritici & Zizaniorum radices sibi invicem implicantur. Quamobrem & in mundo, seu hac rerum serie mala bonis ita implicari debent, ut, si illa auferantur, nec his amplius locus esse possit: quemadmodum ex ipsa rerum natura *summus Philosophus* (*Theol. natur.* §. 550. 556.) demonstravit. Paterfamilias semen bonum commisit terræ, non vero semen Zizaniorum, quod inimicum fecisse dicitur. Qamobrem dici nequit, quod voluerit Zizania crescere in agris. Prohibuit tamen, ne servi eadem eradicarent. Quare nec dici potest, quod voluerit, Zizania non crescere in agris.

gris. Cumque servis præceperit, ut Zizania juxta triticum crescere sinant, impedire noluit, ne crescerent. Verum enim vero quoniam **ea permittuntur**, quæ, cum neque fieri, neque non fieri velimus, impedire nolumus (*Theol. natur.* §. 584.); Paterfamilias Zizania crescere permisit. Paterfamilias, interprete ipso Christo, quemadmodum modo diximus, Deum, triticum homines probos, Zizania improbos repræsentant. **Deus** adeo, **Christo Doctore, malum in hac serie rerum, seu mundo existere permittit**; Consequenter **idem permittere decrevit. Permittere** autem **decrevit ideo, quia seriei huic ita implicatur, ut tolli nequeat, nisi simul auferatur bonum**, quemadmodum ex dictis evidenter liquet.

§. 374.

Parabola de Zizaniis inter triticum est locus classicus, quo doctrina de modo, quo malum morale huic rerum seriei, sive huic mundo adspectabili inexistit, & ratio, cur permittatur, continetur, eamque omnem mirifice illustrat. Christo enim solenne fuit ardua dogmata, quæ captum non modo vulgi, sed quoque plurimorum eruditorum transcendunt, ad imagines revocare, per quas ab omnibus clare percipiuntur, & ex quibus ab acutioribus notio illorum distincta erui potest, ut adeo ab omnibus intelligatur pro modulo ingenii sui. *Quæ hic notanda.*

§. 375.

Ex eadem parabola *Math.* XIII, 24. sqq. de Zizaniis inter triticum consimiliter patet. Permissionem mali Deum non dedecere. Sane paterfamilias minime reprehendi potest, quod Zizania una cum tritico crescere sinat, quæ eradicari *Permissio mali Deum non dedecet.*

minime possunt, nisi simul eradicetur triticum (§. 373.); Sed prudentiæ œconomicæ tribuendum, quod sollicite atque circumspecte caveat, ne spe messis sibi proficuæ excidat, & lucro majori inhians omne perdat. Servi autem, qui Zizania evellere volunt, imperitiæ redarguuntur, quod damnum inde secuturum minime perspiciant. Quoniam Zizania, inter triticum in agro enata, mala in hoc mundo bonis implicita repræsentant, paterfamilias vero Deum, quemadmodum (§. 373.) jam monuimus; nec Deus reprehendi potest, quod malum morale permittere decreverit, & qui idem ab hoc mundo abesse volunt, imperitiæ redarguuntur, utpote nescientes modum, quo malum seriei huic inexistit, nec prospicientes damnum inde secuturum, si abesse jubeatur. Quemadmodum ergo, **Christo Doctore**, patremfamilias non dedecet, quod prudentia œconomica fieri postulat; Ita **nec Deum dedecet permissio mali moralis.**

§. 376.

Quæ hic notanda.

Hac propositione nobis sufficit ostendisse, quod permissio mali moralis Deum non dedeceat: Inferius autem demonstrabitur, quod eum deceat, ubi reddentur permissionis rationes Deo dignæ. Et quando concursum Dei ad malas hominis actiones explicaturi sumus, clarissime constabit, malum morale non posse tolli, nisi tollatur, quod bonum in se est; & ideo ad majorem mundi perfectionem facit. Ceterum cum Christus Deum in eo prudenti patrifamilias comparet, quod malum morale permittere decreverit; Caveant per transennam res a vulgari cognitione remotas respicientes, ne temere judicent, magis convenire Deo, ut malum ex mundo prorsus arceat! A Christo enim ipso suæ imperitiæ, & inde orti sui temerarii judicii redarguuntur.

CAPUT

CAPUT IV.

DE SAPIENTIA ET BONITATE DEI.

§. 377.

Gentium Apostolus *ad Rom.* I, 19. 20. ex versione *Bezæ* ita loquitur: *Quoniam id, quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis: Deus enim eis manifestum fecit. Ipsius enim invisibilia, jam inde a condito mundo ex iis, quæ fecit, mente perpensa pervidentur, æterna* (videlicet) *ejus tum potentia tum Divinitas: ad hoc, ut sint inexcusabiles.* Ex mente igitur *Pauli* Deus se manifestavit hominibus per creationem hujus universi, quatenus per ea, quæ facta sunt, invisibilia Dei, veluti sempiterna ejus potentia & Divinitas, intelliguntur, ab effectu scilicet ad causam argumentando, tanquam a signo ad signatum (*Ontol.* §. 961.). Monet autem Apostolus, id factum esse ideo, ut homines Deum tanquam verum Deum colant, &, ut sint inexcusabiles, ubi hoc non fecerint. Unde intelligitur, voluisse Deum ab æterno, ut homines per ea, quæ fecit, attributa ipsius agnoscant, quod sensu duce, quemadmodum res materiales, quæ sunt in mundo, cognosci minime possint. Est adeo, si Paulo credimus, adeoque simul autoritate sacrarum literarum, patefactio sui ipsius id, propter quod Deus mundum hunc produxit, & hinc ab æterno producere decrevit (*Theol. natur.* §. 525.). Quamobrem cum id, propter quod causa efficiens agit, sit Finis, quem intendit (*Ontol.* §. 932.); **Finis, quem Deus per creationem hujus universi, & decretum creationis intendit, teste Paulo, adeoque & autoritate scripturæ, est patefactio sui ipsius.**

Finis electionis & creationis hujus mundi,

§. 378.

§. 378.

Usus hujus propositionis. Sapientiam Deo vindicaturis, demonstrandum est, Deum agere propter finem optimum, eligere media, quæ certo & via brevissima ad eundem ducunt, & quibus finem, quem intendit, ex asse consequitur, finesque omnes particulares ita sibi invicem subordinare, ut propiores sint media remotiorum, & omnes tandem simul medium finis ultimi (*Psychol. ration.* §. 689.). Verum enim vero horum demonstratio non adeo levis & prona est, ut Deum esse sapientissimum unica demonstratione evinci possit. Gradatim igitur & firmiter incedendum: quod facturi ex S. S. ostendimus, finem, quem Deus per creationem hujus mundi adspectabilis, & decretum creationis ejusdem intendit, esse patefactionem sui ipsius. Hinc vero luculenter patet, finem, quem sibi Deus in producendo mundo proposuit, & propter quem eundem producere decrevit, ex ipsa ejus tanquam agentis, & mundi tanquam medii natura fluere. In superioribus enim ex ipsa Dei mundique natura demonstravimus, mundum hunc, qui existit, qui optimus est (§. 249.), esse signum intellectus omnium absolute summi (§. 249. 200.), voluntatis omnium perfectissimæ (§. 296. 295.), adeoque spiritus omnium perfectissimi (§. 304.), & veri Dei (§. 295.). Ex ipso Dei judicio, mundus, quem Deus elegit, est optimus (§. 249.); Consequenter finis, secundum quem illum Deus elegit (*Theol. natur.* §. 607.), optimus est. Præmonui autem, quænam ante stabiliri debeant, quam sapientia Deo tribui, & qualis ea sit, intelligi possit, ut attentio Lectoris excitetur, ne eam in his, quæ principiorum locum tenent, desiderari patiatur. Sapientia Divina mirifice influit in praxin omnem moralem, atque adeo plurimum refert, ut eam animo rite comprehendamus, nec quicquam circa eam dubitationis reliquum fiat. Velim igitur, ut ad singula animum probe advertant, quot-

quot

quot pulchritudinem Entis Supremi venerabunda ac læta mente intueri gestiunt, & felicitatis suæ curam habent. Advertant etiam animum, quotquot nebulas circa inexistentiam mali in hac rerum serie adhuc residuas dispellere cupiunt, neque enim alia ratione, quam Sapientiæ Divinæ consideratione fugari possunt. Qui hic suboriri possunt scrupuli, per sequentia accurato examine instituto eximentur.

§. 379.

Deus per mundi creationem manifestavit gloriam suam.

Ex verbis Pauli *Rom.* I, 19. 20. per se evidens est, quod Deus mundum hunc producere decreverit ad se ipsum, seu ad perfectionem summam, qua gaudet, sive Divinitatem suam patefaciendum (§. 377.). Verum enim vero phrasi S. S. gloriam suam manifestat Deus, quando Divinitatem suam patefacit (§. 272.). **Deus igitur, docente apostolo, adeoque & scriptura magistra, per mundi creationem gloriam suam manifestavit.**

§. 380.

Quem in finem Deus malum morale permittat.

Ex parabola de zizaniis inter ttiticum *Math.* XIII, 24. *sqq*: qua doctrina de permissione mali moralis a Christo illustratur (§. 373. 375.), patet quoque, **quod Deus etiam juxta S. S. permittere decreverit malum morale ad manifestandam suam gloriam.** Etenim nemo non largitur, prudentiæ œconomicæ patrisfamilias deberi, quod noluerit zizania eradicari, quæ non nisi cum tritico eradicari poterant. Quemadmodum itaque paterfamilias prudentiam suam manifestavit, finendo crescere zizania; ita quoque Deus Sapientiam suam probat, quod malum morale permittat, non tollendum salva perfectione mundi (§. 373.),

quæ medium est finem per creationem eiusdem intentum obtinendi (*Theol. natur.* §. 607.).

§. 381.

Quæ hic notanda.

Finis, cuius respectu Deus malum morale permittere decrevit, plurimum facit ad tollendas difficultates, quæ ab incautis contra eam moveri solent. Quamobrem, ut eundem certo detegere liceat, propositionem præsentem in medium afferre debui. Ceterum S. S. expressius docet, quomodo permissione mali moralis illustretur gloria Dei: Pertinet enim huc decretum redemtionis quo universa salutis œconomia continetur. Scriptura igitur cum hic tradat, quæ rationi impervia sunt, etsi huic conveniens sit modum aliquem illustrandi gloriam Divinam ipsa mali permissione adesse debere, defectum rationis supplet: id quod revelationi Divinæ conveniens est (*Theol. natur.* §. 451.). Quomodo gloriam suam mali permissione demonstrare potuerit Deus, in sequentibus disquiremus. Et quomodo ea ex œconomia salutis radiet, evidenter patebit, quando Deo duce de hac œconomia ex instituto acturi.

§. 382.

Quomodo hic mundus se habeat ad finem, & cur Deus eum elegerit.

Numerus I. Ex ipso Dei de hoc mundo lato judicio, referente Mose *Gen.* I, 31. evidens est, quod universum hoc, quod existit, omnium possibilium, immo & in se optimum sit (§. 249.). Quamobrem cum electio mundi in se optimi, si Paulo fidem denegare nolumus, sit signum naturale spiritus perfectissimi (§. 304.), nimirum intellectus (*Theol. natur.* §. 328.), & teste scriptura, voluntatis (§. 290. 295.), ac potentiæ Divinæ (§. 306.), præter hunc vero mundum non sit alius, qui eadem extensione istiusmodi signum esse possit (§. 306.). Per hunc ipsum gloria Divina magis illustrari

potest,

poteſt, quam per quemcunque alium (*Theol. natur.* §. 610.). Iam, teſte Paulo, finis cur Deus hunc mundum potius producere decreverit, quam alium, eſt patefactio ſui ipſius (§. 377.), ſeu perfectionis ſuæ ſummæ; Adeoque manifeſtatio gloriæ ſuæ (§. 379.). Ergo patet, **hunc mundum eſſe fine a Deo intento omnium poſſibilium, autoritate S. S, convenientiſſimum.**

Numerus II, Deus, teſte ſeipſo, hunc mundum elegit ex ceteris omnibus, qui eſt optimus (§. 249.), ſeu ob majorem perfectionem, quæ ipſi quam ceteris ineſt. Verum enim vero hic ipſe mundus fini a Deo intento maxime convenit, quia mundorum omnium poſſibilium perfectiſſimus, *per demonſtrata num.* I. **Deus igitur juxta S. paginas hunc mundum ex ceteris elegit, quoniam fini, quem intendit, omnium maxime convenit.**

Atque ita tandem evicimus, quod ſuperius, cum de mundo optimo ageremus, evinci non ſatis luculenter poterat.

§. 383.

Malum morale & phyſicum quomodo ſe habeant ad finem mundi.

Fini, cur Deus hunc mundum, qui exiſtit, elegit, is maxime convenit, quia omnium perfectiſſimus (§. 382.) Verum enim vero malum phyſicum atque morale non obſtat, quo minus hic mundus ſit omnium poſſibilium perfectiſſimus (§. 373.) **malum igitur phyſicum & morale, approbantibus S. literis non obſtat, quo minus hic mundus fini a Deo intento omnium maxime conveniat; ſed potius huc facit, ut eidem omnium maxime conveniat.**

§. 384.

Finis a Deo intentus eſt optimus.

Mundus hic, qui exiſtit, approbante ſacro codice, eſt fini

fini a Deo intento omnium convenientissimus, & Deus eundem ideo ex ceteris omnibus possibilibus elegit, quod fini a se intento maxime conveniat (§. 382.); Consequenter non datur mundus alius per quem Deus magis gloriam suam manifestare potuisset, quam per eum, quem fecit (§. 377.). Quoniam itaque in relatione ad Deum nil quicquam dici potest bonum, nisi quatenus summæ Dei perfectionis signum est (*Theol. natur.* §. 394.); Adeoque eandem patefacit (*Ontol.* §. 952.); Nec melior concipi potest finis a Deo per existentiam mundi intentus, quam qui in maxima manifestatione gloriæ Divinæ consistit, aut qui absolvitur eo modo manifestandi gloriam Divinam, quo alius præstantior concipi haud quaquam potest. Quamobrem evidens est, **approbante scriptura, finem, quem Deus per productionem mundi huius adspectabilis intendit, esse omnium optimum, qui ab eo intendi poterat.**

Iam dum Deus sibi finem aliquem constituit, quia eundem velit, nemo sanus dubitat. Enimvero Deus vult, tam quod in se, quam quod in relatione ad se optimum est (252. 249.). Quamobrem **finem quoque sibi constituit omnium possibilium optimum.**

§. 385.

Veritas ab exceptionibus liberatur.

Quodsi mundus aliquis esset possibilis, qui majorem haberet perfectionem, quam hic adspectabilis; modus quoque non deesset, quo Deus perfectionem suam excellentius demonstrare posset. Quamobrem dici non posset, Deum sibi in decreto producendi aliquem mundum proposuisse finem omnium optimum: id quod tamen supponendum est, ubi demonstrare volueris, Sapientiam Dei esse omnium perfectissimam. Ipse vero Deus proprio suo de mundo judicio, refe-

referente Moſe, huic mundo *Gen.* 1. 31. teſtimonium dedit, quod optimus ſit (§. 249.); Niſi ſumma abſurditate inhiare velis, confitendum eſt, hunc mundum eſſe omnium poſſibilium optimum; Conſequenter finem, quem Deus ſibi conſtituit omnium optimum eſſe (384.). Et ſane nulla adeſt ratio, cur contrarium fieri debeat. Quando enim homines ſibi conſtituunt finem, qui optimus non eſt, aut, quinam optimus ſit, ignorant, aut alia ipſis obiiciuntur impedimenta, cur conſtitui optimum non ſit conſultum: quorum neutrum de Deo dici poteſt, cum omniſcientia, qua præditus eſt (§. 229.), ignorantiæ nullum omnino relinquat locum, quod ex ipſa omniſcientiæ definitione manifeſto ſequitur (§. 229. & *Theol. natur.* §. 301.); Independentia vero ab omnibus rebus aliis extra ſe (§. 139.), & omnipotentia, qua gaudet (§. 278.), non admittat impedimenta inſuperabilia, itidem evidens ex definitione omnipotentiæ (*Theol. natur.* §. 347.). Iuvat hic animo recolere, quæ de voluntate Dei ob omni coactione tam externa (§. 265.), quam interna libera demonſtrata ſunt (§. 301.). Ut adeo **ex ipſo Dei de hoc mundo judicio fluat, Deum ſibi finem omnium optimum conſtituiſſe, &, eadem revelatione teſte, omne impedimentum, cur talem finem non conſtitueret, removeatur.**

§. 386.

Libertas Dei in conſtituendo fine.

Quicquid Deus vult, Scriptura magiſtra, liberrime vult (*Theol. natur.* §. 431.). Verum enim vero dum Deus ſibi finem aliquem alicuius rei extra ſe producendæ, & producendi huius mundi adſpectabilis in ſpecie, vel in genere quemcunque alium ſibi conſtituit, quin finem eundem velit,

lit, dubitandum nullatenus est. Ergo **approbante S. S., finem quoque liberrime sibi constituit.**

Qui plus lucis desiderant, ad constitutionem finis applicent, tanquam ad volitionem particularem, quæ de toto volitionis actu (§. 262. 263.) in medium adducta sunt, ut summam voluntatis libertatem evinceremus (§. 265. 301.), Scilicet quod Deus finem, quem sibi constituit penitus intelligat, quod idem ipsi maxime placeat, quod eundem sponte ac lubentissime eligat, quod nullus prorsus in eodem locus ulli coactioni internæ & externæ: quæ singula de finis constitutione eodem modo demonstrari possunt, quo eadem de voluntate Divina suo unumquodque loco demonstravimus: id quod utilitate sua non destituitur tum in veritate hujus propositionis percipienda, tum in eadem justa ratiocinationis via adserenda, quo alii convincantur, etsi in systemate hisce ambagibus non sit opus. Etenim acutus per se hæc animo revolvit.

§. 387.

Quomodo Deus finem consequatur.

Iuxta apostolum *Rom.* I, 19. 20. Deus per hunc mundum patefacere vult perfectionem suam absolute summam (§. 377.), & eo fine, testantibus S. literis, eum elegit ex ceteris possibilibus (§. 382. *num.* II.) qui omnium perfectissimus, & in se optimus (§. 249.). Quoniam itaque, si Paulo credimus, electio mundi optimi est signum naturale Spiritus perfectissimi (§. 304.), qui est Deus, Deus quoque summam, qua gaudet, perfectionem eo ipso patefacit, quod hunc elegerit mundum: Unde cum ipsa mundi perfectio sit medium, quo Deus finem per existentiam eius mundi consequitur (*Theol. natur.* §. 607.), vi eiusdem obtinet, quicquid ad finem a se intentum spectat. **Ex asse vero agens finem consequitur**, si vi mediorum ad actum perducan-

ducantur omnia, quibus is constituitur (*Psychol. ration.* §. 684.). Patet itaque juxta S. S. Deum ex asse consequi finem, quem per existentiam huius mundi intendit.

§. 388.

Error eorum, qui negant mundum esse optimum.

Quodsi supponas Deum potuisse hunc ipsum, qui existit mundum meliorem facere, quam nunc est, veluti sublato ex eodem malo physico atque morali, quemadmodum sumunt impugnatores mundi optimi; propositio præsens non subsistit. Cum vero & veritates, in S. S. contentas, & quæ per legitimas consequentias inde deducuntur negaret, qui hanc propositioim non admitit, impugnator mundi optimi in autoritatem S. S. incurrit. Quid? quod hostis mundi optimi in Sapientiam Divinam injurius est, ad quam omnino requiritur, ut Deus finem, quem intendit, ex asse consequatur (§. 378.).

§. 389.

Dei de modo manifestationis gloriæ suæ judicium.

Numerus I. Ex verbis Pauli *Rom.* I. 20. evidens est, mundum omnium possibilium optimum esse signum naturale Spiritus perfectissimi nec mundus quicunque alius signum tale esse potest (§. 304.). Fieri adeo non potest, ut Deus per mundum alium, quam per omnium possibilium perfectissimum, sive optimum, perfectionem spiritualitatis suæ, id est, perfectionem intellectus & voluntatis suæ patefaciat tanquam absolute summam. Consimiliter, teste Paulo, mundus optimus signum naturale omnipotentiæ Divinæ est (§. 306.); Consequenter is, qui non est optimus, signum potentiæ Divinæ tanquam absolute maxime nullatenus esse potest (*Ontol.* §. 952.). Quoniam itaque Deus mundum omnium optimum, seu perfectissimum elegit, quem produceret

ceret (§. 249.); Per eum quoque juxta S. paginas ſummam, qua gaudet, perfectionem tanquam abſolute maximam patefecit; Adeoque is gloriam ſuam maxime illuſtrat.

Numerus II. Qui infinito intellectu præditus eſt, omnia ſibi repræſentat ſimul (*Ontol.* §. 838.); Adeoque pleniſſime perſpicit, quomodo perfectio Dei ſumma, tanquam ea, qua major concipi nequit, per hunc mundum, patefiat; Conſequenter gloria Divina per eundem maxime illuſtretur. Quamobrem **nec intellectus infinitus in modo manifeſtandi gloriam Divinam per mundum adſpectabilem quicquam deſiderare valet.**

Numerus III. Deus per hunc mundum gloriam ſuam omnium maxime manifeſtat, ita ut nec intellectus infinitus in modo manifeſtationis quicquam deſiderare poſſit, *per demonſtrata num.* II. Quamobrem cum Deus intellectu infinito gaudeat (§. 183.); Nec Deus quicquam in modo manifeſtandi gloriam ſuam deſiderare poteſt. **Ipſius igitur judicio juxta S. S. hic mundus omnium maxime gloriam eius manifeſtat, eumque propterea producere decrevit.**

§. 390.

Ab exceptionibus liberatur. **Non licet exipere, electionem mundi optimi inferre neceſſitatem quandam libertati adverſam.** Quod enim agens facit ob finem ex aſſe obtinendum, id ſumma cum ratione facit, nec libertati contrariatur. Ecquis enim requiſiverit, ut, ne artifex opus ſuum faciat optimo, quo ab eo fieri poteſt, modo, quando ſibi pro-

propoſuit facere illud, quod artem ſuam loquatur, ne ex neceſſitate naturæ idem feciſſe dicatur, omnis libertatis in exercenda arte expers? Vi omnipotentiæ ſuæ poterat Deus facere mundum quemcunque alium, qui eo, quem exiſtentem intuemur, ſit minus perfectus, & eo ipſo, quod hunc fecit, hoc demonſtravit, teſte Paulo (§. 379.). Sed noluit producere alium, quoniam alius gloriæ ſuæ manifeſtandæ non æque inſerviat (§. 389. *Num.* I.). Quis ergo inferret, agendo fini convenienter tolli libertatem? Si velis agere optimo modo, ubi agere volueris propter finem, nec poſſis agere alio, quam hoc modo; non ideo tollitur libertas in agendo, quod optimo modo agas. Deus ſibi propoſuit per mundi creationem manifeſtare gloriam ſuam, qui ipſe finis poſtulat, ut utatur mediis ad eum ex aſſe conſequendum neceſſariis. Voluit igitur fini huic convenienter producere mundum, per quem gloria ipſius omnium maxime manifeſtatur. Non datur alius, quam quem fecit, per quem magis manifeſtetur gloria eius, nec alius, per quem æque manifeſtetur. Fini adeo ſuo convenienter decrevit hunc potius producere mundum, quam alium. Quis ergo ſanus dixerit, Deum non fuiſſe liberum in decernendo. Nec eſt quod excipias, Deum manifeſtare gloriam ſuam per creationem mundi non ſibi, ſed creaturis intelligentibus, veluti hominibus. Omni rationali creaturæ intellectus admodum finitus eſt; adeoque comprehendere nequit modum manifeſtationis gloriæ Divinæ, qualis per integrum hoc univerſum prodit. Satisfacit igitur abunde mundus non optimus. Huic argumento nulla ineſt concludendi vis: id quod vel hominum exemplo doceri poteſt. Artifex peritus,

ritus, etsi norit, non dari præter se alium, qui de operis perfectione judicium ferre possit, non ideo male facit opus, quod is, cuius gratia fit, nævum detegere non possit. In proprio judicio acquiescit, faciens opus, quod sibi artifici satisfaciat. Si quis facit aliter, vel mala fide imperitis imponit, vel horum inopia adductus volentibus facit opus, quale desiderant. Præterea verum omnino non est, quoad hominem perinde esse, sive Deus fecerit mundum optimum, sive non optimum. Patet enim ex demonstrationibus anterioribus, hominem agnoscere non per alium, quam per optimum mundum, Deum perfectionem suam manifestare posse tanquam absolute summam: Sit ita, quod ipsam mundi huius perfectionem, qua ceteris præstat, comprehendere minime possit. Neque, si praxin spectes, in quam theoria influit, perinde est, sive sumas Deum feciſſe mundum optimum, sive ponas, eum creasse mundum non optimum: Id quod ex Ethica Christiana palam fiet.

§. 391.

Qualia Deus eligat media.

Deus, teste S. codice, produxit hunc mundum, ut gloriam suam manifestaret (§. 379.); Adeoque se ipsum qualis sit, patefaceret, quod similiter ex Pauli verbis evidens est (§. 377.). Verum enim vero Deus elegit medium, quo finem, quem per existentiam huius mundi intendit, certo consequitur (*Theol. natur.* §. 624.); per electionem quoque huius potius universi, quam alterius, cuicunque creaturæ rationali patefacere voluit, qualibus utatur mediis ad finem sibi propositum consequendum. Patet igitur ex verbis apostoli, Deum eligere media, quibus fines intentos certo consequitur.

Consimiliter hoc modo idem demonstrari potest. Deus juxta S. S. est omniscius, qui omnia distincte, Scriptura magistra,

gistra, cognoscit (§. 169.); Adeoque omnia novit media, quibus finem intentum consequi datur (§. 229.). Fieri adeo haud quaquam potest, ut in eligendis mediis a vero aberret. Quamobrem **consentientibus S. literis, ea elegit media, quibus finem a se intentum certo consequitur.**

§. 392.

Veritas hæc vindicatur.

Repugnat voluntati velle finem & nolle media, quibus eum certo & ex asse assequeris, nisi impedimentum quoddam obiiciatur, quod invitum a mediis melioribus recedere cogit eligentem. Eligere enim medium, quod ad finem consequendum ex asse non ducit, supponit finem expeti ex parte, non vero totum. Eligere autem medium, quod ad finem consequendum non certo facit, sed quod ab eo aberare potest, supponit finem parum curari, sed esse ad utrumque paratum, sive eundem consequaris, sive eodem excidas. Neutrum adeo horum fieri potest, nisi ex errore, aut aliis de causis negotio extrinsece accidentibus, & hinc inde minime vacillare potest, utpote qui omniscius & independens ab omnibus entibus aliis. Hæc, quæ diximus, lucem affundunt, modo Deo convenienti, & consequentiis legitime ex S. S. deductis, autoritate ejusdem muniti, ut Sapientiam Divinam penitius intueamur, nec non militant pro electione mundi optimi, & metum omnem procul arcent, quo minus ex naturæ necessitate fieri debeat electio in præjudicium libertatis. Sane si nos in quolibet casu intelligeremus, quodnam sit illud medium, quod nos ad finem propositum certo perducat, & ejusdem ex asse compotes reddat; hoc ipsum semper eligeremus, nisi inviti, quatenus a rebus aliis dependemus, ab eodem recedere cogeremur, neque unquam animum nostrum solicitum teneret

hæc cura, ne libertatis jacturam faciamus, media deteriora præferentes melioribus, ut nos libere agere dubitari non posset.

§. 393.

Quomodo Deus fines particulares constituat: & quales illi sint.

Numerus I. Deus, approbante scriptura, nihil eorum, quæ insunt huic rerum seriei, decrevit absolute spectatum, sed in relatione ad totum (§. 343.). Quoniam decernens voluntatem determinat ad aliquid agendum (*Theol. natur.* §. 497.); Si propter finem particularem agere vult, propter eum agere non decernit nisi in relatione ad finem totius mundi. Quamobrem cum finem aliquem constituat, quatenus propter eundem agere decernit, quod per se patet; **Nullos quoque fines particulares juxta S. literas constituit, nisi in relatione ad finem totius mundi.**

Numerus II. Quoniam Deus fines particulares non constituit, nisi in relatione ad finem totius mundi, *per demonstrata num.* I. Finis autem, cur hunc mundum produxerit, est patefactio perfectionis suæ absolute summæ, si Paulo credis (§. 377.), seu manifestatio gloriæ eius, quod ex iisdem Gentium doctoris verbis luculenter patet (§. 379.); **Fines quoque, consentiente S. codice, particulares, quos Deus in hoc universo constituit, ad patefactionem perfectionis suæ absolute summæ, seu manifestationem gloriæ suæ referri debent.**

394.

Veritas hæc vindicatur.

Sane nisi Deus fines particulares, quos intendit, referret ad finem totius mundi, fieri haud quaquam posset, ut sibimetipsi subinde non contrariaretur. Etenim finis particularis contrarius esse posset, vel fini totius mundi, vel fini cuidam

cuidam particulari alteri, quemadmodum in humanis quotidie obſervatur. Neque enim alia datur ratio, quod fines particulares, quos homines ſibi præſtituunt, ſæpiſſime ſibi invicem contrarientur, quam quod ad finem aliquem ultimum eosdem minime referunt, vel quod de ultimo quodam fine prorſus ſolliciti non ſunt, vel quod parum curant, utrum finis particularis eidem conveniat, an vero adverſetur. Ceſſat penes Deum ratio contrarietatis finium particularium tum inter ſe, tum cum fine ultimo. Etenim Deus unico actu decernit omnia, uti nos Paulus docet (§. 262.), cum omnia ſimul cognoſcat (§. 185.): Nos de partibus vitæ deliberamus & decernimus, quod futura prævidere non valemus, nec omnia ſimul intuemur. Ceterum fines particulares, quos Deus in hoc univerſo conſtituit, referri debere ad perfectionis ſuæ abſolute ſummæ patefactionem, hoc jam in ſpecie de fine permiſſionis mali moralis (§. 380.) jam demonſtravimus. Atat! ut Sapientia Divina eo magis elucescat, hanc generalem adiicere, neceſſe duximus.

§. 395.

Numerus I. Fines particulares Deus, teſte ſcriptura, non conſtituit, niſi in relatione ad finem, quem per exiſtentiam totius univerſi intendit (§. 393. *num.* I.). Quoniam itaque per finem totius mundi intelligitur, cur Deus hunc finem particularem conſtituerit (*Ontol.* §. 855.); Ratio finis particularis in fine totius mundi ultimo continetur (*Ontol.* §. 56.); Adeoque poſito fine totius mundi, ponuntur etiam fines particulares (*Ontol.* §. 118.). Sunt igitur fines particulares ob finem iſtum, qui per totius mundi exiſtentiam intenditur. Quamobrem cum is ſit finis ultimus, ob quem conſtituuntur ceteri (*Ontol.* §. 943.); Finis ultimus *Qualis ſit Dei finis ultimus.*

timus est, approbante S. S., quem Deus per existentiam totius mundi intendit.

Numerus II. Finis, quem Deus per existentiam hujus universi intendit, finis ultimus est *per demonstrata num.* I. Verum enim vero finis, quem Deus per existentiam hujus universi intendit, est, si Paulo credimus, patefactio perfectionis absolute summæ, qua gaudet (§. 377.); Adeoque manifestatio gloriæ ipsius (§. 379. *& Theol. natur.* §. 610.). Patefactio adeo, approbante scriptura, summæ Dei perfectionis, seu manifestatio gloriæ Divinæ est finis ultimus; quem Deus per existentiam huius universi intendit.

§. 396.

Quæ hic notanda. Inde est, quod Deus ultra hunc finem, quem intendit, non intendat alium: nequem enim datur alius finis, ob quem Deus finem per existentiam totius universi intentum constituit. Necesse autem est, ut constet, dari aliquem finem ultimum, quem Deus in decreto de mundo producendo intendit, ut finium particularium subordinatio manifesta fiat, sine qua probari nequit, Deum esse Sapientem (§. 378.). Et sane, propositione *Numero* II. adjecta, clarius patet, quod ultra finem, quem Deus per creationem intendit, non detur finis alius, ob quem eundem intenderit. Etenim si Deum respicias, nil quicquam aliud ab eodem per creationem mundi intendi potest, quam ut perfectionem suam absolute summam, quæ nihil incrementi capere potest, creaturæ intelligenti patefeciat. Præter Deum vero non datur ens aliud, cuius gratia creaturæ rationali gloriam suam manifestare voluerit. Unde liquido constat, ne fingi quidem posse alium finem, ob quem Deus creaturæ rationali gloriam

suam

ſuam manifeſtare voluerit; Conſequenter qui ultra hunc finem detur.

§. 397.

Subordinatio finium quomodo a Deo fiat.

Numerus I. Ex S. literis demonſtravimus, quod Deus non conſtituat fines particulares, niſi in relatione ad finem totius mundi (§. 393. *Num.* I.); Conſequenter niſi in relatione ad ultimum (§. 395. *Num.* I.). Quoniam adeo per finem ultimum intelligitur, cur fines particulares conſtituerit (*Ontol.* §. 855.); Adeoque ratio, cur eos conſtituerit, in fine ultimo continetur (*Ontol.* §. 56.); Fines particulares non conſtituiſſet, niſi intendiſſet ultimum (*Ontol.* §. 118.). Quamobrem cum **finis unus alteri ſubordinetur**, ſi ideo conſtituitur, quia alter conſtituitur (*Theol. natur.* §. 630.); **Deus juxta S. S, fines particulares ſubordinat fini ultimo.**

Numerus II. Quoniam finis ultimus, quem **Deus** per exiſtentiam hujus mundi intendit, eſt patefactio ſummæ, quæ ipſi eſt, perfectionis, ſeu manifeſtatio gloriæ Divinæ (§. 395.), fines autem particulares ultimo ſubordinat, (*per demonſtrata num.* I.); **Fines omnes particulares ſubordinat perfectioni ſummæ, qua gaudet, perfectionis, ſeu manifeſtationi gloriæ ſuæ;** Conſequenter cum finis unus ſubordinatur alteri, quatenus unus propterea conſtituitur, quod conſtitutus ſit alter (*Theol. natur.* §. 630.); **Deus, conſentientibus ſacris paginis, finem, quemcunque particularem ideo intendit, quia gloriam ſuam per exiſtentiam hujus univerſi manifeſtare, ſeu perfectionem ſuam ſummam patefacere vult.**

Numerus

Numerus III. Deus, approbante sacra scriptura, fines omnes particulares subordinat ultimo, *per demonstrata num.* I.; Adeoque eosdem ideo constituit, quia constituit ultimum (*Theol. natur.* §. 630.). Quodsi jam constituto fine ultimo, constituendus sit finis A, hic vero obtineri non possit, nisi constituatur finis B; Finis alter particularis constituendus est, & quidem, si ultimus obtineri debet, ideo quia finis A constituendus. Finis igitur B subordinandus est fini A. Et eo modo patet, finem C subordinandum esse ipsi B, finem deinde D ipsi C, & ita porro. Quamobrem cum fieri non possit, ut plures fines particulares subordinentur fini ultimo, de quo nullus dubitat sanus, quin sibi invicem subordinentur. Patet **Deum, approbantibus S. literis, fines particulares sibi invicem subordinare.**

Numerus IV. Si quis finis alteri subordinatur, is ideo constituitur, quia hic alter constituitur (*Theol. natur.* §. 630.). Necesse igitur est, ut finis alter obtineri minime possit, vel saltem non possit obtineri eo, quo intenditur, modo, nisi finis alter constituatur. Cum adeo finis subordinatus huc faciat, ut alter, cui subordinatur, actum consequatur; Ad eundem utique sese habet per modum medii ad finem (*Ontol.* §. 937.). Atque adeo evidens est **juxta S. S. quoque in subordinatione finium is, qui subordinatur alteri, ad hunc, cui subordinatur, se habere ut medium ad finem.**

Numerus V. Deus juxta S. literas fines particulares subordinat sibi invicem *per demonstrata num.* III., simulque omnes ultimo, *per demonstrata num.* I.. Enimvero si

si quis finis alteri subordinatur, is ad hunc alterum se habet ut medium ad finem, *per demonstrata num.* IV. Deus itaque, consentientibus S. paginis, fines omnes ita sibi invicem subordinat, ut subordinatus sit medium ad eum, cui subordinatur; Consequenter ut propior sit medium remotioris, omnes vero simul sint medium ultimi consequendi.

§. 398.

Quantus sit usus hujus propositionis, evidens est, quia sine cognitione, quomodo subordinatio finium fiat, sapientiam Divinam rite cognoscere nequimus (§. 378.): id quod etiam ex aliis in sequentibus manifestum fiet. Taceo, quod non parum juvet in Ethica Christiana, quod Deus finem quemcunque particularem subordinet manifestationi gloriæ suæ. Hæc vero principia, quibus necessario indigemus, quando sapientiam Divinam paulo penitius quam vulgus perspicere allaboramus, inque eandem injurii esse nolumus, ex S. S. dictis per consequentias ligitimas ideo deduximus, quoniam disertis hæc in ea non traduntur verbis. Etenim illa praxin potius docet, quam theoriam. Atat! praxi sine theoria locus non est. Præterea hæc ex aliis S. literarum locis multo labore evinici potuissent, sed cum ex modo dictis lux suo proprio lumine radiet, ambagibus his merito supersedemus. *Usus hujus propositionis.*

§. 399.

Deus, teste scriptura, est omniscius (§. 229.), qui scit omnia, quæcunque cognitu possibilia sunt, sive singularia fuerint, sive universalia (*Theol. natur.* §. 301.); Adeoque etiam novit omnia media, quibus finis quicunque sive solitarie, sive una cum aliis spectatus, obtineri potest; Consequenter quibus solis positis ex asse ponitur finis. Jam cum *A Deo qualia eligantur media.*

agens intelligens non velit media, nisi finis consequendi gratia (*Ontol.* §. 941.), nec Deus, scriptura magistra, quicquam velit sine motivis (§. 251.); Consequenter sine ratione sufficiente (*Psychol. empir.* §. 887.); Fieri haud quaquam potest, ut finis consequendi gratia quædam velit, sine quibus finis poni poterat. Eligit itaque **media, quæ via brevissima ad finem ducunt**, quatenus scilicet permittunt fines alii simul obtinendi (*Psychol. ration.* §. 687.).

§. 400.

Quæ hic notanda.

Non alia datur ratio, cur nos per ambages incedamus, non vero via brevissima ad finem contendamus, quam quod media ignoramus, quæ nos brevissima via ad eundem ducunt. Sed Deus distinctissime novit media optima ad finem ducentia; apud Deum igitur omniscium ratio, cur nos ad ambages divertimur, non obtinet; Consequenter nec Fieri potest, ut per ambages incedat (*Ontol.* §. 118.). Notari porro meretur, quod plurimi sint fines, quos Deus simul intendit: Id quod propter rerum multitudinem, & insignem eorum varietatem in hoc universo in dubium vocari minime potest. Enimvero si quis plurium finium consequendorum gratia aliquid facit, is per ambages non incedit (*Psychol. ration.* §. 687.), etsi ad unum tantummodo finem animum advertenti per ambages incedere videatur (*Psychol. ration.* §. 685.). Quoniam itaque homo fines omnes particulares, quos simul consequendos sibi proposuit in hoc universo, minime perspectos habet; respectu quorundam per ambages incedere videri potest Deus, quando via previssima incedit; Consequenter **homo viam brevissimam, qua Deus in dato casu particulari incedit in prosequendo fine, difficulter cognoscere potest.**

Caven-

Cavendum itaque est, ne temere adversus propositionem generalem, ex natura intellectus atque voluntatis Divinæ fluentem, instantias urgeamus, præsertim cum non modo finis a Deo simul intentos ignorare, verum etiam pro fine venditare possimus, quod in numero finium locum non habet.

§. 401.

Sapientia Deo vindicata.

Diserte Paulus, Deum salutat *sapientem* I. *Timoth.* I, 17. μόνῳ σοφῷ Θεῷ τιμὴ καὶ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. *Soli sapienti Dei honor & gloria in secula seculorum*, & *Judas Epist. sua versu* 25. Μόνῳ σοφῷ Θεῷ σωτῆρι ἡμῶν δόξα καὶ μεγαλωσύνη. *Soli sapienti Deo Servatori nostro gloria & magnificentia.* Deus dicitur μόνος σοφός *solus sapiens*, atque adeo sapientia Deo tribuitur tanquam prædicatum proprium, ut adeo Vulgatus interpres μόνῳ σοφῷ Θεῷ in utroque loco solummodo vertat *soli Deo*, non vero *soli sapienti Deo*, quemadmodum reddit *Castalio* literam textus authentici secutus, propterea quod is, qui solus sapiens dici meretur, solus quoque Deus est. Vocabulum σοφία Græcis idem sonare, quod Latinis *sapientia*, pervulgatum est, & in Hebræo sermone eidem respondet vocabulum חכמה, quod LXX interpretes per σοφίαν vertunt, veluti I. *Regum.* IV, 30. 34. V, 12. Narratur autem Cap. III, 16. sqq. judicium Salomonis de duabus meretricibus, quo sapientia ejus probatur, & unde eam collegerunt Israëlitæ *versu* 28. Litigabant coram Rege hoc duæ mulieres in eadem domo habitantes, & in eodem cubiculo dormientes de infante vivo, quem utraque suum esse ajebat, altero a dormiente oppresso, & in locum vivi suppositio. Rex inquisiturus, cujusnam esset, testibus deficientibus, infantem vivum dividi & dimidium utrique tradi jubet: mulieri autem altera in divisionem consentiente, altera infantem illi cedere parata, atque divisio-

nem deprecante, tandem definit, eam esse infantis vivi matrem, quæ ipsum dividi nolit; Adeoque huic tradendum esse pronunciat. In quonam igitur consistebat Salomonis sapientia, quam hoc facto probatam dedit subditis? Detegere volebat matrem infantis vivi, de quo litigabatur, atque adeo hunc sibi proponebat finem in suo judicio (*Ontol.* §. 932.), ut jus reddere posset. Simulatio de infante dividendo erat medium, quo vera mater detegebatur (*Ontol.* §. 937.); Consequenter illam eo dirigebat, quo finem illum consequi intendebat. Quoniam itaque ideo sapientem sese ptobavit, quia matrem veram, quæ latebat, simulatione sua adeo feliciter detexit; Omnino liquet, eum dici sapientem, quod eligere noverit media ad finem consequendum apta. Et quoniam admodum prompte hæc media eligere potuit; ipsi fuit habitus eligendi media ad finem ducentia (*Psychol. empir.* §. 428.). Verum enim vero nobis sapientia non est, nisi finium sibi convenientium, (qualis erat ille, quem sibi proposuit Salomon tanquam Rex subditis jus controversum vindicaturus) constitutio, & mediorum ad eum ducentium electio (*Psychol. empir.* §. 678.). Ex his patet, quo sensu Deus sapiens sit dicendus. Nimirum S. S. magistra ajendum erit, Deum sibimetipsi præscibere fines decentes, & media eligere ad eos certo & ex asse ducentia. Dum vero in sacro codice solus sapiens nuncupatur, juxta eundem solus est, qui sapiens dici meretur; Facile hinc intelligitur, eum esse sapientem in omnibus, cum ex adverso constet neminem hominum in omnibus sapientem esse (*Psychol. ration.* §. 692.). Nec minus inde perspicitur juxta sacras literas tantam esse sapientiam Dei, ut omnis creaturæ sapientia ejus respectu pro nulla reputari debeat: Quod utique idem est ac Deo tribuere sapientiam illimitatam, seu omnium,

um, quæ concipi potest, maximam. Deo itaque in sacris sapientia summa atque perfectissima tribuitur, quæ est scientia constituendi fines optimos, eligendi media, quæ certo & via brevissima ad eundem ducunt, & quibus finem ex asse consequi datur, finesque omnes particulares ita sibi invicem subordinandi, ut remotiorum media sint propiores, & omnes tandem medium finis ultimi (*Psychol. ration.* §. 689.), qualem sane scientiam Deo, in hucusque hoc capite demonstratis, vindicavimus; Quin juxta S. S. ad sapientiam quoque pertineat finium particularium & ultimi subordinatio; Consequenter Deus dicendus sit fines omnes particulares sibi invicem, ac omnes tandem ultimo per modum mediorum ad finem ducentium subordinare (§. 397.), dubitandum non est.

§. 402.

Quæ hic notanda.

Ex hac propositione (§. 401.) data evidens est, quam multa ante probanda sint, quam constare possit, sapientiam Deo convenire summam atque omnium perfectissimam. Utile autem est, immo longe utilissimum, sapientiæ Divinæ prorsus convictum tenere animum, propterea quod hoc attributum mirifice influit in praxin, & in omni Theologia fert punctum. Quare nec piget laboris atque operæ, quam hucusque collocavimus in stabiliendis per consequentias legitimas ex sacris paginis deductis principiis, quæ præcognosci debent, antequam hujus Divinæ sapientiæ evidentem cognitionem acquirere possumus.

§. 403.

Quinam sit finis ultimus, & directio malorum ad eundem.

Quod Deus finem ultimum hujus universi manifestationem gloriæ suæ constituat, & mala moralia atque physica ad

ad eundem finem dirigat, docetur *Proverb.* XVI. 4. ubi *Jehova* dicitur *omnia operatum esse propter se ipsum, etiam improbum ad diem mali*, seu, quemadmodum *Castalio* vertit, *ad pœnarum diem.* Est vero Deus, docente Paulo *Actorum* XVII. 25. sibimetipsi sufficientissimus (§. 308.); Adeoque nulla prorsus re extra se quomodocunque indiget. Quamobrem nullus concipi potest modus, quo propter seipsum quicquam facere possit, quam ut gloriam suam manifestet per hoc, quod facit. Et sane quod ideo produxerit hunc mundum, ut per eum manifestaret gloriam suam, disertis Apostolus docet verbis *Rom.* I. 20. quemadmodum jam supra explicavimus (§. 295. 306.). Jam id, propter quod causa efficiens agit, est finis, quem intendit (*Ontol.* §. 932.). **Manifestatio** adeo **gloriæ Divinæ finis est, quem Deus per existentiam mundi intendit,** cumque omnia, quæ facit, ad hunc finem referat vi verborum Salomonis; Adeoque fines particulares non constituat nisi propter manifestationem gloriæ suæ, hoc est, ideo, quod eandem promovent, **eam esse finem ultimum,** patet.

Jam porro *Deus* dicitur *etiam improbos fecisse ad diem malum propter seipsum.* Nemo non largitur, impios hic dici illos, quorum actionibus inhæret malum morale, & per diem malum intelligi tempus, quo mala physica iisdem affliguntur. Quamobrem cum Deus propter seipsum quid faciat, quatenus per id gloriam suam manifestat; hominem fecisse dicitur, quem noverat mala perpetraturum, & mala physica eidem immittere decrevit, ut hoc ipso manifestaret gloriam suam. Patet itaque **Deum juxta S. S. dirigere mala physica atque moralia ad manifestationem gloriæ suæ.**

§. 404.

§. 404.

Directionem malorum ad gloriæ Divinæ manifestationem probari poteramus ex loco Pauli *Rom.* IX. 22. 23. Verum enim vero cum is sit interpretationis controversæ, nostrum vero jam non sit in hanc controversiam inquirere, quæ hujus nec loci, nec nostri hic instituti est; Sufficit alia S. S. dicta citasse, & ad ea provocasse, quæ de hoc loco diximus (§. 272. 273.), cum inde ostenderemus, velle Deum, quod ipsum decet. Sane mali directio ad manifestationem gloriæ suæ decet Deum, cum ea sit singularis quædam sapientiæ Divinæ pars (*Theol. natur.* §. 684. & *in notis.*). Qui vero sumunt Deum decrevisse malorum existentiam, ut essent medium illustrandi gloriam suam, ut inde inferant, Deum facere mala, ut inde eveniant bona, a vero toto cœlo aberrant (*Theol. natur.* §. 668.). Neque enim Deus vult existere mala, ut sibi sint medium illustrandi gloriam suam; sed quia in hac rerum serie insunt, nec salva ejusdem perfectione (§. 383.), ob quam eandem ceteris prætulit, & existere decrevit (§. 373.), salvaque sapientia sua (*Theol. natur.* §. 676.), qua in decernendo uti omnino debet (*Theol. natur.* §. 643.), tolli possunt, iis utitur ad manifestandam gloriam suam, hanc certe rerum seriem minime decreturus, nisi hunc usum habere potuissent, utpote nihil decernens, nisi respiciendo ad finem ultimum (§. 393. *num. I.*), gloriæ suæ manifestationem (§. 395.). Quodsi quidam affirmaverint, decrevisse Deum malorum existentiam, ut eorum faceret usum in manifestanda gloria sua, durius loqui videntur, quam sentiunt. Cum enim recte negent Deum esse mali autorem, causamque peccati; mentem eorum aliter explicare non licet, quam quod Deus decreverit existentiam hujus seriei rerum, cui

Veritas hæc ab erroribus liberatur.

mala

mala physica ac moralia insunt, propterea quod eorum usum facere potuit in manifestanda gloria sua, quam tanquam finem ultimum intendit, nisi in interpretando iniqum te præbere aliis volueris (*Logic.* §. 921.). Ceterum nostrum est in casibus, quos experimur, particularibus scrutari, quomodo per mala physica atque moralia, quæ contingunt, gloria Dei manifestetur: id quod multiplici modo in praxin influit.

§. 405.

Deus mala dirigit ad bona.

Illustre exemplum directionis mali ad bonum S. S. exhibet in Josepho *Gen.* XXXVII. sqq. Etenim cum is a patre præ fratribus suis amaretur, & ideo in tantum eorum odium incurreret, ut eum amice compellare non possent; nefando prorsus ausu mercatoribus Ismaëlitis vendebatur, qui eum in Ægyptum abducebant, & servituti addicebant. Factum fratrum fuisse malum, utpote in patrem atque fratrem maxime injurium, nemo inficiabitur. Ecce igitur tibi malum aliquod morale, quod Deus fieri permisit. Quin servitus, in quam deducebatur Josephus, fuerit malum physicum, nemo in dubium vocabit, nisi qui ignorat, quantum inter libertatem & servitutem olim receptam, inter nos vero abrogatam, intersit: Servus nimirum cum libertate amittebat omnia jura, nec quicquam habere suum poterat, totusque a voluntate alterius pendebat. Jam cum Josepho, quod Deo secundo uteretur, quæcunque moliebatur, ea prospere caderent; herus tantam in eum benevolentiam concepit, ut eum domui suæ præficeret, ac omnia sua in manus ejus traderet, *Genes.* XXXIX. 2. sqq. Hic heri in servum favor prorsus singularis, erat utique eidem bonus. Atque adeo patet, malum morale, quod perpetraverant fratres Josephi, & malum physicum, quod ipsemet perpessus fuerat, a Deo fuisse directum ad bonum. Porro cum idem Josephus uxori

uxori domini sui, eum ad concubitum sollicitanti, annuere nollet; is ab eadem falso accusatum in carcere includi jussit *Genes.* XXXIX, 7. *sqq:* Invitamentum ad adulterium, in quod consentire nolebat Iosephus, juvenis castus & pius, erat malum morale, a Deo permissum. Calumniæ, quibus innocentem aggravabat mulier pessima in eundem omnino censum sunt referendæ. Detentio autem Iosephi in carcere malum erat physicum, quod ei eveniebat, propterea quod castitati, pietati in Deum, fidelitati in dominum ac prudentiæ studuerat; Consequenter ex benefacto suo, accedente alterius malefacto, enascebatur. Accidit vero deinde fato singulari *Genes.* XL & XLI. ut Rex Ægypti Pharao ex carcere eductum ad maximum dignitatis fastigium eveheret, potestate ei in totam Ægyptum permissa. Hanc dignitatem in numerum bonorum esse referendam, quibus donatus fuit Iosephus, citra ullam hæsitationem unusquisque concedet. Ex malo igitur morali, quod Deus non impedivit, & malo physico, quod inde secutum, tandem enatum est bonum. Unde denuo patet, ut ante, Deum malum morale & physicum direxisse in bonum. Ceterum ex hac ipsa quoque historia liquet, quomodo mala & bona a se invicem dependeant, ut unum absque altero naturaliter existere minime possit. Sane nisi Iacobus parens amasset Iosephum filium natu minimum præ ceteris filiis suis; nec fratres eum odio persecuti fuissent. Amor Iacobi, quo Iosephum, adolescentem pulcherrimæ formæ ac bonæ indolis complectebatur, non erat malus, sed omnino bonus: Ast odium fratrum, quo adversus ipsum flagrabant, malum erat morale. Dependebat itaque malum morale a bono, sed non impediendum, nisi sublato bono, cessante nimirum amore patris in filium

probum. Ex odio fratrum enascebantur consilia de ipso occidendo, quibus denuo inter mala moralia locus est, & tandem cum mercatores in Ægyptum iter facturi in eos inciderent, decretum de vendendo. Quoniam in venditionem consentiebant omnes, quod Iudas fratrum unus necem eius dissuaderet; Iudæ autem consilium eatenus erat bonum, quatenus vitæ fratris consulebatur, venditio, qua frater servituti addicebatur, actus utique in se malus, denuo dependebat ab actu bono, non impediendus, nisi bonum consilium cessasset. Ceterum venditio illa in se mala quoad vendentes, bona erat physice considerata respectu venditi, atque adeo uni eidemque actui inhærebat & bonum, & malum. Quodsi Iosephus non fuisset venditus a fratribus, in Ægyptum nunquam perveniisset; Consequenter nec ibidem gratiam Potipharis meruisset. Unde denuo patet bonum, quod Iosepho eveniebat, dependisse a malo, quod perpetrabant fratres. Recte omnino faciebat Iosephus, quod ad adulterium cum uxore domini sui committendum se adduci minime patiebatur: Ast male faciebat mulier improba, quod calumniis audacter petens innocentem in carcerem adduceret. Unde malum morale dependebat a bono, & a morali malo denuo physicum quodpiam. Quodsi Iosephus in carcerem non fuisset detrusus, nec somniorum interpretatione ansam dare potuisset prægustatori Pharaonis, ut hac de causa commendaretur Pharaoni & felici interpretatione somnii non modo gratiam eius sibi conciliaret, verum etiam ad dignitatem regiæ proximam eveheretur. Unde liquet, quomodo a malo physico dependeat bonum. Qui attenta mente modo dicta recolere voluerit, is abunde perspiciet, ob rerum in hoc universo nexum, mala moralia, & physica atque bona ita a se invicem dependere, ut

nisi

nisi malis admissis locus esse in eodem bonis minime possit. Deus utique pervidens ab æterno omnem rerum nexum, cum intendat bonum tanquam finem, locum quoque relinquere debet malis tanquam mediis ad eundem ducentibus non quatenus mala sunt, sed quatenus sunt causæ naturales aliorum ad actum perducendorum. Agnovit hæc satis superque Iosephus, quemadmodum insinuant ea, quæ cum fratribus locutus est *Gen.* XLV, 4. *sqq:* & disertis affirmat verbis *Genes.* L, 20. inquiens: *Vos quidem cogitaveratis contra me malum, sed Deus cogitavit illud in bonum* (convertere), *ut faceret sicut est in die hoc, conservando in vita populum multum.* **Exemplo itaque Josephi codex sacer evidenter probat Deum malum dirigere in bonum finem, quoniam mala ita implicantur bonis, ut si hæc tollerentur, auferatur simul bonum;** Consequenter cum malum tolli non possit ex causarum serie, nisi quoque effectus bonus impediatur, **malo hoc, quod tolli nequit, utitur tanquam medio consequendi finem bonum, quatenus nimirum est causa physica certi effectus.**

§. 406.

Modus, quo expendimus directionem malorum ad bona, exemplo esse potest in aliis casibus, ubi in eandem directionem inquirendum. Patet nimirum animum advertendum esse ad eventus, qui se invicem excipiunt, & perpendendum, quibus positis, ponantur alii, non ponendi nisi positis istis. Ita enim eorundem mutua a se invicem dependentia innotescit, atque adeo intelligitur, quomodo in hac rerum serie mala physica pendeant a moralibus, moralia sub- *Veritas hæc vindicatur.*

inde a phyficis & bona ab utrisque. Quodſi jam bona ſumantur tanquam finis a Deo intenti, tum patebit, malis huic rerum ſeriei per naturam rerum inexiſtentibus a Deo relinqui locum, quod ad illorum actualitatem quid conferant, conſequenter quod præbeant ſui uſum ad conſequenda bona per modum medii. Uſus hic cum ſit bonus, & voluntas omnis per naturam ſuam feratur in bonum (*Pſychol. empir.* §. 904.), non repugnat dici, quod Deus uſum iſtum intenderit tanquam finem (*Theol. natur.* §. 648.). Nimirum mala, quatenus hunc habent uſum, mala non ſunt, quemadmodum ex ipſa notione mali reſpectiva intelligitur (*Theol. natur.* §. 371.), nec proprie loquendo uſum bonum habent, quatenus ſunt mala, ſed quatenus mala moralia ſunt actiones phyſicæ; mala phyſica eventus naturales, quo reſpectu etiam in ſerie cauſarum exiſtunt: quod noſſe cum plurimum referat; noſtrum eſſe videtur, ut malorum in bonum influxum exponamus diſtinctius. Hoc ſane pacto fore confidimus, ut omnes tandem diſpellantur nebulæ, quæ iis offenduntur, quotquot capere non poſſunt, quomodo mala poſſint ſubire locum mediorum conſequendi bona, præſertim ubi in concurſu Dei ad mala oſtendetur adhuc, quantum mala pendeant a Deo, quoad ipſum minime mala, quemadmodum jam vidit *Campanella* perſpicillis thomiſticis uſus in Atheismo triumphato. Hinc ſequens ſubiiciendus paragraphus.

§. 407.

Et modus, quo bona a malis in hoc univerſo dependent, penitius inveſtigatur,

Bona in mundo non dependere a malis quatenus mala ſunt, ſed quatenus mala moralia ſunt actiones phyſicæ, phyſicæ autem cauſæ naturales, quemadmodum modo inſinuavimus, evidenter patet demonſtratione, ad caſum particularem, ex ſacro codice deſumtum, applicata. Sumamus itaque

itaque exemplum Ioſephi, quo directionem Divinam mali ad bona (§. 405.) illuſtravimus. Vendebatur Ioſephus a fratribus ſuis mercatoribus Iſmaelitis, & ab his in ſervitutem deducebatur in Ægyptum. In Ægypto calumniis mulieris malæ in carcerem coniiciebatur, & ibi ſomniorum interpretandi occaſionem nactus ob artem, qua in iis interpretandis excelluit, Pharaoni commendari merebatur; cui cum eandem probaret, ad ſummam dignitatem evehebatur. Nemo non videt, Ioſephum ad tantam in Ægypto dignitatem nunquam fuiſſe aſcenſurum, niſi a fratribus fuiſſet venditus in ſervitutem, & a Potiphare in carcerem conjectus. Quoniam venditio iſta erat moraliter mala, nec minus calumniæ uxoris Potipharis, ob quas in carcerem detrudebatur, malis moralibus accenſeri debent; Ioſephi ſumma in Ægyto dignitas dependebat a malo morali. Venditio iſta mala erat, quod proficiſcebatur ex odio fratrum in fratrem, nec ullum venditoribus erat jus vendendi. Enimvero non ideo deducebatur in Ægyptum, quod ex odio eſſet venditus, & quod eſſet venditus ab iis, quibus nullum vendendi jus erat; ſed ideo tantum, quod eſſet venditus mercatoribus in Ægyptum iter facientibus, illicque ipſum vendentibus. Quamobrem evidens eſt, dignitatis ſummæ collationem, quatenus dependet a venditione in ſervitutem, dependere a mala actione, non quatenus moraliter, ſed quatenus phyſice ſpectatur, hoc eſt, quatenus fuere motus in corpere actiones ad venditionem requiſitæ, non quatenus hi motus reſponderunt volitionibus malitioſis atque injuſtis (*Theol. natur.* §. 568.); Conſequenter a malo morali, non quatenus malum eſt, ſed quatenus in numero rerum naturalium locum habet. Similiter Ioſephus non ideo ad dignitatem ſummam evectus, quod per malitiam mulieris laſcivæ

scivæ & per injustitiam Potipharis mariti ejus in carcerem conjectus, atque per ingratitudinem prægustatoris in eodem detentus fuisset; Sed ideo tantum evenit, quod in carcerem conjectus & in eodem detentus fuisset. Unde patet, ut ante, collationem dignitatis summæ, quatenus dependet ab injusta Iosephi in carcerem detrusione & eius in eodem detentione dependere a mala actione, non moraliter, sed physice spectata (*Theol. natur.* §. 568.); Consequenter non a malo morali, qua tali, verum quatenus actiones, quibus malum inhæret, sunt in numero rerum naturalium. Ceterum cum malum morale inhæreat volitionibus, non quatenus sunt modificationes animæ, & hisce sui in corpore motus respondent (*Theol. natur.* §. 569. 572.); Verum quatenus abusu libertatis diriguntur in finem malum (*Theol. natur.* §. 580. 574. 575.); Haud difficulter patet, quæ de casu Iosephi dicta sunt, eadem ad omnem alium eodem modo applicari debere. Atque adeo evidens est, **scriptura magistra, bonum in genere in mundo non dependere a malo, quatenus malum est, sed quatenus mala moralia sunt actiones physicæ, physica autem causæ naturales, seu, si mavis, quatenus actiones, quibus vitiositas inhæret, physice spectantur.**

§. 408.

Atque vindicatur. Quodsi vero fuerint nonnulli hebetiores, qui veritatem satis apertam videre nondum possunt, hi perpendant, velim, si Iosephi evectio ad dignitatem summam penderet a malo morali qua tali, cum malum morale proveniat ab intentione agentium, necesse fuisse, ut & fratres improbi, & mulier calumniatrix, & Potiphar ex credulitate injustus, & prægustator ingratus, improbitate, calumniis, injustitia atque

atque ingratitudine illam intendissent: quod quam sit a vero alienum, nemo non videt. Malum igitur qua malum in bonum minime influit. Unde etiam est, quod malum tribuatur hominibus libertate sua abutentibus; Directio vero ad bonum ad Deum autorem referatur, a quo est rerum in universo nexus. Sed hæc apertiora fient, quando inferius de concursu Dei ad malum acturi sumus. Non attendimus hic illum casum, quo nos malis perpetratis utimur tanquam motivo emendationis, propterea quod hæc directio mali ad bonum in Deo locum non habet, sed de eadem in Theologia practica agendum erit. Ceterum vi hujus propositionis clarius intelligitur, cur mala minime obstent perfectioni huius universi (*Theol. natur.* §. 683.). Cum enim perfectio mundi nascatur ex possibilitate subordinationis finium particularium & ultimi (*Theol. natur.* §. 671.); bona vero a malis non dependeant, quatenus mala sunt, sed quatenus, tanquam quæ secundum naturæ ordinem contingunt (*Theol. natur.* §. 559. 572.), in serie rerum naturalium continentur; malum, qua malum, non ingreditur perfectionem universi, etsi ea, quibus malum inhæret, suum ad eandem conferant. Hinc jam conspicitur, quod plena luce in doctrina de concursu Dei perfundetur, quo sensu verum sit, quod dicit *Campanella*, quoad Deum non dari malum in hoc universo. Etenim quoad Deum mundus consideratur tanquam ens unum, cuius perfectio in mutua rerum a se invicem dependentia consistit, quatenus per eam ad manifestationem gloriæ Divinæ mundus efficitut aptus (*Theol. natur.* §. 673.). Quamobrem cum res in hoc universo ex mutua a se invicem dependentia ad constituendam perfectionem universi excludant malum qua tale, quoad Deum, qui ob perfectionem rerum seriem præsentem elegit (*Theol. natur.*

natur. §. 325.), nullum datur malum, cum non datur, quod tendat ad imperfectionem totius universi (*Theol. natur.* §. 371.).

§. 409.

Cur Deus nihil frustra faciat,

In sacris Deus dicitur sapiens, & sapientia eius tanta est, qua maior concipi nequit (§. 401.). Quamobrem cum sapiens agat propter finem, & media eligat ad finem consequendum apta (*Psychol. ration.* §. 678.), & Sapientiæ summæ sit eligere media ad finem certo & ex asse consequendum ducentia (*Psychol. ration.* §. 689.), ac preterea Deus, teste S. S. facere possit, quicquid vult (§. 274.); Deus nil quicquam facit sine fine, nec aliis utitur mediis, quam quibus finem intentum certo & ex asse actu consequitur. Quoniam itaque is demum **frustra quid facit**, qui vel nullo fine quid facit; vel quod fini, quem intendit, consequendo minime sufficit (*Theol. natur.* §. 662.); **Deum, consentiente sacro codice, nihil frustra facere liquet.**

§. 410.

Et hinc ab hominibus differat.

Cessant nimirum rationes penes Deum, ob quas homines frustra quid faciunt, quæ aliæ non sunt, quam quod vel media eligamus parum convenientia, vel quod obstacula, quæ obiiciuntur, minime removere valeamus, vel quod temporis fallendi gratia quædam agamus. Non igitur mirum, quod nec frustra quid facere possit (*Ontol.* §. 118.). Quodsi nobis tanta esset Sapientia, quanta in dato quolibet casu requiritur, ne quid frustra fiat; si tanta esset potentia, quanta consiliis exequendis par est; nec nos unquam frustra quid faceremus. Adessent enim rationes sufficientes cur quid frustra fieri minime possit. Hinc facile colligitur, quænam Deum inter & nos intercedat differentia.

§. 411.

§. 411.

Paulus de occultis Dei judiciis locutus *Rom.* XI, 33. exclamat: Ὦ βάθος πλέτε σοφίας -- Θεȣ̃! *O profunditatis divitiarum Sapientiæ -- Dei!* hanc reddens prorsus admirabundus rationem. ὡς ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτȣ̃! *Quam impervestigabiles viæ ejus?* Vocabulum βάθος, quod per *altitudinem* reddit vulgatus interpres, proprie *profundidatem* significat. Latinis enim quod profundum est, idem & altum dici solet, quemadmodum sæpe apud *Cæsarem* profunditas fluminis altitudinis nomine venit, uti-ex adverso apud Græcos βάθος quoque altitudinem subinde significat. *Lutherus* vernacule reddit. **O welch eine tiefe des reichthums, beyde der Weisheit und erkänntniß GOttes. Wie gar unbegreiflich sind seine Gerichte, und unerforschlich seine Wege!** quod Latino vocabulo *profunditas* æquipollet. Quicquid sit, sive Sapientiæ Divinæ altitudinem, sive profunditatem tribuas, in casu admirationis, quem exclamatio indigitat, significatur, tantam esse Sapientiam Divinam, ut eam assequi minime valeamus. Assequimur Sapientiam, siquidem nobis perspicere licet fines ab agente intentos & media ad eosdem ducentia (§. 401 & *Psychol. ration.* §. 678.); Consequenter & finium subordinationem, quippe quæ fit per modum mediorum ad finem (§. 397. *num.* IV.). Quare si eam assequi non valemus, aut fines pervestigare non possumus, aut media detegere nequimus, aut in finium subordinatione frustra desudamus. Ex mente adeo Gentium doctoris tanta est Sapientia Dei, ut fines omnes, quos Deus intendit, penitus perspicere & media ad eundem ducentia certo cognoscere, finiumque subordinationem capere minime valeamus. Quoniam itaque

Imperscrutabilitas Sapientiæ Divinæ.

Sapientia imperſcrutabilis eſt, ſi fines ab agente intenti, vel media, quæ ad eosdem conſequendos elegit, vel finium quoque ſubordinatio penitus nobis non fuerint perſpecta, nec a nobis certo cognoſci queant (*Theol. natur.* §. 690.); Sapientia Divina ex mente Apoſtoli imperſcrutabilis dicenda, quia nec fines a Deo intentos, nec media, quæ ad eosdem conſequendos elegit, nec finium ſubordinationem penitus perſpicimus, nec certo cognoſcere poſſumus. Hanc vero fuiſſe Paulo mentem, tanto minus dubitare licet, ubi animum ad rationem advertimus, quam altitudinis, aut, ſi magis arridet, profundidatis Sapientiæ Divinæ reddit. Etenim non ſine admiratione exclamat: *quam imperveſtigabiles ſunt viæ eius!* Conſtat phraſi S. S. *vias Dei* appellari media, quibus utitur ad fines, quos intendit, conſequendos, quatenus ſunt apta ad eos conſequendos, commodiſſima metaphora. Quemadmodum enim via nos ducit ad metam, ad quam contendimus; ita & media ducunt ad finem, quem intendimus, ubi fuerint apta. Et ſane hac ipſa appellatione denotatur, Deum ſemper uti mediis, quæ certo atque via breviſſima ad finem ducunt: quemadmodum ſupra (§. 399.) demonſtratum eſt. Iuxta Apoſtolum itaque Sapientiam Dei aſſequi minime valemus, propterea quod comprehendere non poſſumus, cur hoc vel iſto modo agat Deus, ignorantes aptitudinem mediorum ad finem conſequendum, quoniam nec fines ſatis explorare, nec media, ſi vel maxime illa perſpecta nobis eſſent, ad eos conſequendos maxime apta divinare licet. Nimirum ipſo autore tanto maiorem in admirationem rapimur, quanto ſollicitius inquirimus in fines, quos Deus intendit, & in media, quibus utitur in iis proſequendis, & in aptitudinem illorum mediorum, ubivis abyſſum cognitionis Divinæ deprehen-

prehendentes, quam rationis humanæ, aut entis finiti explorare non valemus. Ratio igitur ab Apostolo prolata, cur profunda sit Sapientia Dei, eius imperscrutabilitatem evincit, quoniam eam nullum ens finitum; Consequenter nec homo assequi valet, propterea quod comprehendere non potest, cur Deus hoc vel isto modo agat, ignorans aptitudinem mediorum ad finem consequendum, quia nec fines satis explorare, nec media, si vel maxime illa perspecta essent, ad eos consequendos maxime apta divinare licet.

§. 412.

Apostolus in admirationem totus abripitur, ubi Sapientiæ Divinæ imperscrutabilitatem expendit: Id quod exinde apparet, quod non solum in probanda sua de eadem sententia, sed & in reddenda ratione exclamatione utatur, ac mox interrogatione, ubi rationem rationis redditurus, quanta sit sibi certitudo, indigitare intendit. Hoc suo exemplo duo nos docet, nimirum quod in fines a Deo intentos & media, quibus ad eosdem consequendos utitur, omni studio inquirere debeamus, etiam ubi inanem operam a nobis sumi pro explorato habemus, ut imperscrutabilitatis Sapientiæ Divinæ reddamur prorsus certi. Deinde quod agnita imperscrutabilitate Divina, Deum admirabunda mente venerari teneamur, ne sterilis sit nostra imperscrutabilitatis Divinæ cognitio. Quamobrem hoc pacto nec nocent errores de finibus a Deo intentis & eorum mediis, modo non fingantur, quæ Deum dedeceant, ubi iisdem animadversis ad imperscrutabilitatem Sapientiæ Divinæ

Quæ hic notanda.

vinæ convertimus animum, & de ea certiores redditi ad Dei venerationem rapimur.

§. 413.

Immensitas Sapientiæ Divinæ.

Deus a Gentium Apostolo I *Tim.* I, 17. & a Juda *versu* 25. μόνος σόφος *solus sapiens* salutatur, etsi hominibus quoque *Sapientia tribuatur*, veluti *Salomoni* I *Regum.* IV, 30. 34. Nisi admittere velis contradictionem contra æquitatem in interpretando etiam in humanis (*Logic.* §. 921.); fatendum omnino est, ex mente Apostolorum Sapientiam Divinam esse tantam, ut Sapientiam entis intelligentis innumeris parasangis excedat, ac proinde hæc cum illa comparari nullo modo possit. Quemadmodum in genere magnitudinum linea incomparabilis est superficiei, superficies autem solido; Consequenter Sapientiam Divinam esse omni Sapientiæ entis intelligentis finiti cuiuscunque heterogeneam, sicuti linea est superficiei superficies solido est heterogenea (*Ontol.* §. 364.). Immo Sapientia Divina summa atque perfectissima est, scriptura magistra (§. 401.); Adeoque eadem maiorem concipi repugnat; Consequenter limitata esse nequit (*Ontol.* §. 825.). Est igitur illimitata (*Ontol.* §. 53.). Quamobrem cum quantitas limitata non possit fieri illimitata, quotiescunque etiam sumatur (*Theol. natur.* §. 175.); Fieri nullo modo potest, ut Sapientia limitata quæcunque degeneret in Divinam, quotiescunque sumatur. Unde denuo evidens est, quod limitata quæcunque, hoc est, quæ inest intellectui finito, Divinæ prorsus heterogenea sit (*Ontol.* §. 364.); Adeoque pro mensura Divinæ assumi haud quaquam possit. Sapientia tandem Divina tanquam illimitata sui ipsius mensura esse nequit. Quamobrem cum præter Sapientiam Divinam illimitatam, & illam limitatam alia concipi nequeat (*Ontol.* §. 53.); Nulla prorsus reperiri potest

est mensura Sapientiæ Divinæ. Cum vero immensum sit, quod omnem mensuram respuit (*Theol. natur.* §. 41.); **Juxta S. S. sapientia Divina & in se immensa est, nec per Sapientiam ullius entis finiti mensurabilis, mensuram omnem prorsus respuens.**

§. 414.

Ut imperscrutabilitatem sapientiæ Divinæ intelligibilem reddat iis, qui ultra sensus non sapiunt, adeoque plurimis, eam cum abysso confert Apostolus, cuius tanta est profunditas, ut explorari minime possit *Rom.* XI. 33. Neque enim imago alia immensitatem sapientiæ Divinæ magis repræsentat, quam abyssus immensæ profunditatis, in stuporem coniiciens eos, qui eam explorare conantur. Ceterum probatio huius veritatis luculento exemplo docet, verba S. S. habere Sensum profundum, quem non assequuntur, quotquot in superficie hærere solent. *Quæ hic notanda.*

§. 415.

Deus טוב *bonus* dicitur *Psalm.* CVI. 1. CVII. 1. CXVIII. 1. & bonitas Dei ibidem proponitur tanquam motivum ipsum celebrandi. Ut vero ostendatur, quod sit bonus, recensentur bona, quibus Israelitas affecit in deserto, cum Moses eos eduxisset ex Ægypto, atque auxilium describitur, quod Deus fert confidentibus in ipso. Deus adeo bonus dicitur, quod bona conferat hominibus. Quemadmodum vero locis citatis Deus celebratur, quod bonis afficiat homines; ita non minus laudatur, quod bona quoque conferat in creaturas alias, veluti *quod terram pluvia irriget, ut herbas & plantas proferre possit, & quod bestiis det pabulum pullisque corvorum escam Psalm.* CXLVII. 8. 9. Juxta sacras literas itaque ad bonitatem Divinam quoque referi debet, quod Deus bona conferat entibus aliis, seu eorundem *Bonitas Deo tribuenda.*

perfectionem, etiam accidentalem, promoveat. Ad perfectionem enim terræ accidentalem facit, quod apta reddatur ad plantas proferendas, quemadmodum ad perfectionem animalium spectat vita atque sanitas, quæ pabuli beneficio conservatur. Ex his igitur intelligitur; Deum in sacro codice dici bonum erga alios, quatenus pronus est ad aliorum entium perfectionem sive essentialem conferendam, sive accidentalem promovendam. Et sane *Genes.* I. 31., quemadmodum supra abunde exposuimus (§. 249.), Deus dicitur omnia fecisse optima, quatenus entibus singulis dedit perfectionem essentialem, quæ ipsis convenit, & eum fecit rerum nexum ac naturæ ordinem, ut earum quoque perfectio accidentalis promoveatur, quantum fieri potest, salvo scilicet naturæ ordine. Enimvero **bonus** dicitur erga alios, qui pronus est ad aliorum perfectionem promovendam (*Theol. natur.* §. 695.), & ex eo, quod Deus enti cuicunque tantundem confert boni, quantum salva sapientia ipsius fieri potest (*Theol. natur.* §. 698.), evidens est, ipsum esse summe bonum, ita ut maiorem bonitatem concipi repugnet (*Theol. natur.* §. 699.). Quare patet, **juxta S. S. Deum dicendum esse summe bonum atque bonitate Divina maiorem concipi non posse, qui enti cuicunque tantundem confert boni, quantum salva sapientia eius fieri potest.**

§. 416.

Bonitas Divina immensa est.

Math. XIX. 16. 17. hæc leguntur: *Et ecce, quidam accedens dixit ei* (Christo) *Doctor bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Ipse vero dixit ei, cur me dicis bonum? nullus est bonus, nisi unus Deus.* Quoniam qui Christum ἀγαθόν *bonum* doctorem (magistrum) appellabat,

bat, ab eo doceri desiderabat, quid fieri a se debeat, ut vitæ æternæ compos reddatur; ipsum utique bonum appellabat in relatione ad alios. Quamobrem cum ex interrogatione responsionis interpretatio fieri debeat, quia interrogans non aliter accipit mentem respondentis, quam quatenus interrogationi suæ convenit; Dicendum omnino est, Christum quoque Deum appellare bonum in relatione ad entia alia. Quoniam tamen Christo solenne semper fuit, ut omnem instruendi alios de Deo ac voluntate eius occasionem ambabus, quod dicitur, manibus arriperet; Nil obstat, quo minus concedamus, Deum quoque in se spectatum a Christo vocari bonum, præsertim cum bonitas Dei absoluta eluceat ex doctrina, quam proponit. Docet enim *adolescentem versu* 21. qui ad perfectionem adspirare videbatur, *quid facere debeat, ut certum ac minime fallax in se experiatur signum perfectionis* acquisitæ. Constat vero *Christum inculcasse, quod perfecti esse debeamus, quemadmodum Deus perfectus est Math.* V, 48.; Adeoque bonitatem, quæ Deo competit in se spectato, in exemplum nobis proponere (*Theol. natur.* §. 370.). Quicquid huius sit, sufficit nobis in præsente, Deum a Christo appellari bonum in relatione ad entia alia, quæ præter eum existunt. Hanc igitur bonitatem relativam, quæ in pronitate ad promovendam aliorum perfectionem (*Theol. natur.* §. 695.), aut, si mavis, in facilitate bonis alios afficiendi consistit (*Theol. natur.* §. 370.), & quam ex mente Psalmistæ Deo competere, & sub hoc nomine tribui modo (§. 415.) evicimus, non nisi uni (soli) Deo propriam esse Christus pronunciat. Affirmat enim, unum solummodo esse ens, quod bonum erga alios dici mereatur, & hoc ipsum esse Deum. Negat adeo hominem ullum bonum erga alios dici posse, si bonita-

nitatem eius referas ad Divinam. Conſtat Chriſtum ipſum homines quosdam vocare bonos, eosque opponere malis, qui inimico ſunt in alios animo *Math.* V. 45. ſqq. Quamobrem ſi contra omnem æquitatem in interpretando etiam in humanis ſcriptis (*Logic.* §. 921.) contradictionem admittere nolueris, ad Deum ſolum bonum applicanda ſunt, quæ de Deo juxta S. paginas ſolo ſapiente (413.) adſtruximus. Quemadmodum itaque ibidem oſtendimus, Deum ſolum dici ſapientem, quatenuus eius Sapientia eſt omni Sapientiæ entis cuiuscunque finiti heterogenea, & tanquam illimitata ſui ipſius menſura eſſe nequeat, atque hinc deduximus immenſitatem eius; Ita quoque affirmandum, eam eſſe bonitatem Divinam, ut bonitas entis cuiuscunque finiti ſive abſolute, ſive in relatione ad entia cuncta alia ſpectata pro nihilo reputanda ſit. Atque adeo bonitatem Divinam eſſe omnium maximam, quæ concipi poteſt, nec non illimitatam, prorſusque immenſam. Hæc vero interpretatio tanto evidentior, quod contextui congrua deprehendatur. Etenim arrogans ipſe adoleſcens ſibi jam videbatur feciſſe omnia, quæ lege Divina præcipiuntur, neque adeo quidpiam deeſſe, quod ad ſui perfectionem deſiderari poſſit. Præcipiebat igitur Chriſtus, ut omnia, quæ poſſidebat bona, venderet, & erogatis in pauperes pecuniis ſe ſequeretur, ipſum convicturus, quod bonitatem in alios nondum ſummam poſſideret, nec bona æterna caducis præferret. Unde liquet, ipſi de bonitate Dei loquenti non modo ſermonem eſſe de bonitate Dei eſſentiali, vi cuius & perfectiſſimus eſt, & ſeipſum talem probat in omnibus actionibus ſuis, ſed & de bonitate ſua, erga alios, vi cuius tantundem boni confert in creaturas, quantum moraliter poſſibile, hoc eſt, ſumma ſui ipſius perfectione ſalva conferre poteſt. Nullum

igitur

igitur dubium restat, quin, Christo doctore. Deus sit non modo summe bonus in seipso, sed etiam erga alios.

§. 417.

Ex his denuo luculenter patet, quam profundus sit sacri codicis Sensus, quem, qui in superficie solummodo hærere solent, assequi minime queunt. Nimirum evidenti hoc exemplo palam fit, quantum lucis veritatibus mixtis affundat ratio, ubi intelligere volueris, quæ de iis docet S. S., ut adeo valde opportunum sit rationis & revelationis, Philosophiæ atque Theologiæ connubium, nunquam satis deprædicandum, nunquam satis commendandum iis, qui sacras allaborant interpretare literas. *Quæ hic notanda.*

§. 418.

Jehova dicitur *Psalm.* CXLV. 9. טוב *bonus erga omnia, & miserari omnium operum suorum.* Qui bonus est in alterum, ipsum amat (*Theol. natur.* §. 700.). Ex mente igitur Davidis Deus amat omnia, scilicet omnia opera sua, seu omnes res abs se creatas, quemadmodum ex contextu apparet, hoc est, omnia ea, quæ fecit. Fecit autem Deus omnia, mundum & quæ in mundo sunt *Gen.* I. & II. Nimirum res non minus animatas cunctas, quam inanimatas omnes, & in illis quoque hominem. Deus itaque amat res omnes tam animatas, quam inanimatas, ac in his etiam hominem. Porro vocabulum Hebraicum רחם, quod *Vulgatus*, *Junius* & *Tremellius* & ut plurimum omnes per *miserationem* aut *misericordiam* vertunt, illum animi affectum denotat, quo tædium sive molestia animi ex alterius infelicitate percipitur (*Psychol. empir.* §. 687.). Quodsi vero quis alterius commiseratur, is eum amat (*Psychol. empir.* §. 692.), & animalium quoque commiseramur (*Psychol. empir.* §. 701.), *Amor Dei universalis erga omnes creaturas.*

§. 701.), immo rerum inanimatarum quoque quasi commiseramur, si easdem amamus (*Psychol. empir.* §. 702.). Deus igitur juxta codicem sacrum amare dicendus est res omnes, quas fecit, tam animatas, quam inanimatas, & in istis imprimis homines. Quod vero homines præprimis amet, docet Salvator noster *Joh.* III. 16. *Ita enim dilexit mundum, ut Filium suum illum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Per mundum hic homines insigniri, qui contextum evolvit, minime dubitabit. *Johannes* consimiliter Dei erga homines amorem prædicat quando I *Epist.* IV. 19. nos hortatur, *ut Deum diligamus* (*amemus*), atque hoc utitur motivo, *quod primus nos dilexerit* (*amaverit*).

§. 419.

Quantus sit nexus inter bonitatem atque amorem.

Inter bonitatem atque amorem adeo arctus est nexus, ut illa sine hoc esse nequeat. Unde si contingit ob rationes particulares nos alterius commoda pro virili promovere, quem non amamus; id bonitati minime tribuendum. Etenim ex notione boni & bonitatis (*Theol. natur.* §. 370. 695.) evidens est, ad bonitatem non sufficere actum externum, quo aliorum promovetur perfectio; sed necessario requiri actum internum, nimirum pronitatem ad id agendum ex amino; Cum e contra actus externus, qui rationes tantummodo extrinsecas habet, fit, vel saltem fieri possit ab eo, qui animum ad aliorum perfectionem promovendam possidet alienum. Fons igitur bonitatis amor alterius est.

§. 420.

Voluntatis Divinæ tendentia in felicitatem hominum.

Ipsemet Deus *Ezech.* XXXIII. 11. Propheta iussit domui Israelis dicere: *ego vivo? inquit Dominus Jehova, si delector* (*amo*) *morte improbi, sed ut revertetur improbus a via*

via ſua, & vivat. Mentem horum verborum optime exprimit *Lutherus*, eadem vernacule reddens: **So wahr als ich lebe, ſpricht der HErr HErr: Ich habe keinen Gefallen am Tode des Gottloſen, ſondern daß ſich der Gottloſe bekehre von ſeinem Weſen, und lebe.** Diſertis hic Jehova per Prophetam verbis de ſemetipſo omni aſſeveratione affirmat, ſe nolle mortem impii, ſed velle, at convertatur impius, ut vivat. Quantum ſcio, nemo Interpretum S. literarum in dubium vocat, *mortem*, cui obnoxius fit homo peccando, deſignare omnem infelicitatem, in quam ſeſe præcipitem dat; ſicuti e contrario *vita* denotat felicitatem, quæ bene atque recte agentem comitatur. Quamobrem ex hoc dicto Jehovæ tanquam loco claſſico luculenter patet, **Deum diſerte declarare, quod nolit hominem eſſe infelicem, aſt quod e contra velit eum eſſe felicem.**

§. 421.

Veritas hæc ab exceptionibus vindicatur.

Ex dicto hoc claſſico, ubi Deus non ſolum ipſe per Prophetam loquitur, ſed & aſſertionem ſuam jure quaſi jurando & quidem per vitam ſuam confirmat, evidens eſt ſeriam eſſe Dei voluntatem, qua vult homines non eſſe infelices, at felices; non vero ſimulatam. Fortior enim huic, quam dedit ipſemet Deus aſſeveratio alia eſſe nequit, ipſum velle hominum felicitatem, & nolle eorundem infelicitatem, minime vero, quod tantum videri velit, quaſi illorum felicitatem deſideret, etſi eorundem infelicitatem intendat. ſi cui tamen dubium ex eo oriatur, quod Deus in aliis S. paginarum locis dicatur punire impium; Adeoque mortem in pœnam decernens, neceſſario infelicitatem hominis velle debeat, hic equidem jam nondum eſt locus objectionem re-

movendi, cum id potius, illuc sit referendum, de œconomia salutis agetur, facilis tamen ad eandem responsio. Nimirum consequentia infertur nulla: Deus punit hominem impium, & pœnam subiëns redditur is infelix. Ergo Deus vult hominem esse infelicem. Possunt enim subesse rationes aliæ, cur Deus hominem puniat, immo justissime punire debeat, etsi eum felicem esse velit; Adeoque mallet eum a pœna liberum, siquidem rationes illæ id paterentur. Obtinet sane idem in bene ordinata civitate, ubi optimus Princeps vult salutem omnium subditorum, ac ideo pœnam decernit in tranquillitatis publicæ hostem, ac legum transgressorem, pœnamque exequitur, amorem omnium, seu totius civitatis præferendo amori unius, qui sua culpa se reddit pœna obnoxium, a qua eum liberum esse mallet Princeps. Hæc probe notari velim, tum ut a pervertendo sensu verborum abstineamus, si qua extra systema non satis clare enunciata videntur; tum ut nobis caveamus, ne ad fingendas contradictiones nimis faciles simus. Unde vero infelicitas hominum oriatur, paragrapho sequente paulo penitus indicabitur.

§. 422.

Infelicitas hominum unde. Homo abusu libertatis se reddit infelicem. Aperte hoc docetur in S. literis. Ita Moses *Deuter.* XXX. 19. *testes appellat cœlum atque terram, quod Israelitis proposuerit vitam & mortem, benedictionem ac maledictionem, atque vitam eos eligere jubet.* Per modo (§. 420.) dicta constat, per *vitam* intelligi felicitatem, per *mortem* vero omnem infelicitatem. Quodsi ergo ex mente Mosis in hominis potestate positum est, ut vitam eligat; Abusu omnino libertatis infelicem sese reddit. Docet autem idem Moses *Deuter.* XI. 26. 27. 28. *Vide*, inquiens, *ego propono vobis hodie benedi-*

benedictionem aut maledictionem. Benedictionem, si auscultabitis præceptis Jehova Dei vestri, quæ ego præcipio vobis hodie. Maledictionem vero, si non auscultatis præceptis Jehova Dei vestri, sed receditis ab hac via, quam ego præcipio vobis hodie. Docemur itaque a fideli Dei servo, nos benedictionis participes fieri, si mandatis Dei obediverimus; maledictionis reos reddi, si iis non obediverimus. Quemadmodum itaque homo libertate sua abutitur, dum potius ea facit, quæ Deus prohibet, quam quæ præcepit, ac ea potius omittit, quæ præcepit, quam quæ prohibet; Ita **abusu libertatis, teste sacro codice, homo infelix evadit.**

§. 423.

Poterat propositionis præsentis veritas uberius atque clarissime ostendi ex iis, quæ de lapsu hominis, eumque secuta miseria narrat S. S., ac doceri istis locis S literarum, quibus culpa sua infelices fieri dicuntur homines. Sed hæc huius non sunt loci, cum in parte altera de œconomia salutis, seu opere redemtionis hæc ex instituto tractanda sint, & nobis hoc Mosis dogma satis clarum & evidens esse in genere videtur, ut ex eo luculenter appareat, non Deo, sed sibi tribuere debere homines, si sint infelices neque adeo ullis ambagibus opus sit. Vult enim Deus disertis verbis, ut sint felices (420.). Dum vero libertate sua abusi, actiones suas aliter quam juxta voluntatem Dei determinant, semetipsos reddunt infelices. Velim hæc probe perpendant, qui in bonitatem Dei injurii infelicitatis culpam in Deum coniiciunt. *Quæ hic notanda.*

§. 424.

Teste Petro Deus mala moralia ab æterno præscivit (§. 371.), & vi omniscientiæ suæ (§. 229.) non minus ab æterno *Præscibilitas & præscientia abusus libertatis.*

no novit (§. 169.) mala moralia abusu libertatis in hanc rerum seriem invectum iri (*Theol. natur.* §. 301.). Etenim mala moralia abusu libertatis in hanc rerum seriem irrepunt (*Theol. natur.* §. 580.); **Deus igitur juxta S. S. ab æterno præscivit hominem libertate sua abusurum.**

Enimvero quod actu præscitum post decretum, id præscibile fuit ante dectetum juxta S. quoque literas (§. 355.). Quamobrem cum abusus libertatis fuerit actu præscitus, *per modo demonstrata*, quatenus scilicet per decretum Divinum factus est futurus (§. 349.); **abusus libertatis quoque juxta S. literas ante decretum spectari utique debet tanquam præscibilis.**

Nimirum antequam concipiamus a Deo fuisse decretam existentiam huius seriei rerum, Deus prævidit hominem abusurum esse libertate sua, siquidem hanc ipsam rerum seriem ad actum perduceret. Postquam vero decrevit, hanc rerum seriem omnipotentia sua ad actum ducendam esse; actu quoque ipsi perspectum fuit, hominem libertate sua abusurum. Unde patet, in quantum præscientia abusus libertatis, seu lapsus, quem Theologi appellamus, pendeat a decreto.

§. 425.

Permissio abusus libertatis.

Si Petro fidem habes, Deus malum permittere decrevit (§. 371.). Quamobrem cum idem abusu libertatis irrepat in actiones liberas (*Theol. natur.* §. 580.); **Juxta sacrum codicem Deus utique abusum libertatis permittere decrevit.**

Verum enim vero constat Deum mali moralis permissionem sapientissime decrevisse (*Theol. natur.* §. 644.). Quoniam itaque abusum libertatis ideo permittere decrevit, quod

quod malum morale permittere voluit *per demonstrata;* **abusum quoque libertatis sapientissime permittere decrevit.**

§. 426.

An Deum deceat per miraculum abusum libertatis impedire.

Deus secundum proprium suum de mundo judicium omnium optimum seu perfectissimum elegit (§. 249.): Perfectio vero hæc in causa est, cur mundi optimi electio juxta S. literas signum naturale spiritus perfectissimi (§. 304.), atque potentissimi (§. 306.); Adeoque veri Dei sit (§. 295.), & Deus summam sui ipsius perfectionem per existentiam hujus universi patefacere intenderit (§. 379.). Verum enim vero abusus libertatis salva Dei sapientia impediri nequit (*Theol. natur.* §. 715.), immo cum is salva mundi perfectione impediri non possit; Salva Divinitate Dei impediri non potest. Quamobrem cum **Deum deceat**, cuius aliqua ratio in essentia & attributis ipsius continetur, cur id potius velle debeat, quam aliud (*Theol. natur.* §. 322.): Consequenter non deceat, cuius in iisdem aliqua continetur ratio, cur id potius nolle, quam velle debeat; luculenter patet, **Deum juxta S. paginas quoque non decere, ut per miraculum abusum libertatis impediat.**

§. 427.

Veritas hæc vindicatur.

Loquimur hic de impeditione universali abusus libertatis, non vero de particulari. Cum enim simpliciter non repugnet, ut Deus per miraculum seriem rerum immutando eandem in meliorem mutet (quod, num & quando fieri possit, ipsius omniscientiæ atque sapientiæ summæ relinquendum); Ita nec dici simpliciter potest, quod non detur in hac serie rerum casus quidam particularis, quo impeditio abusus libertatis miraculosa facit ad majorem huius universi perfe-

perfectionem, immo potius ex S. literis docemur, Deum in fidelibus fidem per miraculum operari, & ipsos impedire toties, ne libertate abutantur, de quo suo loco agendum erit. Sed quoniam nobis a priori judicare non datur, num istiusmodi casus obtingere possit; quotiescunque abusum libertatis a Deo non impediri observamus, id salva ipsius Divinitate fieri non posse, dicendum est. Absit autem, ut quis inde inferrat necessitatem mali moralis absolutam. Neque enim absolute necessarium est, ut ens ratione præditum agat, quod se deceat, sed ex ipsa libertatis notione fluit. Sane nemo nostrum actiones proprias absolute necessarias pronunciat, quod easdem malit, quam oppositas, quia illas sese decere, has vero dedecere cognoscit. Qui ad antecedentia, quæ passim ex sacro codice demonstrata sunt, & per modum principiorum proximorum ac remotorum in demonstrationem præsentem influunt, animum advertit; ei durum minime videbitur, quod Deus salva Divinitate sua abusum libertatis impedire non possit, sed quod bene notandum, universaliter, seu omni eo in casu, ubi eundem non impediri experimur. Sane Deus mundum facere decrevit, ut summam sui ipsius perfectionem patefaceret (395. *num.* II.). Hunc finem consucuturus mundum facere debebat huic fini convenientem, siquidem se sapientissimum probare vellet (*Psychol. ration.* §. 689.). In hac serie rerum collocatur homo, qui libertate sua abuti poterat, & quem libertate sua abusurum prævidebat Deus, siquidem hic mundus produceretur (§. 424.). Aut igitur a proposito suo prorsus desistere, aut abusum libertatis permittere debebat. Quamobrem cum Deum non deceat velle finem, & nolle media, ac media fini convenientissima reiicere, nec perfectionem suam patefacere tanquam summam, sine qua Divi-

nitas

nitas concipi nequit; Omnino dicendum est, abusum libertatis, videlicet universaliter, salva Divinitate, hoc est, summa Dei perfectione non potuisse impediri.

§. 428.

Iuxta S. S. ne per miraculum quidem potentia abutendi libertatem tolli potest universaliter ab homine (§. 426.). Per se patet, **Deum hominem absque potentia abutendi libertate sua, seu illabilem facere non posse.**

An Deus hominem illabilem potuerit facere.

§. 429.

Notandum probe est, nobis hic esse sermonem de homine, qui terram incolit, de eo utique affirmandum, quod Deus, quemadmodum Theologi loquimur, eum illabilem facere minime potuerit. An vero per ideas, in intellectu Divino existentes, possibile sit aliquod hominum genus, quod sit illabile, nostrum non est definire. Qui fingunt hunc ipsum hominem, qui terram inhabitat, potuisse a Deo fieri illabilem, sumunt, quod probare nesciunt, potentiam abutendi libertate sua per decretum in ideam hominis invehi, cum ex eadem exulare potuisset. Verum enim vero cum hic error ex hypothesi essentiarum arbitrariarum tanquam ex fonte suo profluat, quam in superioribus jam profligavimus, ut contra eandem disputare opus non sit: Indicandus tamen paucis est fons erroris, ut intelligatur, cur principia genuina videantur suspecta, & probentur ea, unde nascuntur difficultates in doctrina de bonitate Dei. Sane qui sumunt Deum potuisse facere hominem illabilem, feciisse tamen labilem, docere nequeunt, quomodo hoc cum bonitate Dei consistat. Non vero est, quod metuas impossibilitatem faciendi hominem absque potentia abutendi libertate arguere in Deo defectum potentiæ: metum e-

Errandi ansa detegitur, ipsequ error refellitur.

nim hunc jam excussimus (§. 383 *& passim alibi*). Homo, de quo nobis sermo est, absque potentia libertate sua abutendi, aut, si magis arridet, illabilis, est in numero entium impossibilium, aut ut cum *D. Thoma* loquamur, eorum in numero est, quæ infactibilia, & quæ adeo in se talia sunt, ut fieri non possint. Potentia vero supponit possibilia esse, quæ fieri debent (*Theol. natur.* §. 343.), ad impossibilia non extendenda (*Theol. natur.* §. 344.).

§. 430.

Num permissio abusus libertatis bonitati repugnet.

Deus juxta S. literas non potuit hominem facere absque potentia abutendi libertate sua (§. 428.). Quamobrem cum Deus cuicunque creaturæ, adeoque etiam homini tantundem conferat boni, quantum salva sapientia ipsius fieri potest (*Theol. natur.* §. 698.); sicque bonitati Divinæ non repugnet, quod non conferat perfectionem, qui in eum minime cadit (*Theol. natur.* §. 695.); bonitati eius haud quaquam repugnat, quod non fecerit hominem absque potentia abutendi libertate, sui qui libertate sua abuti minime posset; Consequenter **juxta S. paginas quoque potentia libertate abutendi, bonitati, quæ Deo summa est (§. 415), minime repugnat.**

Porro Deus abusum libertatis, quem ab æterno prævidit (§. 424.), permittere sapientissime decrevit (§. 425.), nec salva Sapientia sua impedire eundem potest, immo ut impediat ipsum non decet (§. 426.). Quoniam itaque Deus tantundem confert boni, quantum salva Sapientia ipsius fieri potest (*Theol. natur.* § 698.); bonitati, quæ ipsi summa est (§. 415.), minime repugnat, quod in promovenda perfectione hominum (*Theol. natur.* §. 695.); Consequenter in bonis in eosdem conferendis (*Theol. natur.* §. 370.), non agat, quod sapientiæ suæ contrariatur, ipsumque dedecet.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0340
DFG

decet. Non igitur, consentiente sacro codice, repugnat bonitati ipsius permissio abusus libertatis, seu quod fecerit hominem, quem libertate sua abusurum noverat.

§. 431.

Error refellitur.

Nemo bonitati hominum adversari judicat, si in gratiam alterius non facit, quod vel physice vel moraliter impossibile, etsi id ipsum alteri commodum accideret, immo maxime salutare foret. Si cum hominibus nobis est negotium, id facile admittunt omnes; sed quod quoad Deum aliter videatur, vana, quæ multorum animos tenet, persuasio in causa est, quasi quoad Deum nihil sit physice, nihil moraliter impossibile, cum possibilitatem potentia, facultatem agendi libertate unice metiantur. Unde cum potentia Dei illimitata sit, quoad ipsum nihil impossibile colligunt, & quia nullum superiorem agnoscit, qui libertatem eius restringere valeret, eum quidvis licite facere posse inferant. Atque hoc pacto nec physice, nec moraliter impossibilia dantur ex parte Dei. Verum enim vero præjudicia hæc concidunt per superiora. Etenim non ideo quid possibile, quia Deus id facere potest, sed ideo quid facere potest, quia possibile (§. 253.), cum ideo possibile sit, quod eius idea detur in intellectu Divino (§. 254.). Atque adeo dantur quoque physice, hoc est, in se spectata impossibilia, quæ Deus cognoscit (*Theol. natur.* §. 307.), sed tanquam infactibilia non sunt objectum potentiæ eius (*Theol. natur.* §. 344.), salva eius omnipotentia (§. 278. 279.). Similiter Deus non vult, nisi quæ ipsum decent (§. 272.), etsi nullum superiorem agnoscat, qui eum ad hoc potius, quam aliud volendum obligare possit. Atque adeo dantur quoque

moraliter impossibilia, quæ quidem potentiam eius non excedunt, sed quæ ideo non facit, quia non vult, salva eius libertate summa (§. 265. 259.). In priorem censum venit potentia libertate abutendi (§. 428.); In posteriorem vero abusus libertatis impeditio miraculosa (§. 426.), qua naturæ ordo turbatur (*Cosmol.* 566. 565.), & perfectio huius universi tollitur (*Theol. natur.* §. 715.).

§. 432.

Cur homo non eodem, quo Deus, modo de bonitate ipsius judicet.

Bonitas Dei juxta S. literas summa est, qua maior concipi nequit (§. 415.). Cum vero bonitas in pronitate ad promovendam alterius perfectionem consistat (*Theol. natur.* §. 695.), adeoque maior concipi nequeat, quam ubi aliotum perfectio tantundem promovetur, quantum fieri potest. Eam itaque judicaturus, inquirere debet, utrum Deus tantum enti cuique tribuat perfectionis, quantum ipsi tribui potest; Ut adeo tantundem perfectionis recipiat, quantum salva mundi perfectione, salvisque attributis Divinis recipere valet, quia alias de bonitate Dei judicari non potest (*Theol. natur.* §. 727.). Enimvero de rerum perfectione eodem, quo Deus, modo nemo hominum judicare valet (*Theol. natur.* §. 396.). Quamobrem **etiam juxta S. S. fieri nequit, ut homo de bonitate Divina eodem, quo Deus, modo judicet.**

Ex hac propositione penitus intelligitur, quam lubricum sit nostrum de bonitate Divina judicium, & quantopere nobis cavere debeamus, ne temerariis judiciis in bonitatem Divinam simus injurii. Hac cautione opus est quotiescunque bonitati Divinæ quid repugnare nobis videtur.

§. 433.

Divinæ bonitati tribuenda est directio mali ad bonum finem.

Quod directio mali ad bonum finem bonitati Divinæ tribuendum sit, ex historia Iosephi a fratribus in servitutem venditi,

vinditi, quo exemplo supra (§. 405.) directionem mali ad bonum finem illustravimus apparet. Cum enim Iosephus se agnoscendum præberet suis fratribus *Genes.* XLV. 5. *Nunc*, inquit, *ne vos dolore crucietis, neque displiceat in oculis vestris, quod vendidistis me in his regionibus pro salute enim vestra misit me Deus ante vos.* Et mox *versu 8. Nunc itaque*, addit, *nequaquam vos* (estis, qui) *misistis me huc, sed Deus ipse, qui constituit me patrem apud Pharaonem, & dominum toti familiæ eius, præfectumque in tota terra Ægypti*, nimirum ut tempore famis haberent pater ipsius cum his suis fratribus, unde viverent. Patet adeo bona, quæ ex malo consequebantur, tribui Deo autori, mala, quæ permittit, in bonum finem dirigenti. Bonorum vero collatio ad bonitatem Divinam cum referenda sit (*Theol. natur.* §. 697.); bonitati Divinæ ex mente Iosephi tribuenda est directio malorum physicorum atque moralium in bonum finem. Quamvis vero in S. paginis tantummodo recenseatur, quænam de directione malorum in bonum finem senserit Iosephus, & quemnam experientiæ domesticæ fecerit usum; cum tamen constet, *ea ad nos erudiendos literis consignata esse Rom.* XV. 4., quin, quæ sensit Iosephus, sit ipsa mens Scripturæ dubitandum non est. Recte itaque ex verbis Iosephi probatur directionem mali ad bonum finem tribuendam esse bonitati Divinæ.

§. 434.

Quodsi dicas, recenseri quoque alia aliorum dicta, quæ pro mente S. S. ideo venditari non possunt, quod in eadem narrentur, cum subinde ea a veritate aliena esse appareat: tenendum est, distinguendum esse inter ea, quæ vera sunt, & quæ falsa; quæ sunt bona, & quæ mala. Quodsi recen- *Quæ hic notanda.*

seantur, quæ veritati consentanea demonstrari possunt, quin approbentur ab autore S. S. dubitari nequit. Quodsi vero enarrentur aliorum dicta, quæ a veritate atque honestate aliena ex principiis rationis agnoscuntur, quod ab autore S. literarum improbentur, non minus extra omnem dubitationis aleam positum est. Utrumque probatur ex verbis Apostoli, ad quæ in evincenda huius propositionis veritate provocavimus. Unde patet philosophiæ usus in demonstrativa S. S. interpretatione. Si excipias, hoc pacto Sensum S. S. non penitus intelligi ab iis, qui philosophia minime imbutum habent animum; exceptio ista tam parum me movet, quam illa, quod etiam ad Sensum hunc penitus intelligendum, ne ab imperitis decipiamur interpretibus, requiratur te esse debere philologum, qui linguas authenticas intelligat. Nimirum S. S. interpretatio, præsertim quod loca difficilia, qualia ipse agnoscit Apostolus II *Petri* III. 16., non est cuiusvis. Deinde nonnullarum veritatum mixtarum evidentia adeo obvia est, ut eæ citra demonstrationem agnoscantur interno veluti quodam Sensu, ex confusis notionibus communibus enato, quibus conformes percipiuntur. Ac præterea ex ipsis narrationis circumstantiis plerumque patet; num approbandi, num improbandi animo narrentur ab autore sacro. Sane in præsenti casui secundo & tertio locus est. Etenim cum nemo non agnoscat, directionem malorum ad bonum finem Deo esse tribuendam, qui providentiæ Divinæ aliquam habet notionem, cumque eiusdem ad bonitatem Divinam relatio loquatur usum manifestum in supprimenda odii ac vindictæ cupidine, maximopere in sacro codice omnibus iniuncta *Math.* V. 44. quam sint veritati consentanea, quæ a Iosepho dicuntur, in dubium non vocabit nisi providentiæ Divinæ contemtor & vindictæ cupidinis

pidinis propugnator. Qui igitur admittit, quæ in S. literis de providentia Divina & animo a vindictæ cupidine alieno inculcantur, nec verba Ioſephi niſi vera extemplo agnoſcit. Deinde non alio fine ab autore ſacro narrantur, quæ dixit Ioſephus, quam ut exemplo Ioſephi doceamur, quomodo iniurias ab aliis nobis factas repræſentare nobis debeamus, animum a vindictæ cupidine liberaturi. Quamobrem tam ex iutentione narrantis, quam ex verbis Apoſtoli *Rom.* XV. 4. colligimus, quod cuivis ſtatim pateat, approbari ea, quæ dixit Ioſephus. Velim ad hæc interpretes S. S. animum advertant. Ceterum ſingularis omnino bonitatis Divinæ, qua in homines utitur, effectus eſt, malorum tam phyſicorum, quam moralium cum propriorum, tum alienorum ad bonum finem directio Sane Deus non evidentius bonitatem ſuam ſummam nobis patefacere poterat, quam hac ipſa malorum ad bonum finem directione, quæ eandem ſcrutantibus ſingularia prorſus ac occulta Dei beneficia offert. Exemplum Ioſephi ſuperius & iam modo allatum, dicta illuſtrat; Sed ea multo clarius confirmat propria experientia. Quamobrem ut de bonitate Divina convincamur, & eandem veluti guſtu percipiamus; in directione malorum ad bonum finem ſcrutanda, noſtram deſiderari haud quaquam pati debemus induſtriam.

§. 435.

Uſus rerum naturalium ad bonitatem Divinam referendus.

Bonitati Divinæ tribuendum eſſe, quod in hoc univerſo unum inſerviat uſibus alterius; Chriſtus hoc docet cum *Math.* V. 44. ſqq. nos ad amorem inimicorum noſtrorum adhortaturus exemplum proponit ipſius Dei, ut idem imitemur. Iubet enim nos benefacere his, qui oderunt nos & orare pro iis, qui perſequuntur & calumniantur nos. Addit vero hanc rationem, quod

quod Deus ſolem ſuum oriri faciat ſuper bonos atque malos, & pluviam demittat ſuper iuſtos & iniuſtos. Et mox præcipit, nos perfectos eſſe debere, ſicuti Deus, pater noſter cœleſtis, perfectus eſt. Uſum adeo ſolis, quem experimur in his terris, uſumque pluviæ in numerum beneficiorum refert Divinorum, Quamobrem cum beneficia, quæ Deus hominibus præſtat, a bonitate Divina proficiscantur (*Theol. natur.* §. 695.); Ideo liquet **Chriſtum bonitati Divinæ tribuere omnem rerum naturalium, quem ſibi invicem præſtant uſum.**

§. 436.

Bonitati Divinæ acceptum ferendum eſt, ſi quid boni in nos confertur ab hominibus.

Quoniam S. S. Deo autori tribuit inſtar beneficii rerum naturalium uſum, quem nobis præſtant (§. 435.); Eidem quoque accepta ferenda ſunt beneficia eius autoritate, quæ ab hominibus in nos conferuntur, Etenim non alia de cauſa uſus rerum materialium pro beneficiis a Deo præſtitis haberi poſſunt, quam quod Deus, cui ab æterno cognitum, perſpectumque fuit, quemnam uſum res naturales ſint habituræ (§. 237.), res hasce exiſtere voluit, ut eundem uſum præſtarent. Verum enim vero novit Deus non minus ab æterno, quænam beneficia homo unus in alterum ſit collaturus (§. 237.). Quamobrem non minus dicendum eſt, **bonitati Divinæ acceptum ferendum eſſe, quod homines exiſtere voluerit, ut aliis beneficia iſta exhibeant.**

Idem etiam hoc modo oſtenditur. Ioſephus tempore famis patri, fratribusque ſuis alimenta præbebat, ne fame perirent, vel ob annonæ caritatem ad incitas redigerentur. Beneficium hoc erga parentem ac fratres Deo autori acceptum fert. Etenim *Genes.* XLV. 5. *pro ſalute*, inquit, *veſtra*

ſtra miſit me Deus ante vos in has regiones. Addit *verſu* 7. *miſit itaque me Deus ante vos, ut reſervemini ſuper terram; & ut in vita conſervaret vos, liberatione mea.* Et *verſu* 8. pergit: *Nunc itaque nequaquam vos* (eſtis, qui) *miſiſtis me huc, ſed Deus ipſe* ſeu Dei voluntate huc miſſus ſum. Reddit Ioſephus ipſemet rationem, cur hoc beneficium ſit Deo autori, ſeu tanquam cauſæ primæ tribuendum, ita ut Deus cenſeri debeat illis per ipſum benefeciſſe. Ait nimirum: *Deus fecit me quaſi patrem Pharaonis, & dominum toti familiæ eius, ac præfectum in tota terra Ægypti.* His autem verbis indigitat, ſe ideo benefacere poſſe patri atque fratribus, quod Deus ſibi largitus fuerit benefaciendi occaſionem. Et ex eo, quod Deus ſibi dederit hanc facultatem, ſine qua benefacere non poterat, infert, **Deum ipſis per ſe benefecere, propterea quod Deus nemini dat facultatem benefaciendi, niſi eo fine, ut aliis benefaciat, quibus hoc modo proſpici vult.**

§. 437.

Probatio poſterior recedit in priorem, quemadmodum perſpicaciores facile vident. Veritas hæc & rationis & ſcripturæ autoritate nixa ampliſſimi eſt uſus in Theologia morali, ubi doceri debet, quomodo & benefactores benefaciendo, & beneficiarii gratiam illis pro beneficiis acceptis rependendo gloriam Divinam illuſtrare debeant. In genere quidem hactenus agnitum eſt, hominem in omnibus ſuis actionibus gloriam Dei illuſtrare debere; Aſt quomodo idem fieri debeat in quovis actionum genere, hactenus nedum a philoſophiæ morali autoribus clare & diſtincte expoſitum fuit, niſi quod *Cl. Wolfius* tale, pro eo, quo gaudet, ſingulari acumine dedit compendium, cuius plenius

Uſus huius propoſitionis.

ſyſtema maximo cum deſiderio exſpectat, & exoptat totus, veritatem agnoscendi cupidus, orbis; neque hactenus a Theologiæ moralis conditoribus eodem modo explicatum fuit. Ampliſſimum adeo docendi campum in Theologia morali ingrediuntur, qui officia hominis erga Deum ex inſtituto explicaturi erunt. Ibidem illis uſui ſingulari erunt ſingula, quæ in hac parte Theologiæ dogmaticæ, ubi de Deo agimus, demonſtrantur; ob ampliſſimum iſtum, prorſusque eximium uſum probe perpendenda & animo infigenda.

§. 438.

Bonitati Divinæ acceptum ferendum eſt, ſi homo in iis ponitur circumſtantiis, ſub quibus bonorum tam phyſicorum, quam moralium ſit compos.

Exemplo Ioſephi docemur; bonitati Divinæ acceptum ferendum eſſe, ſi homo in iis ponitur circumſtantiis, ſub quibus bonorum tam phyſicorum, quam moralium ſit compos, quod legitur *Genes.* XLV, 5. ſqq:. Etenim is in Ægypto ad maximam dignitatem & poteſtatem evectus erat, & non modo grato in parentem, qui ipſum præ ceteris omnibus fratribus ſuis impenſe conſtanter amaverat, animo, verum etiam amore in fratres, qui ipſum ſumma injuria affecerant, ſingulari ferebatur, & patrem, & fratres beneficiis cunctis mactabat, quæ in poteſtate ipſius poſita erant. Dignitas atque poteſtas, qua fruebatur, erant bona phyſica, quod ex definitione boni phyſici luculenter patet (*Theol. natur.* §. 370. 373.). Gratus in parentem animus, amor fratrum, animus ab omni vindictæ cupidine alienus, ſtudium benefaciendi non minus inimicis, quam amicis bona erant moralia, uti ſatis evidenter ex definitione boni moralis conſtat (*Theol. natur.* §. 370. 374.). In iis adeo circumſtantiis poſitus erat, quibus & bonorum phyſicorum, & moralium compos reddebatur. Id vero ipſe ſoli Deo acceptum ferebat. Aſſeverabat enim, ſe non fratrum ſuorum conſilio, qui ipſum mercatoribus in Ægyptum abeuntibus vendi-

vendiderant, sed Dei voluntate missum in Ægyptum, & Deum ipsum fecisse quasi patrem Pharaonis, & dominum totius familiæ eius, atque principem in tota hac terra. Similiter affirmabat, pro salute patris & fratrum suorum se missum esse in Ægyptum, & ad tantam dignitatem potestatemque evectum, ut & gratum in parentem, & beneficum erga suos fratres sese præbere, atque bonum pro malo ipsis rependere posset.

Quod exemplo suo docet Iosephus, id idem verbis inculcat disertis Paulus I *Corinth.* IV, 7. *Quid habes*, inquiens, *quod non acceperis? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Propositum enim est Apostolo convincere Corintheos, quod omne bonum, quo fruebantur, Deo autori acceptum referre debeant, qualecunque demum illud fuerit. Non acquiescendum igitur in causis secundis, sed exemplo Iosephi progrediendum est ad causam primam, nimirum Deum, quippe cuius Sapientia (*Theol. natur.* §. 666.) & bonitate nexus rerum constitutus est (*Theol. natur.* §. 740.). Quodsi igitur cuncta bona; qualiacunque fuerint, sive animi, sive corporis, sive fortunæ, ad Deum autorem referre debemus nihil autem nostræ industriæ vel aliorum favori tribuere tenemur; Sequitur omnino, **Dei bonitati attribuendum esse, quod in iis circumstantiis simus collocati, sub quibus bonorum physicorum & moralium compotes evasimus.**

Ex alio quodam scripturæ dicto iterum tanquam loco classico idem probari poterat. Iacobus *Epistola sua cap.* I. 17. *Omne donum bonum*, inquit, *& omne integrum donum (munus perfectum) est superne, descendens a patre luminum, apud quem non inest transmutatio, aut mutationis obumbratio. Per patrem luminum* indigitari Deum,

per ipsam descriptionem eius, extra dubium locatum est. Apostolus itaque asseverat omne donum bonum, & omne perfectum munus a Deo descendere: Quicquid boni homini obtingit, in eo dependet a causis secundis, in quarum numero ipse quoque est, quatenus operam ac industriam suam in iis acquirendis collocat. Hæc adeo manifesta sunt, ut nemini ignota esse possint, nisi qui animum ad ea advertere recusat, quæ quotidie contingunt, etsi nec difficile foret idem a priori demonstrare. Quodsi ergo insuper habitis causis secundis ad Deum tanquam datorem omnis boni recurrere debemus, alio sane pacto is dator boni agnosci nequit, quam quatenus vi Sapientiæ ac bonitatis suæ hunc rerum nexum constituit, ac nos in præsente rerum serie in iis circumstantiis posuit, sub quibus bona physica atque moralia nobis contingunt. **Iuxta Iacobum igitur Dei bonitati tribuendum, quod in iis collocemur circumstantiis, sub quibus bonorum participes reddimur.**

§. 439.

Quæ hic notanda.

Quæ (§. 437.) de usu veritatis (§. 436.) demonstratæ in praxi morali & theoria officiorum erga Deum dicta sunt, ad præsentem non minus applicanda veniunt. Ceterum propositio jam modo (§. 438.) demonstrata principium adeo fœcundum est in diiudicandis iis, quæ ad bonitatem Divinam referenda sunt, ut non occurrat quicquam eidem tribuendum, quod per ipsum non cognoscatur. Quamobrem non laboramus amplius de evincendo censensu revelationis cum ratione quoad cetera bonitatis Divinæ diiudicandi principia, quia ubivis locorum concinnitatem amamus, ubi obscuri nihil remanet: cumprimis cum in Theologia morali ex instituto indigitandum erit, quomodo in singulis beneficiis

ficiis particularibus bonitas Dei manifeſtetur. Obiter vero obſervamus, non niſi per nexum rerum in hoc univerſo, quatenus eum tanquam a Deo dependentem agnoſcimus, intelligi poſſe, quomodo Deo tribuenda ſint omnia corporis, animi atque fortunæ bona, nihil vero nobis, nihil hominibus aliis, nihil caſui. Quibus adeo rerum nexus ſudes in oculo eſt, illi ſatis ſuperque & mentis ſuæ hebetudinem, & ſuperficiariam, veritatum in ſacro codice contentarum, intelligentiam produnt.

§. 440.

Bonitatis Divinæ diffuſio.

Pſalm. CXIX. 64. Ex verſione *vulgati interpretis* dicitur *terra plena miſericordia Domini*, aut ex ea *Caſtalionis: benignitate Dei plenus eſt orbis terrarum*, cui conveniunt *Junius & Tremellius*. *Lutherus* verba textus originalis חסדך יהוה מלאה הארץ bene reddit. **HErr, die Erde iſt voll deiner Güte.** In textu Hebreo occurrit vocabulum חסד, quod **bonitatem** denotare, qua intelligitur, pronitas ad aliorum perfectionem promovendam, aut ſi mavis, promptitudinem promovendi perfectionem alterius, *ex Genes.* XXIV. 12.14.49. abunde patet. Cum enim ibidem narretur, quomodo ſervus Abrahami juſſu eius Iſaaco filio in uxorem duxerit Rebeccam; hinc tum directionem Divinam huius negotii, tum conſenſum agnatorum Rebeccæ refert ad id, quod חסד appellatur Hebræis. Quoniam ſervus ſibi firmiter perſuadebat, ducta Rebecca ab Iſaaco in uxorem, eundem fore felicem; tam directionem negotii Divinam, quam conſenſum agnatorum Rebeccæ in numerum bonorum referebat, quæ in hærum ſuum conferri poterant. Unde cum pronitas aliis bona conferendi, ſeu perfectionem alterius promovendi, quod bonitatis nomine compellatur a *Cl. Wolfio* (*Theol. natur.* §. 695. 370.); Evidens eſt, vocabulum

bulum חסד ab Hebræis usurpari ad denotandam bonitatem eo Sensu acceptam, quo nos modo cum hocce summo Philosopho sumsimus. Quamobrem **in sacris terra dicitur plena bonitate Dei, quatenus quocunque te vertas in hoc universo, ubivis videre liceat, quod Deus enti cuicunque tantundem conferat boni, quantum salva sapientia ipsius fieri potest,** aut, si magis arridet, **quocunque te in toto hoc mundo vertas, bonitatis Divinæ thesauros deprehendis.** Equidem in textu Hebræo ה demonstrativum digitum quasi intendit in tellurem, ut de ea sola intelligendum videatur ex mente Psalmistæ, quod plena sit bonitate Divina. Verum enim vero cum terra ex mente S. S. non possit dici plena bonitate Divina, nisi quatenus in numerum benficiorum Divinorum referuntur usus rerum naturalium (§. 435.), beneficia ab hominibus nobis præstita (§. 436.) & omnes circumstantiæ, a quibus bona omnino corporis atque fortunæ pendent (§. 438.); Quin bonitas Dei, consentiente scriptura, diffundatur quoque eodem modo per ceteros mundi globos; Consequenter per totum universum, minime dubitabit, qui ex Astronomia didicit, quænam inter corpora mundi totalia similitudo intercedat.

Scriptura sacra non excitat nisi attentionem ad ea, quæ a nobis observari possunt. Quamobrem cum observationes communes ultra superficiem Telluris sese non extendant, si corpora partialia spectes; de diffusione bonitatis Divinæ verba faciens, non nisi Telluris mentionem injicit. Quod vero, quæ de Tellure dicuntur, in sacro codice ad corpora quoque mundi totalia cetera applicentur, patet ex *Psalm.* LVII, 11. ubi legitur ex versione *Junii & Tremellii*: *Magnam*

gnam (esse) *usque ad cœlos benignitatem tuam* (Dei); seu ut *vulgatus* verba reddit, misericordiam Dei magnificatam esse usque ad cœlos: vel quemadmodum *Castalio* vertit, clementiam Dei usque ad cœlos porrigi. Quod *Lutherus* in vernacula bene tradit: **HErr, deine Güte ist so weit der Himmel ist.** Legitur in textu originali idem vocabulum חסד, quod reperitur in loco antea citato, quo terra dicitur plena bonitate Divina. Et de hac dicitur, quod magna facta sit usque ad cœlos. Unde patet bonitatem Dei; qua plena est terra, magnam quoque esse in ipsis cœlis. Ostendimus supra (§. 6.), cœlum atque terram phrasi Hebræorum denotare totum hoc universum, aut, si mavis, mundum integrum. Quamobrem cum bonitas Divina, qua plena est terra, ita ut, quocunque te vertas, bonitatis Divinæ vestigia deprehendas, non minus magna sit in cœlis, quam in Tellure; Autoritate sacri codicis dicendum omnino est, cœlos tam plenos esse bonitate Divina, qua plena eadem est terra; Consequenter **totum universum esse plenum bonitate Divina, ita ut, si ad quæcunque universi spatia accedere posses, ibidem perinde ac in Tellure ubivis bonitatis Divinæ vestigia sis deprehensurus.**

§. 441.

Quomodo magnitudo bonitatis Divinæ cognoscatur.

Quodsi quis vastum mundi spatium cogitet, & in animum revocet multitudinem entium, quibus id repletur; is bonitatis Divinæ magnitudinem aliquo modo percipiet, cuius alias nullam prorsus habet ideam. Etenim nemo est, qui nesciat, bonitatis magnitudinem æstimari non modo ex magnitudine atque multitudine bonorum in alios collatorum; verum etiam ex multitudine subiectorum, in qua illa bona confe-

conferuntur. Qui demonſtrationem paragraphi præcedentis intuetur, reperiet, quod bonitatis Divinæ magnitudinem ac diffuſionem juxta ſacrum codicem cogniturus, inquirere debeat, qualis ea deprehendatur in his terris, ac deinde concludere teneatur, ſi inaceſſa mundi corpora totalia accedere, & univerſum mundi ſpatium obtutu ſuo comprehendere valeret, ſe quoad bonitatem Divinam interTellerem ac cetera mundi corpora totalia nihil prorſus diſcrimis reperturum. Multa in Pſalmis, alibique continentur, quibus doctrina de bonitate Divina illuſtrior effici poterat, ſed theorematibus iſtis extrahendis hic loci ſuperſedemus, cum ea convenientius paſſim in altera Theoldgiæ revelatæ parte, qua de œconomia ſalutis agetur, & adeo bonitatis Divinæ incomprehenſibilis magnitudo ex ipſo redemtionis opere, & Theologia morali, quemadmodum ſupra iam monuimus (§. 436. 439.), ſalva bona tradi poſſint methodo.

§. 442.

Bonitatis Divinæ magnitudo incomprehenſibilis eſt.

Colophonis loco evincimus, neminem hominum Divinæ bonitatis magnitudinem comprehendere poſſe. Etenim bonitatis Divinæ magnitudinem nemo animo concipere valet, niſi qui totum univerſum penitus cognoſcit, ut entia ſingula, quæ per omne tempus in eodem exiſtunt, diſtincta notione ſibi repræſentare queat, & quidnam in ſingula boni Deus conferat, perſpiciat (§. 441. 440.). Patet autem per ſe, quam ſit exigua pars eorum, quæ in hac ſerie rerum contenta noſtram cognitionem ſubeunt, nec non quantum confuſionis inſit ideis illarum rerum, quas cognoſcimus. Quare manifeſtum eſt, neminem mortalium magnitudinem bonitatis Divinæ ſibi diſtinſte repræſentare poſſe. Quoniam itaque id homini incomprehenſibile, quod quomodo ſit, vel eſſe poſſit, ſibi minime repræſentare valet

(*Theol.*

(*Theol. natur.* §. 170.); Magnitudinem bonitatis Divinæ mortalibus incomprehensibilis est, seu, quod perinde est, Nemo hominum magnitudinem bonitatis Divinæ comprehendere potest.

CAPVT V.

DE CREATIONE ET PROVIDENTIA DIVINA.

§. 443.

PRima totius Scripturæ sacræ verba hæc sunt *Genes.* I. 1. *In principio Deus creavit cœlum & terram.* Ostendimus iam (§. 6.) cœlum & terram stylo Hebræorum significare mundum, & ideo verba initialia sacri codicis verti posse, in principio creavit Deus mundum (§. 7.). Quod vero dicitur, quod Deus mundum creaverit in principio, id ita intelligendum esse iam supra (§. 12.) monuimus, quod mundum creaverit, quando nondum erat ens ab alio, adeoque nihil extra Deum ac præter eundem existeret. Antequam igitur mundus crearetur, nihil extitit præter Deum; Consequenter mundus non est factus ex aliquo præexistente, quod quomodocunque in actualitatem ipsius influere poterat. Atque ideo juxta S. literas Deus fecit mundum, cum nihil eius antea actu esset. Iam vero ex nihilo oriri dicitur, quod existere incipit, cum antea eius nihil actu existeret (*Ontol.* §. 540.), & ex nihilo produci, si ad actum perducitur, quod ex nihilo oriri debebat (*Ontol.* §. 690.). Patet ergo ex sacris paginis Deum mundum feciſſe ex nihilo. Quamobrem cum productio ex nihilo dicatur creatio (*Psychol. ration.* §. 697.); Deus hunc mundum

Deus mundum creavit ex nihilo.

adſpectabilem creavit, ſeu, quod perinde eſt, produxit ex nihilo.

Porro *Hebr.* XI, 3. Ex verſione *Bezæ* hæc verba leguntur: *Per fidem intelligimus conpactum fuiſſe mundum verbo Dei, ut quæ cernimus, non ſint ex apparentibus facta.* In textu originali hæc extant verba: Πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. *Fide intelligimus coagmentata eſſe ſecula (conſtructum fuiſſe mundum) verbo Dei: ex non apparentibus (viſibilibus) facta ſunt viſibilia.* Quæ *Lutherus* veritati convenienter vernacule reddidit. **Durch den Glauben mercken wir, daß die Welt durch GOttes Wort fertig iſt, daß alles, was man ſiehet, aus nichts worden iſt.** Hocce dictum vulgo adducitur, ubi probandum autoritate ſacri codicis mundum ex nihilo factum eſſe. In textu authentico τὰ βλεπόμενα vocantur, quæ *viſibilia* innuunt; Ut adeo ſermo ſit Apoſtolo de iis, quæ in ſenſum incurrunt; Conſequenter de mundo hoc adſpectabili: Loquitur enim de viſibilibus, quatenus in ſe ſpectata talia ſunt, non quatenus a nobis actu videntur, ut adeo *Caſtalio* ſenſum verborum Apoſtoli præter neceſſitatem coarctet, dum τὰ βλεπόμενα vertit per ea, quæ cernuntur, cum potius vertere deberet, quæ cerni poſſunt. De his igitur, quæ viſibilia ſunt, affirmat Apoſtolus, quod facta ſint ex inviſibilibus. In textu Græco facta leguntur μὴ ἐκ φαινόνενων, non ex apparentibus, aut, ex non apparentibus. Quæritur itaque; quænam ſint ea, quæ non apparebant? Negat Apoſtolus, ea, quæ in ſenſus incurrunt, facta eſſe ex apparentibus; Conſequenter negat, cum mundus fieret, aliquid extitiſſe, quod in Senſus incurrere poterat. Negat ergo præ-

extitiſſe

extitisse materiam quandam, ex qua mundus seu corpora fieri poterant. Opponit nimirum creationem productionibus naturæ & artis, quibus visibile aliquod fit ex eo, quod apparet, hoc est, opus aliquod producitur ex materia aliqua præexistente, ut notionem illarum removeat a creatione, ne male eam concipiamus. Quamobrem alia Apostolo mens esse nequit, quam quod mundus factus sit, re nulla præter Deum adhuc existente. Unde porro eodem, quo ante, modo evidens est, mundum a Deo factum esse ex nihilo, eo sensu, quo nos iam modo eius ex nihilo productionem evicimus.

Deus consimiliter in S. S. dicitur *creasse hominem Genes.* I. 27. Ubi in textu Hebræo eadem vox ברא occurrit, quæ legitur *versu* 1. Hoc tamen non obstante cap. II. 7. *ipsum formasse* fertur *de pulvere terræ;* Atque adeo ex materia quidem inhabili, non tamen ex nihilo, seu non præexistente, aut ut Apostolus loquitur, non ex apparente, seu non ex eo, quod in visum incurrit. Etenim pulvis terræ in visum utique incurrit, atque adeo in numero apparentium est. Verum enim vero cum Deus, quemadmodum satis abunde modo evicimus, cœlum atque terram ex nihilo, seu nullo alio præexistente, aut, ut cum Apostolo loquamur; non ex eo, quod apparet, seu cernitur, produxerit; glebam quoque terræ, ex qua formavit hominem, ex nihilo ante fecerat, quam ex ea formaret hominem; Consequenter & hominem ipsum tandem ex nihilo fecit. Sane si quis artifex posset creare materiam, unde faceret horologium, vel aliud quoddam opus; Nemo non affirmaret, ipsum horologium, aut opus ex nihilo feciisse. Quamobrem Deus quoque hominem ex nihilo produxisse dicendus est, quem formavit ex pulvere terræ a se ante ex nihilo produ-

ćto. Quod Deus hominem vero creationis actu, quem eidem ob contingentiam mundi huius adſpectabilis tribuimus, ad actum perduxerit, cum antea non eſſet niſi poſſibilis, quatenus eius idea in intellectu Divino continebatur, per quam omnia poſſibilia ſunt (*Theol. natur.* §. 192.), rationis lumine innoteſcit, quemadmodum luculenter probavit *Cl. Wolfius* (*Theol. natur.* §. 764.). Utrum vero ſicuti integer mundus adſpectabilis, quatenus ex corporibus mundi totalibus in ordinem digeſtis conſtat, immediate ex nihilo productus, hoc eſt, ex ſtatu puræ poſſibilitatis ad actualitatis ſtatum traductus, an vero ex aliquo demum præexiſtente formatus fuerit, quod ex nihilo produxit eo fine, ut inde formaret illa, cum ſit res facti, ex principiis rationis demonſtrari nequit, quemadmodum nec ex iisdem demonſtrare valemus, quæ hominibus olim facere viſum fuit. Nullus adeo revelationis & rationis eſt diſſenſus, ſed conſenſus tantus; quantus per rerum naturam dari poteſt.

Quæ circa verba Apoſtoli Hebr. XI. 3. monenda.

§. 444.

Verba Apoſtoli *Hebr.* XI. 3. duplici modo explicare poſſemus. Etenim primo conſtat, ab æterno ea, quæ in creatione a Deo ad actum perducta ſunt, per ideas in intellectu Divino exiſtentes fuiſſe poſſibilia (*Theol. natur.* §. 192.); Adeoque idealiter extitiſſe in intellectu Divino; Conſequenter quatenus idealem tantummodo habuere exiſtentiam, in numero eorum fuiſſe, quæ non apparebant, ſeu in Senſum incurrere non poterant. Enimvero Deus eadem in creatione ad actum perduxit, atque hoc modo, quæ antea non apparebant, iam viſibilia effecta fuere. Quamobrem Deus viſibilia fecit ex non apparentibus, aut ſi mavis, fecit non ex apparentibus. Conſimiliter novimus corpora eſſe agregata elementorum (*Coſmol.* §. 176.); Adeoque

que facta sunt eorundem agregatione. Enimvero elementa rerum materialium ne oculo quidem armato apparere possunt (*Psychol. ration.* §. 101.); Consequenter non apparentia sunt. Quamobrem Deus ea, quæ in Sensum incurrunt, non fecit ex apparentibus; Adeoque ex non apparentibus. Utraque explicatio nihil habet, quod sit a veritate alienum: Ast ipsa tamen ideo dici nequit vera, aberrat enim alterutra a mente Apostoli. Huius nimirum temporibus materia illa rudis & indigesta, quæ chaos dicebatur, statuebatur æterna, nec qui creationem admittebant, mundum ex nihilo factum largiebatur, sed ex rudi illa atque indigesta materia productam affirmabant. Negabat igitur Apostolus, quod vulgo tunc temporis opinabantur, creationis mundi ex nihilo persuasus. Unde non aliter interpretari convenit eius verba, quam quomodo nos ea paragrapho præcedenti interpretati sumus, nisi iisdem Sensum a mente loquentis alienum affingere velimus. Cum sæpissime ab interpretibus hac in re peccetur, non inconsultum duximus ea hic moneri.

§. 445.

Deus est creator, & potentia creatrix ei soli propria.

Numerus I. Ad *Rom.* I. 25. hæc inveniuntur verba: *qui transmutarunt veritatem Dei in falsitatem, & coluerunt atque servierunt creaturas* παρὰ τὸν κτίσαντα *præter creatorem.* Deus hic simpliciter dicitur creator, quo Apostolus reprehendit Gentiles, quod creaturæ potius servierint, quam creatori, ita ut creator & Deus verus ipsi sint synonyma, Similiter I *Petri* IV. 19. Apostolus ait: *Itaque qui patiuntur secundum voluntatem* τῦ Θεῦ, ὡς πιστῷ κτιστῇ *Dei, tanquam fideli creatori, commendant animas suas bene agendo:* Ubi denuo manifestum est, per creatorem intelligi Deum, Nemo non largitur, Deum vocari creatorem ab

actu creationis, quo videlicet creavit mundum & omnia, quæ in eo sunt. Creavit autem, docente S. S., mundum ex nihilo (§. 443.). **Dicitur itaque Deus creator, quia hunc mundum adspectabilem creavit, seu ex nihilo, aut non præexistente produxit.**

Numerus II. Verum enim vero tam Paulus, quam Petrus Deum vocant creatorem simpliciter, ita ut ipsis unum idemque sit appellare Deum & appellare creatorem. Quoniam hæc vocabula pro synonymis haberi minime possent, nisi solus Deus esset creator (*Logic.* §. 330.); **Potentia utique creatrix soli Deo propria esse debet.**

§. 446.

Error eorum, qui mundum necessarium esse sibi imaginantur, refellitur.

Potentiam creatricem soli Deo propriam esse ex mente Pauli & Petri inde intulimus, quoniam vocabula Deus atque creator illis synonyma sunt. Deum verum ab omnibus entibus aliis distinguimus eo, quod sit ens a se, a quo mundi existentia, seu quod perinde est, eius creatio dependet. Uti ex ipsa Dei definitione luculenter patet (§. 21.). Unde in propatulo est, Apostolos Deo potentiam creatricem non tribuere propter eius simplicitatem, sed potius propter aseitatem. Hoc vero ideo probe notandum est, ne hæreamus, ubi ab entibus simplicibus, quæ sunt animæ nostræ, angelorum atque rerum materialium elementa, potentia creatrix removetur, & Deo tamen enti simplici tribuitur. Neque enim ens simplex necessarium & ens simplex contingens, seu quod æquipollet, ens simplex a se, quod propria vi existit, & ens simplex ab alio, quod vi aliena indiget ad existendum, unum idemque sunt; Adeo non mirum, si simplici necessario, quod a se est, conveniat potentia, quæ simplici contingenti, quod ab alio dependet,

pandet, convenire nequit. Hæc non perpenderunt, qui cum adverterent, potentiam creatricem nec enti compoſito, quale eſt corpus, nec enti ſimplici, quale eſt anima noſtra, aut ſpiritus angelicus, aut elementum rei materialis, convenire, ac præter compoſitum atque ſimplex ens aliud dari non poſſe intelligerent; potentiam creatricem in numerum impoſſibilium retulere; ac ideo mundum pro ente neceſſario habuere, Qui ex his erroris ſui redarguuntur.

§. 447.

Incommunicabilitas potentiæ creatricis.

Ex mente Apoſtolorum potentia creatrix ſoli Deo propria eſt (§. 445. *num.* II.). Eaque eſt potentia miracula patrandi (*Theol. natur.* §. 768.). Quamobrem cum potentia patrandi miracula nulli enti a Deo communicari poſſit (§. 314.); nec potentia creatrix a Deo ulli enti cummunicari poteſt. Sequitur etiam ex eo, quod potentia creatrix ſit attributum Solius Dei (§. 445.) adeoque omni enti alii incommunicabilis eſſe debet.

§. 448.

Ab exceptionibus liberatur.

Quodſi excipias: potentiam patrandi miracula communicari poſſe hominibus, immo nos id ex ſacro codice doceri, quæ miracula ab iis patrata refert; Conſequenter nullam videri rationem, cur potentia creatrix iisdem, vel enti cuidam alteri communicari non æque poſſit: Facilis eſt reſponſio ex ſuperioribus. Deus nimirum potentiam patrandi

trandi miracula enti finito confert, quatenus ad eius nutum miracula patrare decernit, ſuntque ſolummodo perſonæ, ad quarum nutum Deus miracula patrat, cauſæ occaſionales (§. 314.). Quamobrem ſi ad nutum entis cuiusdam finiti, veluti ad nutum hominis quidpiam creare vel annihilare decernit; quin hoc pacto, ſi fieri intelligatur communicatio, ea ſubſiſtere queat, ecquis dubitet? Sed de hac communicatione, quæ apparens eſt, non vera, propoſitio hæc minime loquitur. Negatur enim, potentiam creatricem homini, vel enti cuidam finito alteri ita communicari poſſe, ut eidem inſit tanquam ſubiecto, quemadmodum vis activa ineſt elementis rerum materialium & animabus noſtris: non vero de cauſis occaſionalibus disceptatur. Unde potentiæ Divinæ differentia, ab ea, quæ in creaturis, ſeu rebus omnibus extra Deum exiſtentibus reperitur per ſe evidens eſt.

§. 449.

Creaturæ quæ dicantur.

Paulus ad *Rom.* I. 25. *Qui transmutarunt*, inquit, *veritatem Dei in falſitatem, & coluerunt & ſervierunt* τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα *creaturas præter creatorem.* Creator itaque & creatura ſibi invicem opponuntur, & creatoris nomine verus Deus, & qui ibidem ſolus Deus eſſe perhibetur, indigitatur. Unde apparet, creaturæ nomine deſignari, quicquid præter Deum exiſtit. Equidem Apoſtolus refert Gentiles mutaviſſe gloriam Dei incorruptibilis in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium ſeu reptilium, & hinc exprobrat iisdem, quod ſervierint creaturæ potius, quam creatori. Quemadmodum itaque nomine creatoris Deum incorruptibilem indigitat; ita nomine creaturæ appellat viventia in tellure, quæ tanquam Deos coluere Gentiles; Conſequenter vocabulum creaturæ, quod denotet omnia, quæ

quæ præter Deum existunt, ex præsente loco probari posse, non videtur. Verum enim vero cum ex iis, quæ modo dicta sunt, intelligatur, creaturæ vocabulum non posse non generaliter accipi pro omni, quod præter Deum existit; siquidem creator significare debet solum Deum verum; ex eo, quod nomen generis tribuatur speciebus quibusdam, ne prolixa earundem enarratione repetita opus sit, adversus significatum nihil concludi potest. Firmum itaque manet **in sacro codice creaturam appellari, quicquid præter Deum existit.**

Quemadmodum Deus dicitur creator, quoniam hunc mundum adspectabilem creavit, seu omnia, quæ præter eum existunt, ex nihilo, aut non præexistente materia produxit (445.): ita eædem res omnes in oppositione ad creatorem non possunt dici creaturæ, nisi quatenus ab ipso creatæ sunt. Atque adeo liquet, **quicquid præter Deum existit, in S. S. appellari creaturas, hoc est, entia a Deo creata,** seu, quodperinde est, **ex nihilo producta.**

§. 450.

Equidem vocabulum videtur sumi in sensu strictiori, *Exceptioni occurritur.* cum creaturæ etiam appellantur, quæ hodienum in mundo generantur, & referente S. S. ex materia quadam inhabili fuere producta, veluti homo ex gleba terræ, Enim vero constat omnia, quæ in mundo existunt, quoad actualitatem suam dependere a creatione; Adeoque vi eiusdem actum consequi; Consequenter omnia in mundo a Deo creata sunt, quatenus id quod substantiale est, a Deo creatum, seu ex nihilo productum. Sane nisi Deus elementa rerum materialium ex nihilo produxisset, nec natura rerum existeret, cuius vi fierent generationes ac corruptiones; Con-

sequenter nec ullum ad actum perveniret ens compositum, quod hodie demum in rerum natura oritur. Multa quidem occurrunt S. S. loca, in quibus creaturarum mentio iniicitur, & ex quibus probari poterat, creaturarum nomine indigitari, quicquid præter Deum existit, quia omnia, quæ præter Deum existunt, vi creationis actum consequentur. Verum enim vero in re vel per se satis manifesta ambagibus non opus est. Neque tamen reprehendi potest, quod ubi evidentiam sectamur (§. 1.), quæ a notionum evolutione tota pendet, etiam in rebus, quæ per se manifestæ videntur, notionibus distinctis ad evidentiam contendamus. Quantum hoc ipsum usui sit ad præcavendam præcipitantiam in rebus arduis & ad augendum acumen, quo extra Matheſin opus est, ubi imaginibus non juvamur; Abunde experiuntur, qui ad res obvias explicandas eandem diligentiam atque assiduitatem afferunt, qua in intricatis ac ardius utuntur Mathematici. Cum non pompæ sarviamus, sed utilitati generis humani, metu judiciorum temerariorum nos minime absterrere patiemur ab iis, quæ maximi esse usus ipsimet iam actu experimur.

§. 451.

Quam late sumatur vocabulum creaturæ.

Ab Apostolo I *Timoth.* IV. 4. Πᾶν κτίσμα Θεοῦ καλὸν *Omnis creatura Dei bona* dicitur, ubi Apostolus refutat errorem illorum, qui prohibent abstinere a cibis, quos creavit Deus ad comedendum. Patet itaque cibos, quibus nunc utimur, dici creaturas, & Deum dici eos creasse, ut adeo appareat, eos ab actu creationis creaturas appellari. Vescimur iis, quæ hodie vi naturæ in regno vegetabili & animali producuntur. Quamobrem liquet, in S. paginis creaturas appellari, & a Deo creata dici, quæ

vi

vi naturæ ad actum perducuntur, non tantummodo, quæ in primæva creatione a Deo producta sunt, *Genes.* I.

Idem etiam ostendi poterat ex *Ecclesiast.* XII. 3. (1.), ubi Rex sapientissimus homines in universum hortatur, *ut meminerint creatoris sui in diebus juventutis suæ.* Appellatur adeo hic Deus creator hominum, qui juxta naturæ ordinem per generationem descendunt. In textu originali hæc inveniuntur verba. וזכר את־בוראיך בימי בחרותיך: occurrit itaque hic vocabulum, seu participium בורא, quod descendit a radice ברא, qua utitur Historicus sacer cœlum atque terram a Deo esse creata narrans *Genes.* I. 1. Unde patet ab actu creationis, quo Deus hunc mundum adspectabilem ad actum perduxit, eundem quoque dici hominum creatorem. Quæcunque demum ratio sit, cur Deus creare dicatur hominem, qui vi naturæ ad actum perducitur; eandem quoque locum habere debere in aliis quibuscunque corporibus naturæ vi productis, vel ex eo colligitur, quod per modo demonstrata Deus non minus dicatur ciborum, quibus vescuntur homines; Adeoque eorum, quæ in regno vegetabili atque animali juxta naturæ ordinem generantur, creator, quam hominum. Quoniam itaque in oppositione ad creatorem, creatura dicitur, quod creatum est, quod ex loco *Rom.* I. 25. evicimus (§. 449.); Ideo extra omne dubium est ex mente Salamonis creaturarum nomine compellanda esse omnia, quæcunque vi naturæ ad actum perducuntur, etsi in primæva rerum creatione actum nondum fuerint consecuta.

§. 452.

Definitio nostra creaturæ ab exceptionibus liberatur.

Quoniam corpora non sunt nisi elementorum agregata (*Cosmol.* §. 176,); Corpora non modo in prima origine rerum producta; verum etiam hodienum genita, quatenus non sunt nisi aggregata elementorum, creaturæ Dei sunt. Unde non necesse est, ut significatum laxiorem vocabuli creaturæ admittamus; Sed sufficit, corpus nullum dici creaturam, nisi quatenus ex elementis aggregatur, quæ ex nihilo a Deo producta sunt, nec per naturam suam aliter aggregari possunt, quam aggregantur sive a primo rerum statu, sive hodienum per generationem. Ut adeo in propatulo sit, quod corpora in universum omnia, etiam in singulari spectata, propriissime creaturæ dicantur, præsertim ubi elementorum theoriam tibi familiarem cognitam reddideris, vi cuius per intrinsecas determinationes substantiarum simpliciuṁ non modo mechanismus omnis, verum etiam corpora omnia in individuo determinantur. Cum iam ratio, cur Deo tribuenda sit creatio eorum, quæ vi naturæ hodienum producuntur a priori non minus, quam ex ipso sacro codice manifesta sit, dubitari nequit, quin definitio nostra, quam de creatura (449.) dedimus, & rationi & revelationi ad amussim respondeat; Adeoque vera, certa & immota sit.

§. 453.

Creatio animarum.

Moses desertis asseverat verbis hominem primum a Deo esse creatum *Grnes.* I. 27, Homo vero constat ex amina atque corpore. Primi igitur hominis non modo corpus, verum etiam animam creavit Deus. Quomodo utraque hæc pars a Deo creata sit, idem fidelis Dei servus refert *Genes.* II. 7. Enimvero anima humana quælibet oriri aliter nequit, nisi per creationem (*Psychol. empir.* §. 698.).

Necesse

Neceſſe adeo eſt, ut Deus, qui primi hominis animam creavit, ſit etiam creator ceterarum omnium. Juxta S. S. itaque anima omnino omnis humana creata eſt.

Nobis hic perinde eſt, ſive quis ſtatuat, animas humanas in prima ſtatim rerum creatione cum eo, quod ſubſtantiale eſt in omnibus corporibus, fuiſſe creatas, ita ut hodie nihil creetur amplius; ſive defendat, eas tum demum creari, quando in utero vivere incipit fœtus, modo agnoſcatur, eas a Deo creari.

§. 454.

Gentium doctor *ad Rom.* I, 20. ἀπὸ κτίσεως κόσμε *creatione mundi*, inquit, hoc eſt, ex quo mundus creatus, vel creatura aliqua exſtitit, *inviſibilia Dei, veluti ſempiterna eius potentia & Divinitas, mente perpenſa pervidentur per ea, quæ facta ſunt.* Ex iis adeo, quæ facta ſunt, de Deo cognoſcuntur, quæ in ſenſus minime incurrunt (§. 443.). Quæ a Deo facta ſunt, ſunt creaturæ (§. 449. 451.). Ex creaturis adeo cognoscuntur, quæ Deo inſunt, nec in Senſus noſtros incurrere poſſunt. Ea, quæ inſunt Deo, non inſunt creaturis; Adeoque intuitive cognosci nequeunt. Neceſſe igitur eſt, ut ex iis, quæ creaturis inſunt, ratiocinando colligantur, quæ ſunt in Deo; Conſequenter creaturæ hoc modo factæ ſunt, ut per ea, quæ ipſis inſunt, colligi poſſit, quod hæ ſint perfectiones Deo competentes. Quamobrem cum ſpeculum rei alterius dicatur ens iſtud, cui inſunt, per quæ colligi poteſt, quod hæc inſint alteri (*Theol. natur.* §. 784.); Ex mente itaque Pauli creaturæ ſunt ſpecula perfectionum Divinarum,

Creaturæ ſunt ſpeculum perfectionum Divinarum.

rum quatenus, creaturæ eo modo factæ sunt, ut per ea, quæ iis insunt, seu per earum determinationes intrinsecas, colligi potest, quod hæ Deo insint perfectiones.

Essentia adeo creaturæ, qua creaturæ, est representativa perfectionum Divinarum. Ceterum a veritate non abhoret, quod vulgo dicitur. Ne minimam quidem in natura rerum dari herbulam, quæ creatorem suum non loquatur. Neque exigui momenti est probe perpendere, quod, quicquid in hoc universo existit, perfectionis Divinæ speculum sit. Hoc enim principio nititur tota Theologia naturalis experimentalis.

§. 455.

Quomodo creaturæ sint speculum perfectionum Divinarum.

Ex modo allato dicto Pauli *Rom.* I, 20. evidens est, quod creaturæ aptæ sint ad potentiam atque Divinitatem Numinis invisibilis repræsentandam, ut per visibilia cognoscatur quod invisibile (§. 454.). Illa igitur aptitudo repræsentandi Deum, quæ in creatura datur, non est nisi dependentia eorum, quæ ipsi insunt, a Divinis attributis. Per hanc ergo efficiuntur specula potentiæ atque Divinitatis. Quamobrem **Creaturæ sunt specula attributorum seu perfectionum Divinarum, quatenus ab attributis istis pendent.**

§. 456.

Mundus quomodo intellectum Divinum repræsentet,

Qnoniam, si Paulo credimus, Creaturæ sunt speculum perfectionum Divinarum, quatenus ab attributis eiusdem pendent (§. 455.), & intellectus, phrasi Paulina sub voce Divinitatis comprehensus est (§. 307.): Mundus autem hic adspectabilis, & quicquid in eodem existit, quoad essentiam

am ab intellectu Divino dependet (*Theol. natur.* §. 801.); **mundus hic adspectabilis, & quicquid in eodem datur, est speculum intellectus Divini per essentiam suam.**

§. 457.

Quomodo potentiam & liberrimam eius voluntatem.

Quoniam creaturæ sunt speculum attributorum Divinorum, quatenus ab iisdem dependent (§. 455.), & potentia & Divinitas, sub qua libera Dei voluntas comprehensa est, in horum attributorum numero sunt (§. 307.); A potentia vero Dei dependet omnis creatura, seu quod perinde est, mundus & quicquid in eodem existit quoad actualitatem simpliciter spectatam, a liberrima vero eius voluntate quoad actualitatis contingentiam (*Theol. natur.* §. 803.); **Mundus hic adspectabilis & quicquid in eodem existit, est speculum potentiæ Divinæ quoad actualitatem suam; speculum liberrimæ voluntatis quoad actualitatis contingentiam.**

§. 458.

Usus harum propositionum.

Nimirum potentia repræsentativa potentiæ Divinæ, quæ inest mundo; est dependentia a potentia Dei creatrice, & potentia repræsentativa voluntatis liberrimæ Dei, quæ in eodem deprehenditur, est dependantia ab eius liberima voluntate. Actualitas adeo, quatenus possibilitati intrinsecæ superaccidit, quæ ad existendum nondum sufficit, mundum aptum efficit ad potentiam Divinam repræsentandam, & quatenus actualitas illa contingens est, mundus aptus evadit ad liberrimam Dei voluntatem repræsentandam. Atque hoc modo patet, quomodo mundus fiat speculum omnipotentiæ ac voluntatis liberrimæ Divinæ. Quomodo mundus sit speculum potentia & Divinitatis, seu intellectus & volunta-

luntatis Divinæ, distinctius a nobis explicata sunt; ut creaturæ natura penitius intelligatur: Id quod multiplici usui erit in moralibus, ubi de officiis hominis arga Deum agendum.

§. 459.

Conservatio rerum Deo vindicanda.

De *Deo* vero *Actorum.* XVII, 24. 25. dicitur, quod sit *ille, qui fecit mundum & omnia, quæ in eo sunt, ----qui ipse det omnibus vitam & halitum & omnia.* Immo *versu* 26. eidem tribuitur, *quod fecerit ex uno sanguine totum genus humanum, ut habitaret super universa superficie terræ.* Et mox additur *versu* 28. *nos in ipso vivere, moveri atque esse.* Quod Deus mundum ac omnia, quæ in eo sunt, fecerit; ad actum creationis utique pertinet, quo ad actualitatem perducta sunt, quæ ante nondum existebant. Quod vero omnibus adhuc det vitam, halitum & omnia, nec non, quod in ipso vivamus, moveamur & simus, immo genus hominum ab uno homine propagetur, ad actum creationi cotradistinctum, quo nimirum existentia eorum, quæ per creationem cœpere, continuatur, videlicet conservationem rerum creatarum spectat. Ex conservatione rerum probatur, quod Deus re creata nulla indigeat, sibi ipsi sufficientissimus, propterea quod in creatura nihil datur, quod non indigeat Deo (§. 308.). Ipsi adeo tribuitur existentia quoque nostri, tribuuntur vires agendi, quas nos habemus, tribuitur consimiliter rerum conservatio per causas secundas, veluti conservatio specierum per generationem: quod enim de hominibus affirmatur, idem etiam extendendum esse ad res creatas eodem modo, vel saltem simili aliquo conservatas, nemo non largitur, cum nulla disparitatis ratio allegari possit. Docet adeo Paulus, cuius ea sunt, quæ recitavimus verba, omnino omnia, quæ a Deo creata

sunt

sunt per se, seu virtute propria existentiam, quam accepere, continuare minime posse; Sed Dei opus esse actione continua, qua existentiam, quam semel impertitus est in prima creatione, impertiri pergat. Ex mente igitur Apostoli actus creationis continuatur, quatenus per eundem indesinenter impertitur ei, quod substantiale est in hoc universo, actualitas: Quo Sensu supra Deum solum conservatorem esse evicimus (§. 152. 151. *num.* II.), & conservatio continuata creatio nuncupanda est (§. 15.). Tribuitur quoque Deo autori, quod per modificationes substantiales in prima creatione ad actum perducti, & ab ipso continuata creatione conservati prodit, veluti conservatio generis humani per generationem, quia scilicet Deus ordinem naturæ, cuius autor est (*Theol. natur.* §. 822.), conservat. Et ex eadem ratione alibi in sacris omnia tribuuntur, quæ in natura rerum quomodocunque generantur (§. 451.), secundum naturæ ordinem, veluti *Jobi* V, 10, Deus dicitur *edere pluviam in superficie terræ, & immittere aquas in superficiem agrorum.* Ita Cap. XXXVIII, 25. sqq Deus de semetipso asseverat, *se dare cursum vehementissimo imbri, & viam sonanti tonitrui*: reliqua ibidem legi merentur; ut taceamus alia, quæ passim huc spectantia magno numero reperiuntur in Scripturæ Sacræ libris, præsertim in Psalmis. Abunde igitur liquet, autoritate sacri codicis Deo tribuendam esse conservationem, seu continuatum creandi actum, quatenus per eundem indesinenter actualitas impertitur, quod substantiale est in hoc universo.

§. 460.

Iuxta Apostolum creatura omnis, tum ut existat, tum ut *Et corrobora-*

ta,

ut agat, continuo indiget Deo, ipse autem neque ut existat, neque ut agat, indiget ulla creatura, quippe quæ non habet, nisi quod acceperit a Deo. Etenim si Deus indigeret re aliqua extra se, ut ipse existere posset, seu ad sui conservationem; necesse utique esset, ut independenter ab ipso existeret: Ast Deus fecit omnia, quæ præter ipsum existunt, iisque continuo actualitatem impertitur, quamdiu existere pergunt; Consequenter re nulla alia ad sui conservationem indiget. Creatura nulla agit nisi vi a Deo accepta, & quam per actum conservationis continuo impertitur eidem. Nihil adeo cum virium habeat creatura, quas non acceperit a Deo; ad agendum non indiget ipse viribus aliunde accipiendis, quippe cum non acciperet, nisi quod ipse dedisset alteri. Hoc modo Paulus argumentatur, probaturus Deum non indigere re aliqua, quæ sit in hoc universo. Cum autem id probet per actum conservationis, simul ac removeat dubium, quod oriri posset ex conservatione corporum per causas secundas, quatenus hanc quoque tribuit Deo ordinis naturæ autori; Actus utique conservationis ex his Apostoli verbis tanquam ex loco suo classico optime declaratur, qualis sit ex mente sacri codicis.

§. 461.

Leges naturæ a Deo in prima rerum creatione præscriptæ sunt.

Deus mundum hunc adspectabilem creavit (§. 443.), & hæc in eodem corpora produxit, dum hæc, non alia rerum materialium elementa ad actum perduxit (§. *citato & Theol. natur.* §. 764.) ipso creationis actu elementa rerum materialium ad actum perduxit. Quamobrem cum Deus naturæ leges præscripserit, dum elementa rerum marerialium produxit, quibus insunt vires hoc & non alio modo modificabiles (*Theol. natur.* §. 825.); Consequenter dum eas

eas præscripsit, cum elementa ista produceret. **Præscripsit naturæ leges, quas in agendo observare tenetur in prima rerum creatione.**

Unde patet a primo creationis momento naturam rerum egisse juxta eas, quas in agendo observare tenetur, leges, quo scilicet naturæ ordo cœpit.

§. 462.

Potentia conservatrix cur Deo propria & incommunicabilis.

Potentia creatrix soli Deo propria est, naturæ vero rerum competere nequit, immo est incummunicabilis (§. 447.). Quamobrem cum actio creationis & conservationis in Deo una eademque sit, ita ut hæc non sit nisi continuatio prioris (§. 459. 15.); potentia quoque conservatrix cum creatrice una eademque est; Consequenter **etiam potentia conservatrix soli Deo propria est, nec naturæ rerum competit, proindeque incommunicabilis.**

Idem etiam ex loco quodam S. S. classico demonstrari poterat. Nimirum *Nehemiæ.* IX, 6. de Deo prædicatur: *Tu ille Jehova solus es, tu fecisti cœlos, cœlos cœlorum, & omnem exercitum eorum, terram, & quicquid est in ea, maria, & quicquid est in iis, & tu conservas hæc omnia.* Disertis itaque verbis Jehova solus creator pronunciatur, solusque conservatur; Adeoque cui soli **potentia & creatrix & conservatrix** propria. Ex mente igitur Nehemiæ potentia hæc utraque de omni ente præter Deum existente neganda est; Aft igitur **soli Deo propria, ita ut nec naturæ rerum competat, nec communicabilis sit.**

Exemplo hoc patet, quantus sit nexus veritatum revelatarum: Etenim id, quod loco quodam classico asseveratur,

tur, ex aliis in sacris literis revelatis veritatibus per legitimas consequentias evinci potest. Unde differentia, quæ inter sacrum codicem & falsas cunctas ita dictas revelationes quæ, si in systema veri nominis redigenda, contradictiones produnt, intercedit, manifesta fit. Ceterum adhuc probe notandum, quod hic loquamur de conservatione substantiarum, seu eius, quod substantiale est in corporibus; non autem de conservatione corporum, qua talium corporum, quæ quemadmodum oriri ac interrire possunt sine substantiæ eiusdem ortu atque interitu, ita nec eo indigent actu conservatorio, ut aliquamdiu perdurent, quo opus habet, quod in iisdem substantiale est. Hæc probe tenenda sunt, ne actum conservationis Divinum trahamus ad ea, quæ naturæ sunt, nec scrupulis inanibus locum concedamus, ubi ab iisdem prorsus liber esse potest animus.

§. 463.

Concursus Dei ad actiones creaturarum.

Numerus I. Paulus diserte affirmat *Actorum.* XVII, 28. *in ipso* (*Deo*) *nos moveri.* Actiones hominis externæ fiunt motu organorum corporis, sive voluntariæ fuerint, sive naturales: quemadmodum unicuique per se notum est. Quamobrem extra omnem dubitationis aleam positum est, his sacrarum literarum verbis probari, quod nullus homo actionem edat ullam sine Deo. Per ea igitur, quæ insunt homini, penitus intelligi nequit, cur agat, si actionem prorsus distincte concipere velis; Consequenter non tota ratio sufficiens actionis in solo homine reperitur (*Ontol.* §. 56.); Ast restat quidpiam, quod in Deo quærendum. Quamobrem cum ens unum ad actionem illius alterius concurrat, quatenus in eo continetur aliquid rationis, cur agat, (*Theol. natur.* §. 872.); Deum ad omnes omnino

mnino hominis actiones tam naturales, quam voluntarias concurrere ex hoc sacri codicis dicto luculenter patet.

Numerus II. Verum enim vero actiones naturales ab arbitrio nostro minime pendent, sed totæ ex natura atque essentia rei consequuntur. Etenim Actiones naturales eæ sunt, quæ ab arbitrio nostro minime pendent, aut, si mavis, quæ ex essentia ac natura rei necessario consequuntur (*Theol. natur.* §. 913.); Adeoque illæ homini cum corporibus cunctis communes sunt. Quoniam itaque Deus juxta S. S. ad actiones hominum naturales concurrit *per demonstrata num.* I. quin juxta eandem dicendus sit etiam concurrere ad actiones quascunque corporum quorumlibet; Consequenter ad actiones quaslibet naturæ (*Cosmol.* §. 507.); Adeoque ad eas omnium omnino creaturarum, dubitandum non est.

§. 464.

Nemo miretur, concursum Divinum ex scripturæ verbis vi principiorum philosophicorum vindicari. Etenim S. paginæ veritates, quas tradunt, docent, non demonstrant, quippe quibus fides habenda ob autoritatem Divinam, quæ ipsi convenit, neque adeo omnia revocat ad notiones distinctas, at in claris acquiescit. modo ad mentem eius intelligendam sufficiant. Ita si legimus, nos moveri in Deo; Facta applicatione ad casum particularem inferimus, nos sine Dei ope non posse extendere brachium, movere pedem &c. quo ipso agnoscimus concursum Dei ad actiones nostras, etsi distincte explicare non possimus, quomodo Deus ad

Quæ circa hanc demonstrationem notanda.

easdem concurrat. Et illa cognitio & vulgi, & eruditorum captui conveniens sufficit, omnimodam nostram a Deo dependentiam agnoscamus grato in ipsum animo. Levi autem attentione ad motum brachii, pedis, vel alterius organi discimus, Deo tribuendum esse, quod nobis vires agendi impertiatur, quemadmodum *Cl. Wolfius* in Theologia sua naturali demonstravit in eorum gratiam, qui veritatem philosophicam capere possunt, & quorum firmus ac immotus non est assensus, antequam de veritatibus convincantur. Unde nos non minus ob eosdem ex ipsis illis principiis hanc veritatem, quam scriptura docet, evicimus, ut & vulgo & philosopho satisfiat.

§. 465.

Concursus Dei ad actiones malas.

Quod Deus etiam ad malas hominum actiones, sed non quatenus malæ sunt, concurrat, per modum corrollarii inferri potest ex verbis Pauli *Actorum.* XVII, 28. Ubi ait, *nos in Deo moveri.* Unde evidens est, quod Deus ad omnes hominum actiones concurrat (§. 463.): Adeoque etiam ad malas concurrere debet. Concurrit ad omnem motum nostrum. Quamobrem cum actiones malæ sint non minus motus organorum corporis, quam bonæ; Deus ex mente Apostoli ad actiones quoque malas concurrit. Verum enim vero actiones malæ non ideo sunt malæ, quia sunt motus organorum corporis, sed quia tendunt ad nostri statusque nostri, vel alterius atque status eiusdem imperfectionem: Est enim **malum**, quod nos statumque nostrum imperfectiorem reddit (*Psychol. empir.* §. 565.). Ergo **Deus, apostolo doctore, occurrit etiam ad actiones hominum malas, sed non quatenus malæ sunt.**

Actiones externæ physice spectantur, quatenus

nus sunt motus organorum corporis; **Moraliter** vero, quatenus vel bonæ, vel malæ sunt (*Theol. natur.* §. 568.). Quoniam itaque Deus ex mente Apostoli ad actiones hominis concurrit, quatenus sunt motus organorum corporis; **Deus ad actiones malas concurrit, quatenus spectantur physice, non autem quatenus spectantur moraliter,** seu quod perinde est, **is concurrit ad id, quod physicum est in actionibus malis, non vero ad id, quod morale est, seu quatenus ipsis malum inhæret.**

In his equidem acquiescere possemus, cum veritas in genere ex eo in apricum protracta sit, quæ de concursu Dei ad actiones malas docet codex sacer: Consultum tamen duximus idem adhuc alio modo, nimirum per aliquod exemplum ostendere. Inservit huic instituto illud Iosephi a fratribus non sine magno scelere in servitutem venditi, propterea quod Iosephus ipse hanc venditionem Deo tribuere videtur, utpote affirmans, fratribus sibi metuentibus, ne injuriam illatam vindicareti pse, *se missum esse a Deo ante ipsos in eorundem salutem in Ægyptum Genes.* XLV, 5. Immo mox subiungens *versu 8. se non ipsorum consilio, sed Dei voluntate in hanc regionem missum esse.* Venditio fratris, filii parenti seni charissimi, in duram servitutem, profecta ex mera invidia erga fratrem & defectu amoris in parentem utique mala erat. Ad hanc autem malam actionem voluntatem suam determinaverant fratres scelesti per invidiam erga fratrem & defectum amoris in parentem, alias invidiæ obicem posituri. Quoniam malum morale Deo placere nequit (§. 368.); Ideo nec placere potuit invidia erga fratrem, nec defectus amoris in patrem; Consequenter nec venditio

venditio fratris in servitutem ex invidia ista, nec non defectu illo amoris profecta. Quamobrem quoque Deus nullo modo ad venditionem istam, quatenus mali animi effectus est, teste scriptura (§. *citato*), concurrere potuit. Cum Iosephus hoc modo veniret in Ægyptum, in quam alias non profectus esset, ibidemque ad summam dignitatem evectus esset, non sine maximo commodo & senis, & totius familiæ suæ; Deus porro mala dirigens ad bonum finem (§. 406.), venditionem istam ab æterno permittere decrevit (§. 371.), quatenus actio physice spectata, erat medium, Iosephum ad summum dignitatis apicem evehendum, in Ægyptum deportandi. Apparet itaque evidenter, Deum ad actionem malam fratrum minime concurrisse, quatenus illa mala erat, nec eandem decrevisse, propterea quod mala erat; Sed quia eam ipsam dirigere poterat in finem providentiæ suæ convenientem. Cum autem ad omnes actiones concurrat Deus per conservationem (§. 463. 459.); Negari haud quaquam potest, quod concursui quoque isti locus fuerit in venditione impia ausu scelesto fratrum Iosephi facta. Plura adhuc in sacris reperiuntur exempla, quibus eadem veritas eodem, quo Iosephi probatum, modo demonstrari possit: præprimis illud *Christi crucifixi per manus sceleratas Iudæorum impiorum, quod definito Dei consilio atque præcognitione factum esse* Petrus *Actorum* II, 23. disertis asseverat verbis. Atat! illud Iosephi satis distinctum esse nobis videtur; Adeoque hoc attentioni Benevoli Lectoris, eiusque acumini relinquimus.

§. 466.

Quæ hic notanda.

Nimirum puto ex Iosephi exemplo iam iam dilucidato clarissime constare, quomodo actiones malæ contineantur in æterno providentiæ decreto tanquam permittendæ, & ad bonum

bonum finem; Consequenter & ultimum, manifestationem gloriæ Divinæ (§. 395. *num.* II.) dirigendæ (§. 397.), ita tamen ut mali, quam mali existentia non decernatur. Et quomodo Deus vi eiusdem decreti concurrat ad actionem malam physice, sed non moraliter spectatam, ita ut nulla mali culpa in Numen redundet, ast hæc tota tribuenda sit homini libertate sua per decretum illæsa utenti. Obiter monemus, nos hanc veritatem in genere tanquam dogma Scripturæ, nec non exemplo in specie demonstrasse, ne nec vulgus, nec eruditus, nequidem is philosophus, qui non autoritate Scripturæ, sed principiis certis ad firmum atque immotum assensum ducendus, habeat, quod iure desiderare possit. Factum enim fratrum Iosephi vel etiam a philosopho, doctrinam arduam non nisi ex principiis rationis enodaturo, admitti debet tanquam factum, quod ab Historico narratur, nisi scepticissimi suspicionem incurrere velit, unde conficitur, neminem agnoscere teneri, quod rationi maxime conveniant, quæ in hoc arduo argumento, menti S. S.; consentanea. Mirifice cum exemplum istud concursum Dei ad actiones malas illustret; Ut attenta mente iterum iterumque trutinetur, reliquaque in sacro codice obvia eodem modo explicentur, suadeo, certo confidens fore, ut nebulæ omnes, quibus alias obsuratur mentis acies, protinus evanescant.

§. 467.

Concursus Dei ad abusum libertatis.

Deus homini in concursu universali tribuit agendi vires, quatenus actum indesinenter impertitur substantiæ, quoad animam scilicet atque corpus, sine viribus istis existere minime valenti (§. 463.). Quod vero hoc vel illo modo agat, ab homine est (*Theol. natur.* §. 878.). Quamobrem cum homo in volendo atque nolendo liber sit (*Psychol. empir.* §. 942.); Adeoque polleat facultate ex pluribus possibilibus

ſponte eligendi, quod ipſi placet, ad nullum eorum per eſſentiam ſuam determinata (*Pſychol empir.* §. 941.), atque vi, qua pollet (*Pſychol. ration.* §. 53.), ipſi eſſentiali (*Pſychol. ration.* §. 66.) ac naturali (*Pſychol. ration.* §. 67.) eliciuntur appetitiones atque averſiones tales (*Pſychol. ration.* §. 55.). **Homo autem libertate abutitur,** quatenus malum appetit ſub ratione boni, & bonum averſatur ſub ratione mali (*Pſychol. empir.* §. 896.); Patet homini tribuendum libertatis abuſum, non vero Deo; Conſequenter **Deum ad abuſum libertatis non concurrere, qua abuſum.**

Nimirum Deus conſervat hominem, qui libertate ſua abuti poteſt per eſſentiam atque naturam ſuam; homo autem ſua ſponte eadem abutitur, Deo in determinationem ad malum minime influente. Aliter vero ſeſe res habet in actionibus bonis, quemadmodum inferius demonſtraturi ſumus. Cavendum itaque, ne, quæ de actionibus malis dicuntur, perperam ad bonas applicentur: quantum enim ſit diſcrimen inter concurſum ad actiones bonas ac malas, ſuo eluceſcet loco, hic autem deficientibus adhuc quibusdam principiis demonſtrari nequit. Interim tamen evidens eſt, quodſi dependentiam hominis in agendo a Deo eo usque extendere velis, ut ipſe animam determinet ad volendum hoc potius, quam aliud, & ad hoc potius, quam aliud nolendum; Abuſum libertatis totum a Deo derivandum, nec hominem appetere malum, niſi quia Deus vult, ipſum malum appetere, nec averſari bonum, niſi quia Deus vult, ipſum bonum averſari. Conſtat autem, & animam ſeipſam determinare ad volendum, vel nolendum motivis ſuis convenienter (*Pſychol. empir.* §. 932.), & fieri non poſſe, ut Deus

velit

velit malum morale (§. 367.); Consequenter dependentia hominis in agendo a Deo in præiudicium libertatis hominis, & voluntatis ipsius Divinæ extendi nequit. Ceterum hic nobis adhuc solummodo cum viribus naturæ negotium est, non autem cum viribus gratiæ, quæ in parte altera de œconomia salutis agente inquirendæ veniunt.

§. 468.

Deus non concurrit ad hominis imperfectionem accidentalem, sed homo se ipsum accidentaliter reddit imperfectum, quod Deus solummodo permittit.

Numerus I. Deus non concurrit ad malum morale, quod actioni hominis inhæret, quemadmodum ex exemplo fratrum Iosephi luculenter patet (§. 465.). Cum veto malum morale consistat in imperfectione accidentali (*Theol. natur.* §. 577.); **Deus non concurrit ad imperfectionem hominis accidentalem.**

Numerus II. Ex demonstratis vero *num.* I. legitime infertur, **imperfectionem accidentalem totam ab homine esse, & per consequens hominem semetipsum accidentaliter imperfectum reddere**

Numerus III. Fieri non potest, ut Deus malum morale velit (§. 367.). Quamobrem cum malum morale in imperfectione accidentali consistat (*Theol. natur.* §. 577.); **Nec fieri potest, ut Deus imperfectionem hominis accidentalem velit.**

Numerus IV. Verum enim vero Deus malum morale permittere decrevit (§. 373.), quæ vero ab æterno decrevit, ea in tempore facit, quemadmodum decrevit (§. 339.). Consistit vero malum morale in imperfectione accidentali (*Theol. natur.* §. 557.). Quamobrem patet, **Deum imperfectionem hominis accidentalem permittere.**

§. 469.

Gubernatio rerum omnium Deo tribuenda.

Nulla fere datur creatura, cuius actiones non dicantur in sacris dirigi a Deo ad certos fines. Constat corpora, ex quibus hic mundus adspectabilis componitur (*Cosmol.* §. 119.), dividi in corpora totalia & partialia, quorum illa sunt, ut cum Scriptura loquamur, sol, luna, stellæ atque orbis habitabilis; hæc vero, quæ in Tellure generantur, inanimata atque animata. Ita *Genes.* I, 16. sqq. *Deus dicitur fecisse duo luminaria magna, luminare maius,* nimirum solem, *ut præesset diei, & luminare minus,* scilicet lunam, *ut præesset nocti, atque stellas, easque collocavisse in firmamento (expanso) cœli ad afferendum lucem super terram.* Unde Salvator noster *Math.* V, 45. Deo, *Patri illi nostri, qui est in cœlis,* hodienum tribuit, *quod sol oriatur super improbos atque bonos,* ob multiplicem usum, quem a præsentia eius percipiunt homines, ipsa etiam animantia bruta. Quo spectant verba Davidis, quæ leguntur *Psalm.* CIV, 19. sqq. *Statuit lunam in stata tempora; Solem agnoscentem occasum suum. Disponis tenebras, ut sit nox: qua erepunt omnia animantia Silvæ &c. Prodit homo ad opus suum, & ad culturam suam usque ad vesperam,* & ita porro. Terram conservat Numen providum incorruptam, aliis in ea, ipsis hominibus, intereuntibus ac morientibus, aliis de novo genitis atque orientibus *Eccles.* I, 4. ubi diserte dicitur: *Generatio una abit, & altera advenit, quamvis terra in seculum permaneat.* Tellurem conservat, *ut præbeat habitaculum* hominibus atque animantibus brutis *Ies.* XLV, 18. Tribuuntur eidem meteora, veluti *pluvia Jobi.* V, 10. *Ignis & grando, nix atque exhalatio, ventusque turbineus Psalm.* CXLVIII, 8. & *pluit super justos & injustos Math.* V, 45. De Deo dicitur, *quod irriget montes e cœnaculis suis*

ſuis, ut a fructu operum ſuorum ſatietur terra. Faciens, ut germinet fœnum ad jumentum, & herba ad hominis uſum; ut depromant cibum e terra &c. Pſalm. CIV, 13. ſqq. Et *quod dividat inundationi aquæ ductum, & viam nimbo ſonoro. Demittendo pluviam in terram vacuam viro, in deſertum in quo non eſt homo: ut ſatiet vaſtatum atque deſolatum* (locum), *efferatque productionem teneræ herbæ. Quod ſit pluviæ pater, qui genuit guttas roris, e cuius utero egreſſa ſit glacies, qui genuit pruinam cœli Jobi.* XXXVIII, 25. ſqq. Dirigere dicitur ipſam ſortem, ut ratio, cur ita potius cadat, quam aliter, ipſi tribuenda veniat: hæc enim ſunt verba Salomonis *Proverb.* XVI, 33. *In gremium coniicitur ſors: a Jehova autem eſt tota ratio eius.* Præterea hominum dirigit cogitationes veluti I *Samuelis* X, 9, dicitur, *Deum Saulo mutaſſe cor in aliud.* Conſimiliter *Deus legitur mutaviſſe animum Ægyptiorum, ut odio haberent populum ſuum Pſalm.* CV, 25. & *Apocal.* XVII, 17. hæc inveniuntur verba: *Deus enim dedit in corda eorum, ut exequantur, quod ipſi viſum eſt.* Quid? quod ipſæ hominum actiones a Deo diriguntur, uti luculenter patet ex hiſtoria Ioſephi atque fratrum eius *Genes.* XLV, 8. Non opus eſſe, exiſtimo, loca Scripturæ congerere, in quibus actiones creaturarum Dei directioni ſubiiciuntur, cum hoſpes in ea eſſe debeat, cui hoc minime fuerit perſpectum. Verum enim vero directionem actionum ad certum finem ſalutamus **Gubernationem** cum ſummo Philoſopho (*Theol. natur.* §. 899.). Liquet igitur **autoritate S. literarum Deo tribuendam eſſe Gubernationem omnium rerum in hoc univerſo, qua omnium omnino creaturarum actiones ad fines certos, tandemque ultimum dirigit.**

Patet hinc Deo gubernationem huius universi propriissimo tribui Sensu, eodem scilicet, quo princeps dicitur gubernare civitatem; Is enim subditos gubernare dicitur, quatenus eorum actiones dirigit ad finem civitatis, salutem nimirum, tranquillitatem atque securitatem publicam.

§. 470.

Quomodo Deus mundum gubernet.

Numerus I. Corpora & tota rerum natura agunt propter fines a Deo intentos ac si ipsamet eos intenderent, ita ut Deus finem, quem per existentiam huius universi intendit, hoc est, ultimum (§. 395. *num.* I.), ex asse consequatur (§. 387.). Quamobrem cum Deus mundum gubernet: Adeoque corporum omnium in eodem, & totius naturæ, seu omnium omnino creaturum actiones ad fines istos dirigat (§. 469.); Actiones omnium corporum in hoc universo, totiusque naturæ ad fines certos ita dirigit, ut eosdem ex asse, nec non per eosdem finem ultimum consequatur. Verum enim vero Sapientiæ est dirigere actiones ad fines ex asse consequendos, ac particulares ita subordinare ultimo, ut vi eorum hunc consequaris (§. 401. *& Psychol. ration.* §. 678.). Deus itaque mundum hunc adspectabilem Sapientia sua gubernat, quatenus omnium corporum in eodem, totiusque naturæ actiones ad fines ex asse consequendos dirigit, particularesque ita subordinat ultimo, ut vi eorum hunc consequatur.

Numerus II. Omnes rerum & naturalium (*Theol. natur.* §. 648.) & artificialium usus sunt fines a Deo intenti (§. 401. *& Theol. natur.* §. 649.). Et ipsa S. S. hoc diserte testatur, quando *Exodi* XXVI, 30. dicitur: *Sic eriges tabernaculum illud; secundum justam constitutionem eius, quæ tibi*

tibi exhibita eſt videnda in hoc monte. Et *Deus* affirmat ſemetipſum *nominatim vocaviſſe Bezaleelem -- eumque impleviſſe Spiritu Dei, peritia, intelligentia, notitia & omni arte. Exodi.* XXXI, 23. Quamobrem cum Deus mundum hunc gubernet; Adeoque actiones creaturarum ad fines hoſce dirigat (§. 469.); Bonitatis vero Divinæ ſit, ut in hoc univerſo unum inſerviat uſibus alterius (§. 435.); **quin Deus bonitate ſua gubernet hoc univerſum, ut unum inſerviat uſibus alterius, dubitari nequit.**

§. 471.

Inſignis uſus agnitionis huius veritatis ad detegendos, refellendosque errores.

Tanto maior eſt ſapientia, qua mundus gubernatur, quod Deus totam gubernationem decreverit ab æterno, talemque fecerit naturam univerſam, & tales corporum eſſentias, ut voluntati ipſius conformiter agant, ita ut nullis decretis temporariis, nullo conſilio in tempore ineundo opus ſit. Patet hoc ex ſimili. Etenim ſi Princeps initio regionis omnia decernere poſſet unico actu, quæ toto regiminis tempore decernenda forent, ac ita in civitate inſtrueret omnia, ut deinceps voluntati eius convenienter ſine particularibus imperiis cuncta adminiſtrarentur; Nemo non ſanus fateretur, maiorem ipſi eſſe ſapientiam, quam qua opus habet conſilia, occaſione ferente, quovis tempore ineunda, atque decreta particularia formanda, modo perpendere poſſit, quænam ad hæc requirantur, ut unico actu decernantur Singula per totum regiminis tempus ordinanda; ac unico actu in civitate ita conſtituantur, ut toto tempore nil quicquam fiat niſi decretum. Evidens adeo eſt, *Deum ſumma, quæ concipi poteſt, Sapientia mundum gubernare.* A notionibus attributorum Divinorum nimis adhuc remotum habere debet animum, qui ex his capere nequeat,

Deum

Deum nullis decretis temporariis, nullo consilio in tempore ineundo indigere.

Quodsi porro meditemur, quomodo in hoc universo unum usibus alterius inserviat, ita ut ipsa mala, quatenus moralia sunt actiones physicæ, physica autem causæ naturales, ad bona a Deo aliis conferenda concurrant (§. 407. 463.); Quomodo Deus bonitate sua hoc universum gubernet, invictis experimentis docemur (§. 469.). Ceterum cum per ipsum rerum nexum demonstretur, quod Deus & Sapientia & bonitate sua hunc mundum adspectabilem gubernet (§. 470.); Clarissime constat, quantum conducat ad gubernationem Divinam intimius perspiciendam nosse nexum rerum omnium in hoc universo, sed a liberrima voluntate dependentem (§. 301.). Non negamus, si quis cum *Spinosa* fatalem rerum concatenationem statuat, a voluntate Divina libera, qualem non dari contendit, prorsus independentem, tolli gubernationem Divinam. Atat! quantum in eo fallatur Spinosa, & qui cum eo sentiunt, evidens est. Etenim illi minime demonstrare valent falsam suam hypothesin, nimirum nexum rerum cunctarum in hoc mundo a liberrima Dei voluntate independentem esse. Cum potius maxime dependentem esse ab eadem in anterioribus clarissime demonstratum sit; ut adeo omnis fatalista sui erroris redarguendus, quia fatalis illa rerum concatenatio curruit.

§. 472.

Providentia Deo tribuenda.

Ex loco *Actorum* XVII, 24. 25. patet Deo tribuendam esse conservationem omnium rerum (§. 459.), ex *versu*

ſu 28. eiusdem capitis evidens eſt, eidem tribuendum eſſe concurſum ad ſingulas creaturarum actiones (§. 463.), & ex variis S. S. locis evicimus Deo pariter tribuendam eſſe gubernationem (§. 469,). Verum enim vero decretum Dei de conſervatione atque gubernatione rerum omnium in hoc univerſo, & de concurſu ad ſingulas creaturarum actiones dicitur providentia (*Theol. natur.* §. 922.). Patet itaque Deo, autoritate ſacri codicis, tribui debere, providentiam, quatenus omnes omnino creaturas conſervat & gubernat, nec non ad actiones earundem concurrit.

§. 473.

Vocabulum providentiæ nullibi reperire potuimus in ſacris, quod Deo tribueretur. Legitur quidem *Sapientiæ* XIV. 3. ubi *Deus providentia ſua gubernare dicitur naves in mari, quoniam dedit & in mari viam & inter fluctus ſemitam firmiſſimam.* Addit hujus gubernationis rationem, nimirum quod Deus, etſi per omnipotentiam ſuam facere poſſit, quod vult, absque opera cauſarum ſecundarum, hoc tamen uti malit, ut omnia fiant ſapientiæ ſuæ conformiter *verſu* 4. 5. Facile apparet, providentiam hic redire ad rerum creatarum conſervationem & actionum, quæ a cauſis ſecundis proficiſcuntur, directionem, quæ eſt ipſa gubernatio (§. 469.). Quamobrem providentiæ vocabulum ibidem eo ſenſu, quo idem jam modo definivimus, ſumitur: Atat! cum libri ſapientiæ autoritas canonica non ſine ratione a quibusdam in dubium vocetur, hunc locum pro loco claſſico venditare nequimus. Quamobrem providentiam Deo autoritate S. S. tribuendam, nec non ejus definitionem per conſequentiam legitimam ex locis extra omnem controver-

Corroboratur & error refellitur.

ſiam poſitis elicere maluimus, veritatemque ab omni dubio liberare voluimus. Ceterum notari adhuc meretur, quod, qui providentiam Dei negant, dependentiam mundi & omnium, quæ in eo ſunt, a Deo minime agnoſcant, ſed eum ab ipſo prorſus independentem fingant: ſit ita, quod creationem ſeu ortum univerſi a Deo in dubium non vocent. **Cum vero providentia absque manifeſta abſurditate negari nequeat, (§. 472.); Qui mundum a Deo independentem fingunt, erroris ſui redarguuntur.**

§. 474.

Æternitas atque immutabilitas providentiæ Divinæ,

Providentia eſt decretum Dei de rebus conſervandis & gubernandis, concurſuque ad earundem actiones (§. 472.). Sed decretum Dei æternum (§. 321.) & immutabile eſt (§. 330.). **Providentia igitur Divina æterna atque immutabilis eſt.**

§. 475.

Ab errore liberatur.

Nimirum Deus providens rebus creatis quoad conſervationem atque gubernationem earundem non demum hodie ſtatuit, quid fieri debeat, ſed idem jam decrevit ab æterno, nec ulla adeſt decreti immutandi ratio. Factum hoc eſt vi præſcientiæ Divinæ infallibilis: Unde & vulgo doctrina de præſcientia Divina ad providentiam referri ſolet. **Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat, æternitate & immutabilitate tolli providentiam, aut in fatalem neceſſitatem converti. Qui enim ita ſentiunt, effectum præſcientiæ Numinis minime capiunt, & a vero toto, ut dicitur, cœlo aberrant.** Finge, obſecro, parentem, quamprimum infans naſcitur, præſcire omnia, quæ per totum vitæ tempus, quod exacte præcogni-

cognitum habeat, ipsi sint eventura, seu, si magis philosophice loqui ames, prævidere omnes circumstantias, in quibus infans per totum vitæ tempus successive sit constituendus. Quodsi jam simul decernit, quid facere in quocunque casu, & quomodo actiones ejus dirigere & conservationi ejusdem prospicere velit, ac deinceps hoc suum propositum, a quo, ut recedat, casu existente, nulla ratio ex improviso emergens suadere potest, continuo exequatur; nonne perinde fiunt omnia, ac si in dato demum casu inito consilio demum decernatur, quid fieri debeat, & decretum recens executioni mandetur. Sit ita, quosdam ex æternitate atque immutabilitate providentiæ Divinæ fatalem rerum necessitatem intulisse: An ergo veritati quicquam derogatur, quod quidam eam male capientes inde intulerint, quæ nulla consecutionis lege consequuntur? Ostendendum potius nullam esse consequentiam: id quod satis perspicuum est iis, qui superiora satis percepere, quæ de præscientia Divina, salva libertate humana, & de dependentia mundi a libero Dei decreto abunde demonstrata sunt. Si quis vero habetior fuerit, quam ut longam concatenatarum demonstrationum seriem capere possit, aut nimis impatiens, quam ut eam afferre velit attentionem, qua opus est; is agnoscat, suum non esse, ut statuat de rebus captum ejus transcendentibus, & fidem habeat illorum dictis, quibus veritatem profundam penitus inspicere datum est. Si qui fuerint philosophi acumine præditi, qui providentiam Divinam in fatalem rerum necessitatem converterunt; illi eandem ex immutabilitate & æternitate providentiæ Divinæ minime intulerunt, etsi nec ea concipi possit nisi æterna atque immutabilis, sed potius ex alio fonte error eorum profluxit, veluti juxta *Spinosam*, qui mundum per necessariam aliquam emanationem

ex Deo prodiisse finxit, sicque creationem, immo providentiam ipso opere subvertit & evertit.

§. 476.

Objectum providentiæ Divinæ.

Quod Deus rerum etiam viliſſimarum curam gerat, docet ipse Salvator noster disertis his verbis *Math.* X, 29.30.31. *Nonne duo passeres asse veneunt, & unus eorum non cadet humi sine Patre vestro? vestri vero capilli capitis omnes numerati sunt. Ne igitur timete: vos multis passeribus meliores estis (præstatis).* Christus discipulos suos convicturus, quod Deus eorum curam summam gerat, ita ut sine voluntate Dei ipsis nil obtingere possit, a minori ad majus argumentatus, passerum, immo capillorum capitis tanquam rerum viliſſimarum atque abjectiſſimarum mentionem facit. Christo igitur docente, rerum quarumvis vilium, quales passeres & capilli sunt, tantam curam gerit, ut nihil iisdem accidere possit, nisi ipso volente; Consequenter quod is ab æterno non decreverit. Immo hominis eam curam gerit, ut æterno isto decreto definitum sit, quodcunque ipsi per omne vitæ tempus accidere debeat, etiamsi tam vile atque abjectum æstimetur, ut ab ipso homine non curetur. Deus enim, qui ab æterno novit omnia (§. 169.), nostros quoque capillos numeravit, & in æterno isto ac immutabili decreto, quod providentiam salutamus (§. 472.), de singulis statuit, quid fieri debeat, ita ut nullum eorum evellatur, nisi eo præcise momento, quo Deus id fieri decrevit. Patet adeo providentiam Divinam, Christo Doctore, extendi ad omnia, ut nihil censeri possit adeo abjectum, quin providentiæ Divinæ subsit. Inculcat idem Jesus *Math.* VI, 25. sqq. ubi docet, Deum volatilibus prospicere de esca, cujus nulla ipsa tenet cura, & ipsummet curam gerere coloris florum atque graminum, ut certi evadamus, eundem quoque

que curam hominum gerere, ne desint cibus & vestimenta, quibus ad sui conservationem opus habent. Etenim si Deus rerum quarumvis tam animatarum, quam inanimatarum, ac hominum præsertim tanquam creaturæ omnium præstantissimæ in his terris curam gerit; **Hoc ipso universalitas providentiæ Divinæ patet, nec quicquam adeo vile censeri potest, ut eidem subducatur, seu objectum providentiæ est omne id, quod est ac fit in hoc universo, ita ut nil quicquam judicari debeat adeo abjectum, ad quod ea sese non extendat.**

§. 477.

Error refellitur, ususque agnitionis hujus veritatis indicatur.

Universalitas providentiæ Divinæ adeo obvia est, ut mirum videatur, qui fieri possit, ut a nonnullis in dubium evocetur. Apparet vero esse eos, qui de universalitate illius dubitant, a notionibus distinctis procul remotos, & judicium sibi sumere de rebus, quas per notiones confusas tanquam per transennam inspiciunt. Cum ipsis multa videantur adeo abjecta, ut eorum cura ipsos minime tangat; Deum, ens summum, multo magis fastidire debere colligunt, quæ exigui vel nullius usus videntur. Atat! **Christus universalitatem providentiæ Divinæ tanquam adeo manifestam supponit, ut a nemine in dubium vocari possit, qui animum advertit ad ea, quæ in mundo fiunt (§. 476.). Ex eo enim, quod Deus avium, florum atque graminum curam gerit, incredulitatem eorum redarguit, qui Deo providenti diffidunt.** *Math.* VI. 25. sqq. Ceterum universalitas

providentiæ Divinæ magnum pollicetur, immo maximum usum in moralibus, præsertim ubi de fiducia erga Deum, nec non de patientia agitur.

§. 478.

Universalitas decreti Divini.

Quoniam nihil censeri debet adeo abjectum, quod non subsit providentiæ Divinæ (§. 476.), providentia vero Divina decretum est de rebus conservandis ac gubernandis (§. 472. *& Theol. natur.* §. 922.); **nihil quoque adeo vile videri debet, cujus Deus non habuerit rationem, cum conservationem atque gubernationem hujus universi decerneret, & cujus conservationem, atque gubernationem non decreverit ab æterno** (§. 321.).

§. 479.

Ulterius idem explicatur, & ut errorem evitemus, media dantur.

Passerculus atque capilli capitis, de quibus Christus *Math.* X, 29. 30. loquitur, res viles æstimantur; de his vero affirmat, quod non sine voluntate Dei humi cadant, illi non sine eadem de capite decidant. Sed vi corollarii (§. 478.) Deus ab æterno decrevit, quod ipso illo momento, quo in terram cadunt, aut decidunt, in terram cadere, aut decidere debeant. Et quoniam de eorum conservatione statuit decreto suo æterno (§. 321.): Non interire possunt nisi eo ipso momento, quo interitum decrevit. Ceterum cum Deus malum morale solummodo permittere decreverit (§. 371.), nec ad actiones malas qua tales concurrat (§. 465.); Cavendum, ne decretum Divinum, quo rebus singulis providetur, in præjudicium Numinis interpretemur; Id quod facillime evitabitur, si, quæ de concursu Dei ad actiones malas dicta sunt, immo in genere de malo morali passim tradita, probe perpendantur.

§. 480.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0392
DFG

§. 480.

Numerus I. Quæ Deus de gubernatione rerum decrevit, ea pertinent ad providentiam Divinam. Etenim Deus rebus providet, easdem gubernando (§. 472.). Sed naturæ ordo & directio malorum ad bonos fines pertinet ad gubernationem universi (§. 470. & *Theol. natur.* §. 904.). Quamobrem **ordo naturæ, nec non directio malorum ad bonos fines pertinet ad providentiam Divinam.**

Ordo naturæ & permissio, nec non directio mali est providentiæ Divinæ.

Numerus II. Deus mala permittere decrevit (§. 373. 371.). Quodsi permissionem non decrevisset, nec de ejus directione ad bonos fines decernere quid potuisset. Quoniam itaque decretum de directione mali supponit decretum de permissione, & idem ad providentiam Divinam spectat *per demonstrata num. I.* **mali permissio non minus ad providentiam Divinam spectat.**

Cum providentia Divina plurimum influat in praxin, non inutile esse duximus, specialius quædam recenseri, quæ ad eandem spectant, ne demum per illationem opus sit eadem colligi iis, qui iisdem indigent in demonstrando, vel quorum cognitio animum subire debet in praxi. Quamobrem ea etiam tantummodo recensemus, quæ huic inserviunt.

§. 481.

Quoniam ordo naturæ pertinet ad providentiam Divinam (§. 480.), quæ vero in mundo adspectabili fiunt, secundum naturæ ordinem fiunt (*Cosmol.* §. 566.); **Quæcunque igitur naturaliter fiunt, secundum providentiam Divinam fiunt.**

Naturalia fiunt secundum providentiam.

Qui sibi persuadent tolli providentiam Divinam, si in mundo

mundo adſpectabili omnia fiant naturaliter, nec Deus actiones naturæ determinet aliter, quam quomodo vi eſſentiæ atque naturæ corporum conſequuntur (*Cosmol.* §. 509.); Illi providentiæ Divinæ & attributorum Dei, ſine quibus ea intelligi nequit, notionem non ſatis profunde ac decenter introſpiciunt. Condonandum hoc eſt vulgo, quod diſtincta rerum cognitione deſtituitur; ſed nec Theologo, nec Philoſopho, cujus rerum Divinarum cognitio a cognitione vulgi in eo differre debet, quod ſit diſtincta. Deus nimirum naturæ autor eſt, quæ agit ſecundum leges eidem præſcriptas (§. 461.), & violari neſcias (*Theol. natur.* §. 827.). Unde eſt, quod dudum affirmaverint & Theologi, & Philoſophi, Deum in gubernando hoc univerſo uti cauſis ſecundis, nimirum non defectu potentiæ, ſed vi ſapientiæ, cujus non minus, quam illius ſpeculum eſt (§. 457.).

§. 482.

Fata ſiniſtra, nec non fortuna providentiæ Divinæ ſubſunt.

Numerus I. Quoniam permiſſio mali & ejus directio ad bonos fines ad Divinam providentiam pertinent (§. 480. *Num. II. & I.*); **nihil nobis accidere poteſt mali, qualecunque tandem ſit, niſi Deo providente;** Adeoque cum Deus rebus prouideat ſapientia & bonitate ſua (*Theol. natur.* §. 928.), **ſecundum ſapientiam atque bonitatem ipſius.**

Numerus II. Quicquid naturaliter fit, providentiæ Divinæ eſt (§. 481.). Verum enim vero cum **fortuna** ſit concurſus cauſarum minime prævisus ad effectum homini vel bonum, vel malum (*Theol. natur.* §. 540.); Adeoque in numero cauſarum naturalium contineatur, quin naturaliter fiant, quæ fortuna eveniunt, dubitari nequit, modo iſtum concurſum per exempla tibi clare ac diſtincte repræſentave-

sentaveris. Quamobrem quod fortuna evenit, providentiæ Divinæ tribuendum; Adeoque & fortuna eidem subest.

Ex dictis itaque luculenter patet, quod providentia Divina extendatur ad maxima minima, ita ut nihil judicari possit adeo grave & magnum, nec adeo leve atque abjectum, quod eidem minime subsit (§. 476.). Ponamus Ex. gr. tibi ab alio unum evelli malo animo, vel decidere fortuito capillum: dubitandum minime est, Deum evulsionem hanc, aut hunc casum vi providentiæ permittere, & ad bonum quendam finem dirigere, quatenus vi sapientiæ ac bonitatis summæ saluti tuæ prospicere ab æterno decrevit. Etsi hoc admodum paradoxum videatur; rationi & revelationi tamen convenientissimum vi demonstrationum anteriorum. Quamobrem quoque dubio caret, quod rationes sapientiæ atque bonitati conformes deprehensurus sit, qui ad ea, vel ex malo leviſſimo, vel ex fortuna consequuntur, animum advertit in perscrutanda rerum mutua a se invicem dependentia, acumine sufficiente usus. Ceterum, quæ hucusque per consequentias ex sacro codice demonstravimus, ex locis ejusdem, quia exemplis ea abundat, satis prolixe demonstrare potuissemus, maluimus tamen attentionem Benevoli Lectoris excitare, acuminique ipsius, dum ista in S. S. legit, perpendenda relinquere, quam magnum quorundam voluminum conscribendorum campum ingredi. Atat! modo unum attulimus exemplum, ut non exercitatus & hebes habeat regulam hujus applicationis; plura non addimus, ne acutus nauseam in prolixitate inveniat, habeatque uterque, quod jure desiderare possit.

§. 483.

Cum Deus decernat, quod ipsum decet (§. 341.); Consequen- *Modus providendi.*

sequenter cujus in attributis ipsius continetur ratio, cur hoc potius decernat, quam aliud (§. 272.), sit vero sapientissimus (§. 401.), ac summe bonus (§. 415.); Si hodie demum attentus ad ea, quæ fiunt, quidpiam decerneret, non sane aliud decernere posset, quam quod salva ipsius sapientia atque bonitate decerni poterat. Quamobrem cum salva sua sapientia impedire nequeat, ne homo in mala physica ac moralia ruat (§. 425. 426.), nec bonitati ipsius repugnet, quod idem fieri permittat (§. 430.); Si hodie demum quid decerneret, hoc tamen non obstante, non impediret, quo minus homo in mala physica & moralia rueret. Quoniam tamen bonitatis Divinæ est mala dirigere ad bonum finem (§. 433), & physica immittere, ut adversus malum morale præmuniatur, vel ab eodem desistat (*Theol. natur.* §. 734.), vel ut immittat malum physicum minus, vel etiam permittat morale minus, quo majus avertatur (*Theol. natur.* §. 735.): Quin Deus hodie demum quid decernens hoc, nec non mali permissionem atque eandem directionem decerneret, dubitari nequit. Immo cum vi sapientiæ summæ omnia referre debeat ad finem ultimum, & per modum medii subordinare fini ultimo (§. 401. *& Psychol. ration.* §. 689.); Si quid hodie demum decerneret, non aliud decernere poterat, quam quod se habet per modum medii ad finem ultimum tendentis. Jam Deus æterno suo decreto, quo providentia omnis continetur (§. 472.), omnia in hoc universo sapienter, immo sapientissime decrevit (*Theol. natur.* §. 643.), & enti cuicunque tantundem statuit conferre boni, quantum sapientia ipsius salva fieri potest (§. 440.); Consequenter bonitati suæ convenienter decrevit (*Theol. natur.* §. 697.), ut ideo rebus singulis, qualescunque tandem fuerint (§. 478.), sapientia ac bonitate sua provideat (*Theol. natur.* §. 928.). Mala physica non decrevit, quatenus talia

lia sunt (*Theol. natur.* §. 566.); nec in relatione ad partes (*Theol. natur.* §. 565.); Sed potius ad totum universum (*Theol. natur.* §. 563.), & moralia tantummodo permittere statuit (§. 371.), quatenus abusu libertatis irrepunt in actiones liberas (*Theol. natur.* §. 580.), utrique in hac rerum serie faciens locum, quatenus salva sapientia summa tolli nequeunt (*Theol. natur.* §. 676.), & mala tam physica, quam moralia dirigit ad bonum finem (§. 405.). Denique æterno suo decreto, quo providentia continetur (§. 472.), nihil eorum, quæ fiunt in mundo, absolute spectatum decrevit, sed in relatione ad totum (§. 343.), non constituens fines particulares nisi in relatione ad finem totius mundi (§. 393. *num. I.*). Quamobrem si Deus hodie demum ad ea, quæ singulis momentis fiunt in universo, attenderet, ac inito consilio statueret, quid facere aut permittere velit; Non aliud quidquam decernere posset, quam quod decrevit ab æterno. Quoniam itaque æternum istud ac immutabile decretum providentia Divina est (§. 472. 474.); **Deus utique rebus singulis in hoc universo ita providet, ac si ad ea, quæ fiunt, attentus, hodie demum decerneret, quid fieri debeat, seu quid facere aut permittere velit.**

§. 484.

Difficile est, immo difficillimum plurimis concipere, quomodo Deus omnia decernere potuerit ab æterno, salva libertate hominum, cum tamen providenti tribuatur, quod ob actiones naturales decernat eventus in mundo materiali. *Errores refelluntur.* Inde est, quod alii **libertatem in agendo negent; ac fatali cuidam necessitati omnia subjiciant, providentiam Divinam in eam convertentes: alii ve-**

ro decreta particularia in tempore demum facta defendant, juxta quæ Deus causas secundas ad actiones determinet ex essentiis ac natura earundem minime secuturas, providentiam Divinam contingentium tollentes, & naturale cum supernaturali confundentes, aut præternaturale quoddam fingentes, quod sit inter naturale & miraculosum quasi intermedium. Error prior praxi nocet; posterior theoriæ. Etenim si inevitabili fato subjiciuntur omnia, ad male agendum proclives se satis excusatos arbitrantur, quod aliter agere non possint, & tanto evadunt audaciores, quanto certius esse existimant, evitare non posse, quod est in fatis, juxta illud vulgare: *quod volunt fata, non tollunt vota.* Etsi error non noceat semper; nocere tamen potest sæpius, nempe ubi non agitur de evitando periculo manifesto imminente, sed de bono aliquo obtinendo, aut cupiditatibus explendis. Quodsi vero decreta temporaria fingas, quibus convenienter Deus determinet actiones, quarum sufficiens ratio non continetur in essentiis ac natura rerum, naturæ ordo continuo a Deo turbatur, & ipsa mundi perfectio nulla est, quippe qui comparandus venit horologio continuis aberrationibus obnoxio, ut index singulis fere momentis vel sit promovendus, vel retrogendus. Praxi autem iste error magis favet, quam nocet, ubi quis fuerit hebetior, quam ut capere possit, quomodo cum præscientia Divina & futurorum contingentium determinata veritate ab æterno libertas hominis in agendo consistere possit. Unde videas vulgum non aliter sentire, quam quod Deus ad ipsorum actiones attendat, & his convenienter decernat, quid in mundo materiali fieri velit, & tam cau-

sas secundas necessarias, quam liberas juxta istud decretum determinet, ut eidem convenienter agant, quod alias non egissent. Quoniam itaque hebetioribus difficulter persuadeas gubernationem rerum omnium Divinam, errore isto sublato; Ideo libuit veritatem hanc demonstrare (§. 483.), ut appareat, errorem tolerandum esse in iis, qui veritatem capere nequeunt. Qui vero hanc capere voluerit, ei probe perpendenda veniunt, quæ de præscibilitate rerum omnium, ipsarum etiam actionum liberarum hominis, in superioribus evidenter demonstrata sunt. Ita enim cum præscientia Divina libertatem humanam, & cum libertate ordinem naturæ ac totius universi perfectionem consistere deprehendet, nec quicquam sumendum erit, quod nullo experimento confirmari, multo minus demonstrari possit; **Et hoc modo uterque ab errore suo liberatur.**

§. 485.

Deus in quolibet minimo, quod est in universo, cognoscit totum universum (§. 239. *num.* VII. 169. 170.), distincte prorsus citra ullam confusionem (§. 169.), ac intuitive, quemadmodum nos præsentia intuemur, etsi pro modulo aciei visus. Verum enim vero entis compositi contingentis; Adeoque corporis cujuscunque (*Cosmol.* §. 119.), existentia ejusdemque modi determinantur per mundum integrum (*Cosmol.* §. 87.); & si contingens unum, quod in mundo contingere debet, mutari ponatur in contrarium, vel in seriem rerum aliquid intrudi supponatur, cujus actus per præcedentia non determinatur; Sequens mundi pars non amplius erit eadem, quæ alias futura erat (*Cosmol.* §. 116.). Quoniam itaque sequentia dependent a præteritis omnibus, & futura simul a quolibet præsente (*Theol. natur.* §. 228.), usus vero in dependentia actualitatis rei cujusdam alterius, quæ mala

Diversitas judicii Dei a nostro de usu rerum.

non est, ab aliqua re consistit (*Theol. natur.* §. 646.); Usus rei cujuslibet in hoc universo sese extendit ad omnia in tota rerum serie sequentia. Omnem igitur usum, quem habet in serie rerum unumquodque in determinando actu sequentium, sive propinquum, sive quocunque intervallo remotum, Deus distinctissime cognoscit ac intuitive. De usu adeo rerum judicat in relatione ad totum universum. Enimvero nemo nescit, nos in usu rerum immediato acquiescere, immo ne hunc quidem attingere; Consequenter exigui usus æstimare, quorum usus immediatus non magni momenti est, & nullius usus reputare, quorum nullum respicere valemus, aliter prorsus judicaturos, siquidem ad modum Divinæ mentis aciei integrum rerum nexum intuitive pervestigare daretur. Quamobrem **Diversitas judicii nostri ac Dei de usu rerum in eo consistit, quod quæ sunt exigui usus nostro, talia non sint Dei judicio.**

§. 486.

Veritas hæc corroboratur, ejusque usus indicatur.

Rebus pretium decernimus ex usu, quem præbent: immo plurimi res æstimare solent nisi ex usu, quem sibi præbent. Unde iis abjecta atque vilia videntur, quæ exiguum aut nullum usum habere judicantur, saltem quæ nobis nulli usui sunt, in pretio vero habentur, quorum multum ac magnum experimur usum. Vides itaque Deo non videri vilia & abjecta; Ideoque contemnenda, quæ nostro judicio talia habentur, etsi supponas eundem quoque rerum pretium statuere ex usu, quem largiuntur aliis. Qui machinarum notiones prorsus distinctas habent, iis non deerit idea exemplaris, qua lux affunditur propositioni huic captu difficillimæ hebetioribus. Etenim sunt subinde partes quædam exiguæ, quas mechanismi imperiti abesse posse existimant, salva machina, non agnoscentes usum immediatum,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0400
DFG

tum, nedum mediatum, quem habent. Has abjectas judicat imperitus Mechanicæ; sed longe aliter sentit Mechanicus, cui operis sui adest idea distincta, qua omnem usum mediatum per totam machinam sese diffundentem perspicit. Ceterum hæc propositio probe rimanda, ne indigna videatur Deo rerum minimarum cura: Qua negata aut in dubium vocata, proclivis est ad omnem prorsus providentiam Divinam negandam lapsus.

§. 487.

Dominium Deo tribuendum.

Apud *Jeremiam* XVIII. 3. 4. 5. 6. ex versione *Junii* & *Tremellii* hæc leguntur verba. *Descendi itaque* (in) *domum figuli, ubi ecce is faciebat opus in suis sellis. Quumque corrumperetur vas illud, quod ipse faciebat ex argilla, in manu figuli; iterum ex ea fecit vas alterum, quemadmodum rectum visum est in oculis ipsius figuli facere. Tum fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo; An sicut figulus iste non possem facere vobis, ô domus Israëlis? dictum Jehovæ: Ecce ut argilla in manu figuli, ita vos* (estis) *in manu mea, ô domus Israëlis!* Ubi Deus ipse per Prophetam jus suum in hominem comparat cum jure figuli in vasa sua. Quemadmodum nimirum figulus ex luto suo pro suo arbitrio vas facit, & de eodem pro arbitrio itidem suo disponit; Ita etiam Deus fecit hominem, qualem voluit, nec non de eo disponit, quemadmodum sibi videtur. Jus figuli in vasa sua, ex mente Dei per Prophetam, est jus pro arbitrio suo disponendi de eodem, seu de ejus substantia & usu. Cum vero hoc ipsum jus, communi loquendi usui conformiter cum *Cl. Wolfio* (*Theol. natur.* §. 959.), Dominium salutemus; Jus figuli in vasa sua dominium, ex mente ipsius Dei, est. Quamobrem jus Dei in homines erit quoque dominium plenum in toto homine, immo omnibus hominibus,

nibus, ſive in prima ſtatim creatione fuerint facti, ſive hodie demum generentur, quo de eorum ſubſtantia & uſu tam ſimplici, quam cum fructu conjunctus, ſi talis dari poſſit, pro arbitrio ſuo diſponere poteſt.

Quod vero jus Deo competit in hominibus, idem etiam ipſi in rebus ceteris omnibus competit. Etenim jus figuli oritur ex eo, quod vas fecerit ex luto ſuo, de quo pro arbitrio ſuo diſponere valet, ita ut nemini rationem reddere teneatur, cur tale potius vas faciat, quam aliud. Conſtat vero Deum omnia feciſſe ex nihilo (§. 443.), & eſſe in agendo independentem ab omni ente alio (§. 308.), ita ut nullum extiterit ens, cui rationem reddere teneretur, cur has potius res produxerit, quam alias, atque liberrime conſtituiſſe hunc rerum ordinem, ita ut nemini integrum fuerit alium potius, quam hunc requirere (§. 457. 445. *num. I.*). Quamobrem eadem eſt origo juris in res creatas omnes, quæ ſunt in hoc univerſo, ac eſt juris in homines. Cum igitur jus in homines ſit dominium plenum, ſive illi in prima ſtatim creatione facti, ſive hodie demum generentur *per modo demonſtrata;* Deo etiam tribuendum eſt dominium in rebus ceteris omnibus, ſeu in toto univerſo ac natura rerum, nec non omnibus, quæ in illo ſunt, ſive in prima ſtatim creatione fuerint facta, ſive hodie demum generentur, aut quomodocunque a natura rerum producantur, idque plenum, quo pro arbitrio ſuo de eorum ſubſtantia, uſu atque fructu diſponere poteſt.

§. 488.

Cur id Deo tribuendum. Ex demonſtratione hujus propoſitionis patet, Deo competere

tetere dominium in creaturis promiscue omnibus propter creationem atque conservationem. Etenim uterque actus, qui non est nisi unus idemque actus continuatus (§. 459.), nihil continet, ex quo alteri cuidam enti facultas quædam disponendi de aliqua creatura pro arbitrio suo competat; Adeoque omnis dispositio Deo soli convenit, ita ut ipsius solius sit de rebus ipsis, pro liberrima sua voluntate decernere, quod placuerit. Nemo non sanus agnoscit opus esse artificis, quod ex materia sua pro liberrima sua voluntate fecit, sibique plenum tribuit in eo dominium, non alia de causa, quam quod nulla ne quidem fingi possit ratio, cur alteri cuidam concedenda sit facultas de eodem ullo modo pro suo arbitrio disponendi; Consequenter jus quoddam in ipsum tribui queat: Facultas enim agendi moralis Jus dici solet (*Theol. natur.* §. 954.). Quamobrem cum sine ratione sufficiente nil esse possit (*Ontol.* §. 70.), nec jus aliquod alteri in opus artificis tribuitur. Quæ igitur valent de artifice, opus quoddam proprio motu ex materia sua faciente, eadem quoque valere debent de Deo, omnia ex nihilo creante (§. 443.) ac conservante, ne in nihilum recidant (§. 459.); Adeoque non influente ullo modo in opus ipsius, in quod alteri jus aliquod competat. Dominium adeo plenum in creaturis omnibus tribuendum est Deo, nec quicquam, quod extra Deum datur, fingi potest, quod dominio ejus eximi possit vel ulla rationis specie: Unde luculenter patet, quod simile, quo Deus utitur ad jus suum in creaturas illustrandum, & per id probandum, ideam exemplarem dominii suppeditet, cui creatura omnis subjiciatur; probe adeo perpendendum, ne quid obscuritatis circa doctrinam maximi momenti supersit. Ceterum ex hoc iterum luce meridiana clarius est, quam solidus atque profundus sit sensus sacrarum literarum,

ita ut, quo magis quis eum acute eruere possit, eo magis propterea in admirationem summa cum veneratione rapitur.

§. 489.

Deus omnium creaturarum Dominus est.

Inter nomina, quibus Deus in S. S. insignitur, reperitur & illud אדני *dominus* veluti *Exodi* XXXIV. 9. *Numer.* XIV. 17. & centies alibi in Veteri Testamento, nec non eidem respondens Græcum Κύριος in Novo fœdere, veluti *Math.* XXII. 44. *Math.* XI. 25. *Actorum* XVII. 24. & toties alibi. Et Deus *Psalmo* CXXXVI. 3. sqq. appellatur אדני האדנים *Dominus dominorum, eum qui fecit mirabilia magna solus. Qui fecit cœlos intelligentia, qui expandit terram super aquas, qui fecit lumina magna, solem & lunam &c.* Adeoque Deus dicitur Dominus ab operibus ab ipso creatis; Consequenter eadem de causa, qua sibi dominium in res creatas competere, probavit (§. 488.). Verum enim vero Deo competit dominium naturæ universæ, totiusque mundi ac omnium, quæ in eo sunt, sive in prima creatione fuerint facta, sive hodie demum generentur, aut quomodocunque a natura producantur (§. 487.); Consequenter toties, quoties Deus אדני atque Κύριος nominatur, prædicatur, quod sit Dominus, cui dominium in omnes res præter eum existentes competat, seu eum esse dominum universæ naturæ, totiusque mundi ac omnium, quæ in eo sunt, sive ea in prima rerum creatione fuerint facta, sive hodie demum generentur, aut quomodocunque a natura producantur.

Quoniam nullus dubitabit animalia viventia, angelos atque homines existere. Quicquid vero existit præter Deum, in

in id eidem dominium competit, seu Deus Dominus ejus est *per demonstrata;* **Deus utique Dominus est omnium rerum præter eum existentium, seu creaturarum (§. 449.), ac in specie omnium animantium, angelorum, nec non hominum.**

Unde apparet, Deum recte dici dominum absolute κατ' ἐξοχήν ipsiusque dominium per nomina אדני ac Κύριος exprimi, indeque illa jure meritoque accenseri reliquis nominibus Divinis. Neque enim alius est præter solum Deum, qui tam augusto nomine Dominus ἐν ἐμφάσει dici possit.

§. 490.

Moses Josuæ I. 1. 2. *servus Dei* appellatur. *Paulus Rom.* I. 1. *se servum JEsu Christi* salutat. Quod hic **servus** eo sensu dicatur, quo quis in alterius dominio esse, intelligitur, summus Philosophus *Cl. Wolfius* uberius atque profundissime demonstravit *in horis suis subsecivis anni* 1730. *trimestri æstivo pag.* 552. sqq. Quamobrem cum Deus omnium omnino hominum Dominus sit (§. 489.); Cujus dominio illi omnes subjiciuntur (§. *citato.*), & servus in sacro codice salutandus, qui in alterius dominio est *per demonstrata;* **Homines omnino omnes sunt servi Dei, quia in ejus dominio sunt.** *Homines servi Dei.*

Notionem servi *Cl. Wolfius in horis subsecivis l. c.* optime deduxit ex jure Romano, ubi de servitute agitur, personali scilicet. Et hinc apud JCtos Romanos servi in numero rerum sunt, quemadmodum pecora. Apud nos sublata est servitus, nec famuli nostri in servorum numerum referendi. Qui vero historias Turcarum, aliarumque Asiæ, Africæque gentium legit, is reperiet, apud illas dari servos, quos vernaculo idiomate **Sclaven** appellamus, qui sensu

proprio servi appellandi veniunt. Ceterum evidens est, ipsos quoque Principes, immo Reges servos esse Dei, quatenus spectantur tanquam homines eodem prorsus sensu, quo eorum subditi servi Dei sunt. Dominium enim Dei cum universale sit, totum etiam genus humanum, nemine excepto, in servitute Divina constituitur. Hæc bene animadvertere velim, quoniam notio hæc servi Dei magni est momenti, nec non imprimis in Ethica Christiana maximum pollicetur usum.

§. 491.

Cur homo actiones liberas secundum voluntatem Dei determinare debeat.

Homo propterea Dei servus est, quod in dominio ejus sit (§. 490.). Quamobrem cum dominium tribuat jus disponendi pro arbitrio de usu rei (§. 487.); Deo quoque competit jus disponendi pro suo arbitrio de omni hominis usu, quem habere potest; Consequenter quoque de liberis ejus actionibus, quatenus scilicet ab iis pendet, quod vult, quod ex definitione usus rei (*Theol. natur.* §. 646.) evidens est. Patet itaque **necesse esse, ut homo actiones suas liberas determinet non ad sui, sed ad Dei arbitrium, seu quemadmodum Deus vult.**

Quodsi Deus vellet, ut homo actiones quasdam suo arbitratu determinaret, quin id faceret recte, dubitandum non est. Etenim sic quoque eas determinaret, quemadmodum vult, propterea quod contra voluntatem alterius non agitur, ubi is agenti liberum relinquit, quid facere velit. Quodsi Dominus liberum relinquit servo, quid facere velit; Ecquis contendere valet, quod contra voluntatem ejus faciat, si facit, quod vult? Verum enim vero si liberum non relinquit, servi est in omnibus facere voluntatem domini, nec quicquam facere potest, nisi constiterit velle eum, ut

hoc

hoc faciat. Qui hæc probe perpendit, ab inanibus exceptionibus abstinebit atque ab errandi periculo tutus est.

§. 492.

Quoniam homo actiones suas liberas secundum Dei, & non suam voluntatem determinare debet (§. 491.); **voluntas Dei ipsi esse debet loco propriæ voluntatis, seu voluntatem propriam abnegare debet.** *Voluntatis propriæ abnegatio.*

Etsi itaque homo libera voluntate gaudeat, ut velle possit, quod lubet; ita tamen agere debet, ac si libertate voluntatis careret, quasi per essentiam atque naturam suam perinde ac corpora, agentia necessaria, ad agendum, quod Deus vult, determinatus esset (*Theol. natur.* §. 969.). Atque hinc patet, **quod abnegatio voluntatis propriæ sit propositum firmum nil quicquam agendi, nisi quod voluntati Divinæ conforme.** Ita enim non agimus, quod nobis lubet, parum solliciti quid fieri velit, quasi propria voluntate destitueremur, Deique voluntas nostra esset. Ceterum, qui & hoc bene intelligit, ab erroris periculo liber est, imprimis cum simul sciat, necessitatem agendi secundum Dei voluntatem, esse moralem, minime vero physicam necessitatem.

§. 493.

Numerus I. Homo actiones suas liberas determinare debet non pro suo arbitrio, aut necesse est, ut eas determinet, quemadmodum Deus vult (§. 491.), estque hæc necessitas agendi secundum Dei voluntatem moralis, non physica (§. 492. & *Theol. natur.* §. 972.). Quamobrem cum moralis agendi necessitas sit **passiva obligatio** (*Theol. natur.* §. 973.); **Homo obligatus est ad actiones liberas** *Obligatio hominis qualis.*

ras non ex ſuo arbitratu, ſed ſecundum voluntatem Dei determinandas.

Numerus II. Homo obligatur ad actiones liberas juxta Dei voluntatem determinandas *per demonſtrata num.* I. Vult autem Deus, ut homo actiones ſuas dirigat ad perfectionem ſui, ſtatusque ſui (*Theol. natur.* §. 905.), atque hominum aliorum, ſtatusque eorundem (*Theol. natur.* §. 909.), immo ad perfectionem totius univerſi (*Theol. natur.* §. 920.). Obligatur itaque homo ad actiones liberas ad ſui, ſtatusque ſui, ac aliorum hominum, ſtatusque eorundem, immo ad perfectionem totius univerſi dirigendas.

Numerus III. Obligamur ad actiones liberas juxta voluntatem Dei determinandas *per demonſtrata num. I.* Quamobrem cum Deus velit, ut eas determinet homo per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales (*Theol. natur.* §. 915.); Homo utique obligatur ad actiones ſuas liberas per easdem rationes finales determinandas, per quas determinantur naturales.

Numerus IV. Cum directio actionum liberarum ad manifeſtationem gloriæ Divinæ ſit voluntati ejusdem conformis (*Theol. natur.* §. 918.); Obligamur vero ad easdem voluntati Divinæ conformandas; *per demonſtrata num.* I. itidem evidens eſt, quod homo obligetur ad actiones ſuas liberas ad gloriæ Divinæ manifeſtationem dirigendas.

Numerus V. Obligatur homo ad actiones liberas non ſuo arbitratu, ſed Dei voluntate determinandas *per demonſtrata num. I.* Quamobrem ſi Deus vult, actiones quasdam non committi, adeoque omitti, quin homo ad eas omit-

-tendas

tendas obligetur, dubitandum non est. **Obligatur itaque ad omittendas actiones, quæ voluntati Divinæ contrariantur.**

Numerus VI. Homo obligatur ad actiones liberas non suo arbitratu, sed secundum voluntatem Dei determinandas *per demonstrata num. I.* Quoniam itaque obligatur ad committendas actiones, quas committi vult Deus; & ex adverso ad omittendas actiones, quas omitti vult Deus: Fieri non potest, ut ipsi integrum sit, seu permissum omittere actiones, quas Deus vult committi, seu quæ voluntati ejusdem conformes sunt, & ex adverso committere actiones, quas omitti vult Deus; Consequenter quæ voluntati ipsius contrarientur. Patet adeo **Hominem obligari ad non omittendas actiones voluntati Divinæ conformes, & ad non committendas voluntati Divinæ contrarias.**

Numerus VII. Homo obligatur ad determinandum actiones suas liberas per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales *per demonstrata num. III.*; Adeoque ipsi liberum non est eas determinare per rationes ab his diversas, per quas naturales determinantur; Consequenter necesse est, ut eas per diversas non determinet. Quoniam hæc necessitas physica non est, sed moralis (§. 492. & *Theol. natur.* §. 972.); Adeoque obligatio passiva (*Theol. natur.* §. 973.); **Homo utique obligatur ad non determinandum actiones suas liberas per rationes finales diversas ab iis, per quas naturales determinantur.**

Numerus VIII. Obligatur homo dirigere actiones suas ad manifestationem gloriæ Divinæ *per demonstrata num.* IV. Quamobrem cum per actionum liberarum determinationem

tionem gloriam Divinam aliter manifestare nequeat, quam si attributa Divina sint motiva illarum (*Theol. natur.* §. 919.); Homini integrum non est, ut motiva ab attributis Divinis desumta omittat. Adest igitur moralis quædam necessitas non omittendi motiva ab attributis Divinis desumenda (§. 492. *&* *Theol. natur.* §. 972.): Quæ cum sit obligatio passiva (*Theol. natur.* §. 973.); **Homo obligatur ad non omittendum in actionibus liberis determinandis motiva ab attributis Divinis desumenda.**

Numerus IX. Deo competit dominium plenum in hominibus (§. 487.), quod cum in ipsa Dei essentia atque natura rationem sui agnoscat, quemadmodum ex resolutione demonstrationis, qua dominium universale ipsi asseritur (§. 489.), facile patet; Inter attributa Dei utique communicandum venit. Quoniam itaque obligatur ad non omittendum motiva ab attributis Divinis desumenda, *per demonstrata num.* VIII. **omnino etiam obligatur ad non omittendum motiva, quæ desumuntur in specie a dominio Dei in hominibus.**

Numerus X. Homo obligatur ad omittendas actiones, quæ voluntati Divinæ contrariantur, *per demonstrata num.* V. Verum enim vero cum directio ad sui, statusque sui atque ad aliorum, statusque eorundem perfectionem sit voluntati Divinæ conformis, *per demonstrata num.* II. Ideo directio actionum ad hominum aliorum statusque eorundem non minus, quam ad sui, statusque sui imperfectionem voluntati Divinæ contrariatur, ita ut eidem repugnet, si quis sui, statusque sui perfectionem promoveat cum imperfectione aliorum, statusque eorundem (*Theol. natur.* §. 911.). Quamobrem **Homo utique obligatur ad omittendas actiones,**

actiones, quæ tendunt ad ſui, ſtatusque ſui, nec non hominum, quorumvis, ſtatusque eorundem imperfectionem.

Atque ita intelligitur qualis ſit obligatio hominis ſecundum quam actiones ſuas liberas dirigere debeat, quæ fluit ex jure Dei in hominem, ſeu obligatio paſſiva. Quomodo autem Deus eundem ſibi obliget, ex notione obligationis activæ in jam ſequentibus demonſtrabitur.

§. 494.

Quod Deus homines obliget ad actiones ſuas juxta voluntatem ipſius determinandas.

Ita Deus per Moſen *Exodi* XX, 5. 6. loquitur. *Ne incurves te* (honorem exhibeas) *eis, neque colas ea: nam ego, Jehova Deus tuus, fortis* (Deus) *Zelotes* (ſum), *viſitans iniquitatem patrum in filios, in nepotes, & in abnepotes, in eos, qui odio proſequuntur me. Exercens vero benignitatem in milleſimos, qui diligunt me, & qui obſervant mandata mea.* Ex his luculenter patet, Deum mala phyſica comminari præcepta ſua transgredientibus; bona autem polliceri iis, qui eadem cuſtodiunt. Non opus eſt, ut prolixa interpretatione malorum phyſicorum comminationem atque bonorum phyſicorum promiſſionem in verbis iſtis S. literarum contineri evincamus: Etenim cum iſtiusmodi comminationum ac promiſſionum plena ſit S. S., in quibus exempla ſpecialia afferuntur aperte loquentia, quod Deus immittere decreverit mala phyſica ſua præcepta transgredientibus, bona e contrario phyſica eadem cuſtodientibus, non opus eſſe arbitror, ut in re adeo manifeſta & a nemine in dubium vocata, qui in lectione ſacri codicis peregrinus ac hospes non eſt, ſimus prolixiores. Verum enim vero cum mala phyſica actiones voluntati Divinæ con-

trarias consequantur, Deo decernente; hoc ipso repræsentantur tanquam malæ. Et quia bona physica sequuntur actiones voluntati Divinæ conformes, Deo itidem decernente, eo ipso agenti repræsentantur tanquam bonæ. Quoniam itaque boni atque mali repræsentationes motiva sunt, boni nimirum repræsentationes motiva volitionis, repræsentationes mali motiva nolitionis (*Psychol. empir.* §. 890.); Deus liberrime utraque decernens (§. 327.), autoritate S. paginarum, motiva cum actionibus liberis connectit. Quamobrem cum hominem obliget, dum motiva cum actionibus ejus liberis connectit (*Theol. nat.* §. 973.); **Deus hominem obligat ad agenda & non agenda, seu hominem obligat ad actiones non suo arbitratu, sed juxta voluntatem ipsius determinandas.**

§. 495.

Quæ hic notanda.

Quodsi prolixius esse liceret, explicanda imprimis esset phrasis, *visitare iniquitatem in aliquo*, ut dilucide constaret visitationem istam in immissione malorum physicorum consistere, istiusmodi præsertim, quæ ex actione non necessario consequuntur; sed potius casu quodam infortunato vi nexus scilicet rerum in hoc universo, a Deo liberrime facti, quatenus ob convenientiam quoque nexus mali physici cum morali hanc potius rerum seriem, quam aliam perducere ad actum maluit Deus, justitiam suam fini suo ultimo convenienter demonstraturus. Consimiliter explicari debeat, quid sit *benignitatem exercere (benefacere) iis, qui mandata observant*, ut non minus eluceseeret, benefacta ista consistere In immissione bonorum physicorum, istiusmodi imprimis, quæ ex actionibus non necessario consequuntur; sed

sed potius contingenter easdem excipiunt, denuo vi nexus rerum a Deo liberrime producti, quatenus is ob convenientiam quoque nexus boni physici cum morali hanc rerum seriem producere maluit justitiam suam demonstraturus. Sed horum omnium uberiorem discussionem, tanquam veritatum, quæ per ante demonstrata satis patent, supervacaneam esse censemus. Equidem loci S. S., quo ad probandam hanc veritatem utimur, interpretatio præcipue exigit, ut doceatur, quomodo Deus puniat ob male facta parentes in liberis, ita tamem ut liberi non ideo dicendi sint puniri ob facta aliena, hoc est, ut mala physica ob malefacta parentum liberis immissa rationem pœnæ habeant quoad parentes, non vero quoad liberos; sed ea non sunt hujus loci, nec, defectu quorundam principiorum, quæ ante stabiliri debebant, demonstrari queunt, ut adeo consultius sit demonstrationem reservari suo loco, ubi non deerimus nostro officio, ut demonstrationem hanc ingrediamur & conficiamus. Ceterum notari meretur, hac obligatione activa Dei validam fieri obligationem hominis passivam, cum sine ista hæc nulla detur.

§. 496.

Obligatio Divina quo tendat.

Quoniam Deus homines obligat ad actiones suas non suo arbitratu, sed juxta voluntatem ipsius determinandas (§. 495.); Vult autem, ut actiones suas dirigat ad sui, statusque sui & aliorum hominum, statusque eorundem, immo totius universi perfectionem (§. 493. *num.* II.), nec non ad manifestationem gloriæ suæ (§. 493. *num.* IV.); Homines quoque obligat ad dirigendas actiones suas ad sui & aliorum, statusque sui ac aliorum, immo totius

tius universi perfectionem, nec non gloriæ Divinæ manifestationem; Consequenter etiam ad omittendas actiones, quæ tendunt ad sui ac aliorum, statusque sui atque aliorum imperfectionem (*part.* I. *Jur. nat.* §. 722), & ad non omittenda motiva ab ipsius attributis desumenda.

§. 497.

Quænam Deus circa actionum liberarum directionem præcipiat,

Christus *Math.* V, 48. liberarum actionum directionem præcepturus: Ἔσεσθε ἓν ὑμεῖς τέλειοι, ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τέλειος ἐστι: *Estote*, inquit, *igitur vos perfecti, sicuti pater vester, qui in cœlis, perfectus est.* Supra demonstravimus (§. 272.), quod Deus nihil velit, nisi id ipsum deceat, quatenus in iis, quæ ipsi insunt, seu in essentia vel attributis ipsius aliqua continetur ratio, cur hoc potuis velle debeat, quam aliud; Ex mente quoque S. literarum dicendum est, Deum ita determinare actiones suas liberas, ut per attributa ipsius intelligi possit, cur hoc potius agere voluerit, quam aliud (*Ontol.* §. 56.). Atque adeo liberæ Dei actiones consentiunt cum essentia atque attributis ejus; Consequenter ad perfectionem Dei pertinent (*Ontol.* §. 503.). Quodsi ergo, Christo Doctore, in determinandis actionibus liberis Deum imitari debemus; Rationes earum quoque ab essentia ac natura nostra desumere debemus, aut si mavis, ab iis, quæ necessario nobis insunt; Consequenter cum actiones naturales ex essentia atque natura rei necessario consequantur (*Theol. natur.* §. 913.), liberæ etiam per easdem rationes determinandæ sunt, per quas naturales determinantur, veluti quæ corpus respiciunt, per corporis conservationem, ad quam tendunt omnes functiones

ctiones organorum vitalium corporis. Verum enim vero si actiones liberæ cum naturalibus per easdem rationes finales determinantur, ad perfectionem nostram, statusque nostri tendunt (*Theol. natur.* §. 914.). **Christo Doctore, actiones liberæ dirigendæ sunt ad nostri ac status nostri perfectionem, eodem prorsus modo, quo Deus hanc actionum directionem præcepit.**

Ad perfectionem, quam Christus nobis præcepit, disertis verbis etiam requirit amorem inimicorum, & beneficia in eos conferenda: *versu* enim 44. ita ait: *Ego vero dico vobis, diligite inimicos vestros, benedicite eis, qui devovent vos, & precamini pro iis, qui vobis infesti sunt, & persequuntur vos.* Quid? quod *Math.* XIX, 19. inquit: *diliges proximum tuum ut te ipsum.* Præcipit itaque proximum, hoc est, hominem promiscue omnem, diligere tanquam nosmetipsos. Qui alterum amat, tanquam seipsum, ex ejus felicitate eandem percipit voluptatem, quam ex propria percipere potest (*Psychol. empir.* §. 633.). Vult igitur Christus, ut ex hominum aliorum felicitate, etiamsi inimico in nos sint animo, nos devoveant, aut nobis infesti sint, eandem voluptatem percipiamus, quam ex propria percipere solemus. Quoniam igitur eadem nobis esse debet cura aliorum hominum, ipsorum etiam inimicorum, quæ propriæ salutis; Quin quoad alios liberas nostras actiones eodem dirigere modo debeamus, quo eas quoad nos dirigere tenemur, dubitandum non est. Enimvero Christo Doctore actiones nostræ dirigendæ sunt ad nostri, statusque nostri perfectionem *per demonstrata.* **Eodem igitur Do-**

ctore omnes noſtræ actiones liberæ dirigendæ ſunt ad noſtri, ſtatusque noſtri, nec non aliorum quorumvis, ne inimicis quidem exceptis, hominum, ſtatusque eorundem perfectionem, & cum Deus velit, & nos obliget ut easdem non minus ad perfectionem totius univerſi atque manifeſtationem gloriæ ejus dirigamus (§. 496.); Quin illæ ipſæ etiam ad perfectionem totius univerſi, immo ad manifeſtationem gloriæ ipſius dirigendæ veniant, quemadmodus Deus id præcepit, dubitandum non eſt.

§. 498.

Ulterius corroboratur. Doctrinam Chriſti de directione liberarum actionum ad noſtri, ſtatusque noſtri ac aliorum uberius explicavit ex loco citato *Cl. Wolfius in horis ſubſecivis Ao. 1730. trimeſtri vernali num. V. pag. 343. ſqq.* Quo lectorem Benevolum remittimus, nobisque non opus eſſe videtur, ut ea transſcribamus. Ne vero in minimo deſimus attentioni acuti Lectoris in genere indicare lubuit, quod demonſtratio hæc procedat juxta canonem Logicum: cui competit definitio, ei competit definitum (*Logic.* §. 349.), utpote in applicatione definitione præcepti, quæ in definitionem juſſus reſolvitur, conſiſtens: Etenim juſſus ejus, qui habet jus alterum obligandi, dicitur **præceptum** (*Theol. natur.* §. 984.), **Juſſus** vero eſt ſignificatio voluntatis ſuperioris de eo, quod ab inferiori fieri debet, ita ut in arbitrio ipſius non relinquatur, quid facere velit (*Theol. natur.* §. 983.); non tamen inconſultum eſt, ut probe perpendatur, quomodo iſta applicatio fiat. Nimirum ut conſtet, Deum præcipere eam actionum liberarum directionem quam ex verbis Chriſti inculca-

culcavimus, demonstrandum est 1. ipsum eandem velle, 2. voluntatem suam nobis patefacere, 3. nec in arbitrio nostro relinquere, num voluntatem nostram ipsius voluntati conformare velimus, & 4 facere hoc usum jure suo nos obligandi. Ea enim sunt præcipientis requisita, quorum uno deficiente præceptum nullum est (*Theol. natur.* §. 983.984.). Voluntas Dei patet per demonstrationes superiores de voluntate Dei. Quod non arbitrio nostro relinquat, utrum volenti morem gerere velimus, nec ne; patet ex obligatione activa (§. 496.), per quam valida fit passiva (§. 595.) necessitatem moralem imponens homini ad actiones suas voluntati Divinæ conformiter determinandas (§. 493.). Quod voluntatem suam una cum obligatione patefaciat, ex eo colligitur, quod voluntas pariter Divina, quam obligatio tam activa, quam passiva via demonstrationis (§. 493.496.); Adeoque beneficio facultatum animæ rationalis nobis innotescit, quas eum in finem nobis concessit Deus, quatenus nos istis facultatibus instructos liberrime creavit. Cum itaque homo naturalis rationis lumine illuminatus de eo non dubitet, multo minus Christianus autoritati S. S. confidens, intelligit Deum jubere illam actionum directionem. Quod denique hoc faciat jure suo nos obligandi usus, patet ex eo, quod ipsi hoc jus per demonstrationem vindicavimus (§. 494.). Nihil adeo relinquitur probandum, quod non sufficienter probatum fuerit; Consequenter sufficienter quoque probatum, voluntatem Dei de liberarum actionum directione esse præceptum.

§. 499.

Quodnam Deus prohibeat.

Deus præcipit, ut actiones nostras liberas dirigamus ad nostri & aliorum, statusque nostri atque aliorum perfectionem, nec non gloriæ Divinæ manifestationem (§. 497.); Con-

Conſequenter cum per determinationem actionum liberarum gloriam Divinam non aliter manifeſtare poſſimus, quam ſi attributa Divina ſint earundem motiva, nobis præcepit, ut attributa ipſius ſint motiva noſtrarum actionum. Quoniam itaque præceptum eſt juſſus ejus, qui habet jus alterum obligandi (§. 498.); Juſſus vero eſt ſignificatio voluntatis de eo, quod ab altero fieri debet, ita ut in ejus arbitrio non ponatur, quid facere velit (§. *citato.*); Deus nobis ſignificat, ſe velle ut actiones noſtras dirigamus ad noſtri ac aliorum, ſtatusque noſtri & aliorum perfectionem, & ut attributa ipſius ſint motiva noſtrarum actionum, nec in arbitrio noſtro relinquit, ut aliter faciamus, jure ſuo nos obligandi uſus, quod ipſi competit (§. 494.). Quoniam adeo ipſe ſimul nobis ſignificat, ſe nolle, ut actiones noſtræ tendant ad noſtri atque aliorum, ſtatusque noſtri & alioruu imperfectionem, & ut omittantur actiones tendentes ad perfectionem noſtri ac aliorum, ſtatusque noſtri, nec non aliorum vel etiam motiva ab ejus attributis deſumta, nec in arbitrio noſtro relinquit, utrum id facere velimus, nec ne (§. 496.), (quod ex prohibitionibus maximo numero in ſacris ſparſim occurrentibus, luculenter patet, quas hic congerere ſupervacaneum, quia Lectori ſacrarum literarum ſe ultro offerunt); Conſequenter cum ſignificatio noluntatis de facto alterius in arbitrio alterius poſitum id minime relinquens, ſit **Vetatio** (*Theol. natur.* §. 985.); Deus autem habet jus nos obligandi ad actiones voluntati ipſius conformiter determinandas (§. 494.), & vetatio ejus, qui obligandi jus habet, ſit **prohibitio** (*Theol. natur.* §. 985.); **Deus nobis prohibet, ne actiones noſtras liberas dirigamus ad noſtri & aliorum, ſtatusque noſtri atque aliorum im-**

imperfectionem, neve omittamus actiones tendentes ad noſtri ac aliorum, noſtrique & aliorum ſtatus perfectionem, atque ne omittantur motiva in determinandis actionibus liberis ab attributis Divinis deſumta.

§. 500.

Sunt, qui præceptum latiori ſenſu ſumunt, ut prohibitiones ſub ſe complectatur, diſtinguentes *præcepta in affirmativa & negativa*, quorum illa a nobis *præcepta ſimpliciter*, hæc vero *prohibitiones* dicuntur. Nobis tamen conſultius viſum, ſequi illos, qui præcepta a prohibitionibus diſtinguunt, licet litem reliquis minime movere nobis animus ſit, ſolummodo de veritate, diſtinctisque ejusdem notionibus ſolliciti. Ratio patebit iis, qui Theologiam practicam univerſalem methodo ſyſtematica ornabunt. Ceterum non opus eſt, ut in his demonſtrandis prolixiores ſimus, quæ, cum per ſe pateant, ſapiens ultro concedit. Cum vero iſta actionum directio, quam voluntati Divinæ conformem jam ſtabilivimus, ſit principium generale, ex quo omnem rectitudinem actionum liberarum; Conſequenter jus naturæ univerſum deducendum eſt, & eandem quoque tanquam agendorum & non agendorum normam generalem propoſuerit Chriſtus, quemadmodum ex loco (§. 497.) citato clariſſime oſtendimus; eo ipſo evicimus conſenſum totius juris naturalis, ac univerſæ theoriæ moralis verioris nominis cum doctrina Chriſti. Etenim quæ ex principio menti Chriſti conformi deducuntur, obſervato demonſtrandi rigore, ne inde fluere videantur, quæ non fluunt, ea ejusdem menti conſona eſſe debent. Quamobrem ſi Chriſtus de actionum noſtrarum directione nihil præcepiſſet, quam quod perfecti eſſe debeamus, ſicut Pater noſter cœleſtis perfectus

Quæ hic notanda.

fectus est, omnem morum theoriam menti ejus conformem via demonstrationis reperire liceret. Cum vero huic præcepto generali & ipse Salvator & Prophetæ ac Apostoli per eum tot specialia addidere præcepta, nec non prohibitiones, evidens est, quam sapienter Deus S. S. omnibusque suis attributis conformiter eas tradiderit. Unde de ejus Divinitate; adeoque autoritate certo certiores reddimur. Nec non quantum interfit ad notiones actionum nostrarum directionis distinctas adspirare, ne scopo, nimirum eas secundum Dei voluntatem dirigendi, excidamus. Denique hæc notare velimus eos, qui Theologiam practicam universalem & Ethicam Christianam conscribent, ne a meta aberrent.

§. 501.

Præceptorum ac prohibitionum fons.

Deus præcepit, ut actiones nostras ad nostri aliorumque, ac status nostri & aliorum perfectionem dirigamus (§. 497.), & prohibet, ne has omittamus, neque eas dirigamus ad nostri, statusque nostri, ac aliorum eorumque imperfectionem (§. 499.). Quamobrem cum præcipiens jubeat, ut quid fiat, jure suo alterum obligandi usus, quod ex definitione præcepti evidens est (§. 498.); Adeoque velit, ut alter hoc faciat, nec in arbitrio ejus ponat, utrum velit, nec ne, quod iterum evidens ex definitione jussus (§. *citato*), ac similiter, qui prohibet, vetet, ne quid fiat jure suo alterum obligandi usus, uti patet ex prohibitionis definitione (§. 499.); Adeoque nolit, ut aliter agat, in arbitrio ejus non relinquens, quid agere velit (§. *citato*); Quin seria sit Dei ac immota voluntas de dirigendis actionibus hominis ad sui aliorumque, statusque sui atque aliorum perfectionem, non vero ad imperfectionem, nullo modo dubitari potest. Est vero bonitatis Divinæ, quod Deus velit hominem actiones suas dirigere ad sui statusque sui, & aliorum statusque eorundem perfectionem

perfectionem (§. 440. & *Theol. natur.* §. 907. 991.). Quare bonitatis quoque Divinæ est, quod hanc directionem præcipiat, contrariam vero prohibeat; Consequenter **Præcepta Dei atque prohibitiones ejusdem a bonitate ipsius proficiscuntur.**

Et hanc propositionem in usum insignem, quem in Ethica Christiana spondet, adjecimus.

§. 502.

Præcepta atque prohibitiones non sunt nuda consilia.

Præcepta (§. 497.) atque prohibitiones Dei nos obligant (§. 499.); Adeoque necessitatem moralem agendi imponunt (*Theol. natur.* §. 973.), scilicet committendi, quæ præcipiuntur (§. 497.), & omittendi, quæ prohibentur (§. 499.); Consequenter arbitrio nostro minime relinquitur, ut, quæ præcipiuntur, omittamus, quæ prohibentur, committamus. Verum enim vero **qui consilium dat,** nobis tantummodo significat, quid ipsi agendum, hoc est, committendum vel omittendum videatur: Tantum abest, ut necessitatem hoc a nobis committendi vel omittendi imponat, ut ne quidem significet, quid ipse fieri velit, sed omnia arbitrio nostro relinquat (*Theol. natur.* §. 983.). **Præcepta igitur ac prohibitiones Dei non sunt nuda consilia.**

§. 503.

Fons præceptorum & prohibitionum ab exceptionibus liberatur.

Qui animadvertunt, præcepta ac prohibitiones Dei a bonitate ipsius proficisci, quemadmodum modo demonstravimus (§. 501.), atque tendere ad felicitatem hominis, caveant, ne inde perperam inferant, præcepta & prohibitiones nuda nobis esse consilia; Adeoque nos omnem obligationem tollere, nec non omnem morum doctrinam funditus evertere. Nos, qui persuasi sumus, nullum esse errorem, cui non insit aliquid veri, ac ideo ex aliorum etiam erroribus

bus proficere allaboramus, quique, quod verum & rectum est, quoque in errantibus probamus, immo laudamus, solam veritatem oculo, cordique habentes, parum solliciti apud quem ea reperiatur. Probavimus equidem (§. *citato*) præcepta & prohibitiones recte sumi, quod proficiscantur tum quoad ipsam eorundem substantiam, tum quoad obligationem positivam a bonitate Divina, hancque veritatem in praxi maximi esse usus; Esse tamen leges ex ipsa notione legis, quæ obligationem involvit, itidem ex demonstratione patet. Etiamsi illi, qui præcepta & prohibitiones Dei pro nudis consiliis venditant, demonstrationem ex eo, quod ea a bonitate Divina pendeant, sumunt. Quantum vero illi a vero absint, atque ita a nobis differant, qui præceptis Divinis ac prohibitionibus vim legum denegant, propterea quod ex bonitate proficiscantur, per anteriora & imprimis per demonstrationem (§. 502.) datam, abunde patet.

§. 504.

Concursus Dei ad actiones bonas.

Christo Doctore Deus actiones præcipit tendentes ad nostri aliorumque, atque status nostri & aliorum perfectionem (§. 497.). Cum vero **Bonum** sit, quod ad perfectionem aliquid confert (*Theol. natur.* §. 370.); Adeoque præcipit Deus actiones bonas. Consimiliter prohibet actiones tendentes ad nostri, statusque nostri, nec non aliorum, eorundemque status imperfectionem (§. 499.); Adeoque, uti ex definitione mali evidens est, malas (*Theol. natur.* §. 371.), & jure suo nos obligandi usus (§. 494.), ad bonas committendas, malas e contra omittendas nos obligat (§. 496.), motiva cum actionibus connectendo necessitatem moralem tam bonas committendi, quam malas omittendi imponens. Quamobrem per præcepta ac prohibitiones Divinas, ipsisque inhærentem obligationem intelligitur, cur homo,

homo, servus Dei (§. 490.), voluntati Domini sui (§. 489.) satisfacturus (§. 493. *num.* I.), omissis malis bonas committat; Consequenter in voluntate Dei tanquam Domini nostri continetur ratio actionum bonarum, malis prorsus omissis, commissarum. Quoniam itaque is **concurrit** ad actiones alterius, in cujus voluntate continetur aliqua ratio, cur alter egerit (§. 463.); **Deus ad actiones bonas concurrit, quatenus sunt bonæ.**

§. 505.

Dominium rerum a Deo hominibus concessum.

Cum *Deus* protoplastos creasset, referente Mose *Gen.* I, 28. *benedixit eis, & dixit eis, fœtificate ac multiplicamini, & replete terram, eamque subjicite, & dominamini in pisces maris atque in volucres cœli, & in universas bestias reptantes (quæ moventur) super terram.* Pergitque *versu* 29. *Præterea dixit Deus, ecce dedi vobis omnem herbam sementantem semen, quæ in superficie terræ* (est), *omnemque arborem, in qua fructus arboreus sementantem semen,* (ut) *sit vobis in escam.* Ita & *versu* 30. *& omne animal terræ, omnemque volucrem cœli, & omne reptans super terram, in quibus* (est) *anima vivens omnem herbam viridem: & fuit ita.* Deus omnium rerum; adeoque etiam terræ & eorum, quæ in ea sunt, Dominus (§. 489.), cum vi dominii sui de iis pro arbitrio suo disponere possit (§. 487.), protoplastis & ex iisdem propagatis; Adeoque toti generi humano *Actorum* XVII. 28. concedit jus terram sibi subjiciendi, atque omnibus promiscue animantibus, sive in aquis, sive in aëre, sive in terra degant, dominandi (§. 498. *& Theol. natur.* §. 954.). In textu Hebræo *jus illud subjiciendi* terram exprimit verbo כבש, quod apud Hebræos usitatum ad denotandam actionem, qua victor in potestatem suam redigit hostem devictum cum iis, quæ ipsi sunt. Exempli loco

esto David, qui Deo legitur consecrasse argentum ac aurum gentium, אשר כבש *quas subegerat* II. *Sam.* VII, 11. Adeoque in textu Hebræo vocabulum istud legitur, quo jus in terram hominibus concessum exprimit Deus. Jure Gentium, moribus veterum approbato, hostis devictus fiebat servus victoris: Ita *Petrus* loquitur II. *Epist.* II, 19. *Siquidem a quo quis superatus est, huic etiam in servitutem est addictus;* Consequenter quoque dominio ejusdem subjiciebatur (§. 490.). Quamobrem cum Deus hominibus concedit jus sibi subjiciendi terram, ac res omnes, quæ in eadem sunt, vel nascuntur; Iisdem concedit jus eas dominio suo subjiciendi. Quoniam vero hic sermo est de protoplastis ac omnibus eorum posteris; Iisdem non modo promiscue concessus est usus omnium rerum necessarius, verum etiam jus eas sibi proprias efficiendi; Adeoque juri singulari, sive dominio subjiciendi, in quantum usus iste exigit. Quod vero jus in terram generi humano in prima rerum creatione concessum etiam extendatur ad ea, quæ in terra sunt, ac usui ejus inservire possunt; ex jure dominio sibi subjiciendi animantia cujusvis generis & vescendi omnibus vegetabilibus colligitur. Dum pomo arboris vescimur, ejus substantia perit, & in horum numero sunt omnia, quæ in ciborum censum veniunt, ut salva substantia non sit eorundem usus. Quamobrem cui conceditur jus pomo vescendi, ei utique non minus conceditur jus disponendi & de substantia, & de usu ejus. Verum enim vero dominium cum sit jus de substantia atque usu rei disponendi (§. 487. *& Theol. natur.* §. 959.); Ex jure vescendi vegetabilibus patet, homini concessum esse jus eadem dominio suo subjiciendi. Concedit vero Deus homini dominium terræ, quia habitaculo opus habet: Concedit dominium vegetabilium ac animantium, quia cibis indiget ad sui conservationem, ac animantia præterea quoque indiget

ad

ad varias operas. Conſervatio corporis injungitur homini a Deo, dum præcipit directionem actionum ad ſui ſtatusque ſui, nec non aliorum ſtatusque eorundem perfectionem, contrarias vero prohibet (§. 497. 499.). Quamobrem liquet; Deum generi humano conceſſiſſe rerum dominium, quia earum uſus requiritur ad explendam obligationem, ad quam in dirigendis actionibus liberis obſtrictus tenetur, nec uſus iſte commode obtineri poteſt, niſi multiplicato præſertim genere humano, ac commodiore vivendi ratione introducta. In interpretandis juribus interpretatio extenſiva locum habet ob rationis identitatem, qua poſita, etiam poni debet, quod per eam determinatur (*Ontol.* §. 118.). Nullum adeo dubium eſt, dum Deus jus dominio ſuo ſubjiciendi terram conceſſit humano generi, eum quoque conceſſiſſe jus dominio ſubjiciendi res omnes, quæ in ea ſunt, & quibus homines habent opus ad ſui aliorumque, nec non ſtatus ſui atque aliorum perfectionem promovendam.

Quoniam vero Deus jus dominio ſubjiciendi res promiſcue omnes, quæ in terra ſunt, & quibus homo ad ſe aliosque perficiendum neceſſario indiget, referente Moſe, conceſſiſſet; Nulla ſane ratio eſt, cur hoc jus non extendi etiam debeat ad animalia omnia, ſive in volatilium, ſive natatilium, ſive quadrupedum genere fuerint. Unde ex ipſo contextu facile intelligitur, quale ſit illud jus, quod Deus in homines transtulit, dum eum dominari juſſit omni animantium generi, ut ulteriori explicatione non ſit opus. Verba enim Moſis ſunt וכבשה וּרְדוּ *& ſubjicite eam, & dominamini.* Ipſum hoc vocabulum רדה, quod præter illud כבש in textu occurrit, ſatis ſuperque innuit, non aliud jus a Deo homini in animantia bruta conceſſum, quam quod modo per conſequentiam ex contextu eidem vindicavimus. Hoc enim vocabulo utitur Scriptura ſacra, quando loquitur de

de iis, qui ab hoste capti in potestatem ipsius rediguntur, uti videri licet *Levit.* XXVI. 17. *Deutr.* XX, 20. *Judic.* V, 13. &c. Constat vero per anteriora subjectionem istam constitisse in jure dominii. Deus adeo expressis verbis hominibus concessit jus disponendi de omnibus animantibus, cujuscunque generis sint, cum de eorum substantia, tum usu atque fructu, quod ex definitione dominii luculenter patet (§. 487.). Quoniam tamen Deus in verbo suo revelato etiam homini præcipit, ut actiones suas dirigat in universum omnes ad sui & aliorum, statusque sui ac quorumvis aliorum perfectionem (§. 497.), nec non prohibet, ne easdem dirigat ad imperfectionem (§. 499.); Quin quoque huic directioni juxta scripturam subsit jus dominio suo subjiciendi animantia bruta, terram atque vescibilia cuncta concessum, extra omnem dubitationis aleam positum est. Atque adeo ex verbis ipsius Dei, per Mosen relatis, abunde patet, quod in prima statim creatione protoplastis, & in illis toti generi humano concesserit jus dominio suo subjiciendi omnes res, quæ usui ipsius quomodocunque inservire possunt, seu concessit hominibus jus dominio suo subjiciendi eas res, quibus ad promovendam sui & aliorum, atque status sui, nec non quorumvis aliorum perfectionem opus habet.

§. 506.

Quale sit hoc dominium.

Cum dominium concedatur propter usum; facile apparet, res istas dominio hominis subjectas minime esse, quarum usus inexhaustus est. Si vero usus rei cujusdam sit inexhaustus, ut scilicet singulis

gulis sufficiat, qui eodem indigent; Ita v. gr. Solis usum, quem is terricolis præbet, percipere licet, etiamsi non sit in dominio. Deus igitur non constituit dominium in sole, concessit tamen universis jus utendi, quatenus pro arbitrio nostro disponere licet de usu radiorum solarium multiplici terram illustrantium, calefacientiumque. Unde liquet cognitionem juris hominibus competentis augeri ipsa rerum naturalium cognitione, sine qua usum, quem præbere possunt, non intelligunt. Absit itaque, ut tibi persuadeas, jus in omne animantium genus homini inutile esse, propterea quod multa dentur, quorum nullus nobis est usus. Neque enim dubitandum est, dari usus rerum, eosque maxime præclaros, quos ignoramus. Sed de his omnibus agendum erit iis, qui in jure creaturas homini competente explicando ad particularia descendunt. Unde nos hic in generalioribus subsistimus, contenti notiones dedisse generales atque fœcundas. Ceterum notari meretur, jus in res omnes toti generi humano a Deo concessum, de quo hoc loco sermo est, esse communionem primævam (penitius demonstratam a *Cl. Wolfio Juris naturæ parte secunda capite primo*, quod partim publice exstat, partim adhuc prælo subest); quæ singulis tribuit jus æquale ad ea, quibus habent opus. Cur vero ab ista communione, quæ communionem primævam involvit, recte fuerit discedendum, atque dominia fuerint introducenda, ibidem summus Philosophus explicat; Adeoque illuc Lectorem Benevolum ablegamus, imprimis cum hæc hic tractari non necesse sit. Tenendum tamen ipsam dominiorum introductionem præcepisse Deum, dum singula sibi homines subjicere jussit, quæ universis communia sunt.

§. 507.

Usus & abusus dominii, in quo consistat.

Deo competit dominium plenum rerum omnino omnium in hoc universo, sive in prima statim creatione fuerint factæ,

ctæ, sive hodie demum generentur, aut quomodocunque producantur a natura rerum (§. 489.), & homini nihil hujus dominii concessit, nisi quatenus rebus quibusdam habet opus ad sui & aliorum, atque status sui ac aliorum perfectionem promovendam (§. 505. 506.). Quamobrem cum homo obligetur ad actiones liberas non ex suo arbitratu, sed secundum voluntatem Dei determinandas (§. 493. *num.* I.); De rebus, quarum dominium Deus ipsi concessit, aliter disponere non debet, nisi ad promovendum sui atque aliorum, statusque sui & aliorum perfectionem; Consequenter quatenus ab iisdem pendet actualitas ejus, quod bonum est; non vero quod est malum (*Theol. natur.* §. 370. 371.). Quamobrem cum **usus rei** consistat in dependentia actualitatis rei cujusdem alterius, quæ mala non est, ab eadem; **Abusus** vero in dependentia ejus, quæ mala est (*Theol. natur.* §. 646.); **Homo dominio a Deo concesso utitur, si de rebus illis disponit ad promovendam sui & aliorum, statusque sui, nec non aliorum perfectionem; abutitur vero, si disponit ad promovendam sui atque aliorum, nec non status sui aliorumque imperfectionem.**

§. 508.

Quod ulterius explicatur. Exemplo hoc clarius reddi potest. Deus hominibus concessit dominium fructuum, quos edunt arbores *Genes.* II, 16. cum habeant usum in alendo corpore. Homo obligatus est ad corporis sui atque quorumvis aliorum conservationem. Quamobrem si fructibus vescitur, vel si vescendos aliis dat, quatenus ad corporis conservationem faciunt sanitati profitui; Dominio, quod in illos a Deo concessum habet,

habet, utitur. Aſt ſi fructibus veſcitur, vel aliis veſcendos dat, qui ſanitati vel ſuæ, vel aliorum nocent, dominio, quod in iis habet, abutitur. Ceterum jus hominis in creaturas hic conſideratur in relatione ad Deum, non vero in relatione ad homines alios, quamvis idem quoad uſum & abuſum etiam ſubſiſtat in dominio, quod ſingulis reſpectu ſingulorum competit. Ubi eo abutitur, ſi fureris *Deutr.* V, 25. utitur, ſi cuicunque tribuis, quod ſuum eſt. Aſt quinam juris utriusque hujus diverſi ſint effectus, inter ſe minime confundendi, in jure naturali a *Cl. Wolfio* explicati ſunt. Miſſa igitur jam facimus, quæ ad hoc argumentum dilucidandum in medium afferri poſſent, ne diſciplinarum limites præter neceſſitatem confundamus.

§. 509.

Præcepta atque prohibitiones Dei a bonitate ejus proficiſcuntur (§. 501.), quam ſummam eſſe conſtat, ita ut majorem concipi repugnet (§. 415.); Conſequenter hæc homini præcipit Deus, non alia, quia ſumme bonus eſt: Hæc prohibet, non alia itidem, quoniam ſumme bonus eſt. Verum enim vero præcipit homini committenda, & prohibet non committenda, quatenus jus obligandi hominem ad facienda & non facienda habet (§. 497. 499.). Quamobrem cum hoc jus ipſi competat, quatenus eidem eſt jus diſponendi ſicuti de homine ipſo, ita etiam de actionibus liberis ejusdem; Conſequenter quatenus dominium in homine habet (§. 487.); Adeoque dominus ejusdem eſt (§. *citato*); Deus Dominus ſumme bonus eſt. *Dominus qualis Deus ſit.*

Poterat etiam oſtendi hoc modo. Deus ſumme bonus eſt, ita ut majorem bonitatem concipi repugnet, enti cuicunque; Adeoque etiam homini, tantundem boni conferens, quantum ſapientia ſua ſalva conferri poteſt (§. 415.). Eſt

vero idem dominus hominis (§. 487.). Quamobrem patet, **Deum esse dominum summe bonum.**

§. 510.

Quod ab exceptionibus liberatur.

Excipere non licet, quod Deus hominem in mala ruere sinat: Neque enim hoc repugnat bonitati ipsius (§. 430.). Neque contra bonitatem dominii Divini urgere licet, quod eidem mala physica immittat, citra ipsius culpam: dirigit enim ea ad bonum finem (§. 433.), hæc autem directio bonitati ipsius tribuenda (§. *citato.*).

CAPVT VI.

DE ATTRIBVTIS DIVINIS, QVÆ PER ANTERIORA DEMONSTRANTVR.

§. 511.

Infinitudo essentiæ Divinæ.

EX verbo Divinitus revelato evicimus, per Deum intelligendum esse ens a se (§. 21.), cui competit intellectus infinitus (§. 183.) atque voluntas infinita (§. 290.). Quamobrem cum idem sit spiritus (§. 135.), atque adeo primum, quod de eo concipi debet, sit intellectus & voluntas ipsius (§. 136. *& Psychol. ration.* §. 643.); Consequenter intellectus ac voluntas ad essentiam ipsius pertineant (*Ontol.* §. 144.); **Deus ens infinitum est, seu tota Dei essentia est infinita.**

Deus adeo vi demonstrationis præsentis per ipsam essentiam suam infinitus est, ut adeo infinitudo ab eodem inseparabilis sit (*Ontol.* §. 300. 291.). Tollens nimirum infinitudinem, & ipsum tollit Deum, qui sine infinitudine concipi nequit.

§. 512.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0430
DFG

§. 512.

Deus eſt ens infinitum (§. 511.). Sed ens infinitum per eminentiam ſubſtantia eſt (*Ontol.* §. 847.). Deus igitur per eminentiam ſubſtantia eſt. *Qualis ſubſtantia Deus ſit.*

Qui intelligunt, quid per eminentiam ens eſſe poſſit, diſtincte percipient, quare Deus ſubſtantia per eminentiam ſalutandus. Quod ideo probe perpendendum, ne quis notione deceptrice, quam ſibimetipſi fingit, in errorem incidat.

§. 513.

Deus eſt ens infinitum (§. 511.). Sed enti infinito nulli quidem inſunt modi (*Ontol.* §. 840.), ipſum tamen per eminentiam modificabile eſt (*Ontol.* §. 846.). Quamobrem Deo modi nulli actu inſunt, per eminentiam tamen modificabilis eſt. *Modi per eminentiam Deo tribuendi.*

Agedum! illuſtremus hanc veritatem exemplo aliquo, tum ut rectius intelligatur, tum ne inter tricas inanes referatur. Deus elegit atque produxit mundum omnium poſſibilium optimum (§. 249.); Adeoque alii mundi poſſibiles ſunt, in quibus ad actum deducerentur poſſibilia, quæ in hoc adſpectabili actum non conſequuntur (*Cosmol.* §. 101.), Deo non minus intime perſpecti, ac is, qui exiſtit (§. 172. 169.), eosque is non minus ad actum perducere potuiſſet, quam hunc, quem produxit (*Theol. natur.* §. 342.), qui unus tantummodo exiſtit (*Theol. natur.* §. 117.). Ex parte adeo objecti abſolute impoſſibile non eſt, ut exiſtat mundus alius quicunque a præſente diverſus. Porro Deus hunc, qui exiſtit, ex ceteris elegit mundum, liberrimus ab omni coactione externa (§. 265.) atque interna (§. 269.). Abſolute itaque impoſſibilis non eſt electio & productio mundi alterius cujuscunque. Hæc per ea, quæ Deo inſunt, poſſibilis concipitur, non tamen per ea neceſſario determinatur. Eſt igitur electio atque

que productio mundi alterius ab eo, qui existit, diversi analogum modi (*Ont.* §. 842.) Et quatenus modi hoc analogum in Deo concipitur, per eminentiam modificabilis est. Atque hæc essentiæ Divinæ modificatio per eminentiam in causa est, quod in iis, quæ de Deo concipimus, aliud sit ordine prius, aliud posterius, etsi nullum sit prius, nullum posterius tempore, quemadmodum in entibus finitis, in quibus ad modificationem seu modorum variationem successioni locus. Quoniam tamen aliquid ordine prius, aliud posterius est altero; Ideo nos, qui ratiocinando unum ex altero colligere debemus, intuitiva Dei cognitione destituti, per modum successionis in Deo concipimus, quæ simul insunt, ob modificationem per eminentiam, salva exclusione reali omnium modorum. Vides itaque quantus ad notiones distinctas perveniendi hujus propositionis sit usus, sine qua non satis intelligi possumus summam Dei in decernendo libertatem sane qui sibi persuasere, quasi Deus per essentiam suam determinatus fuerit ad productionem hujus universi, ipsique omnem in creando libertatem ademerunt, fatali rerum omnium necessitate introducta; non intellexere modificabilitatem entis infiniti per eminentiam. Et hic πρῶτον ψεῦδος latet.

§. 514.

Deus Spiritus infinitus est.

Deus est spiritus (§. 135.), idemque ens infinitum (§. 511.). Est igitur **Spiritus infinitus.**

Ostenditur etiam hoc modo. Deus est substantia per eminentiam (§. 512.), eidemque competit intellectus infinitus (§. 183. *num.* II.) atque voluntas infinita (§. 290.), eademque liberrima (§. 294. 265.). Quamobrem cum substantia intellectu & voluntate libera prædita sit spiritus (*Psychol. ration.* §. 643.); **Deus spiritus infinitus est.**

§. 515.

§. 515.

Infinitudo Dei est terminus ἄγραφος, qui in sacris non legitur. Ex iis vero, quæ in ea revelantur, manifestum est, Deo competere intellectum infinitum atque liberam, infinitamque voluntatem. Verum enim vero cui competit definitum, eidem competere definitionem, necesse est (*Logic.* §. 349.); juxta S. S. Deus quoque agnoscitur spiritus, & quidem infinitus. Non nego ad determinationes essentiales spiritus infiniti, si tanquam synonymon Dei sumatur, pertinere quoque omnipotentiam, quam Deo competere (§. 278.), ipsique soli propriam esse tanquam creatricem, nec ulli creaturæ communicabilem (§. 447.) evicimus: Neque enim potentia creatrix ex intellectu ac voluntate infinita deduci potest, sed a posteriori ejus agnoscitur & realitas, & inexistentia in essentia Divina, quatenus agnoscimus mundum aliquem existere, & ejus actualitatem vi intellectus atque voluntatis Divinæ non concipere licet absque potentia creatrice. Sufficit tamen ad agnoscendam spiritualitatem Dei & infinitudinem ejus demonstrandam, quod sit intellectu infinito & voluntate infinita præditus, propterea quod intellectus & voluntas libera alii enti competere nequit quam spiritui. Quod vero spiritus infinitus gaudeat potentia creatrice, id quidem inde cognoscitur, quod idem sit ens a se, a quo adeo ens omne, quod est ab alio quoad actualitatem suam dependet. *Demonstratio hæc ab exceptionibus liberatur.*

§. 516.

Deo competit actio (§. 111.), idemque ens infinitum est (§. 511.). Verum enim vero enti infinito actio per eminentiam competit (*Ontol.* §. 848.). Deo igitur actio per eminentiam competit. *Quomodo Deo actio competat.*

Modum

Modum, quo Deo tribuitur actio, probe perpendere oportet, ne circa immutabilitatem oriantur difficultates insuperabiles, quæ aliquos in transversum egerunt, ut mundi creationem per emanationem æternam ex essentia Divina statuerent, unicum extra se agendi actum in Deo actui æterno intellectus ac voluntatis coëxistentem concipientes, atque adeo mundi continuam creationem ad essentiam Divinam referentes. Actio in ente finito in modorum numero est (*Ontol.* §. 713. 313. sqq.): Ast in ente infinito, quod Deus est (§. 511.), modus nullus locum habet (§. 513.); Adeoque **Deo actio nonnisi per eminentiam tribui potest** (*Ontol.* §. 845.).

§. 517.

Sapientiæ, bonitatis ac potentiæ Divinæ immutabilitas.

Quoniam Deus prorsus immutabilis est (§. 34. sqq.), idem vero & sapientissimus (§. 401.), & summe bonus (§. 415.) atque omnipotens est (§. 278.); **Sapientia** quoque, **bonitas, nec non omnipotentia Dei prorsus immutabilis est; Consequenter fieri nequit, ut vel sapientia, vel bonitas, vel omnipotentia Dei ulla unquam capiat incrementa, vel decrementa.**

Quod sapientia Dei, bonitas atque potentia ejus nulla capiat incrementa, nec capere ulla possit, ex eo etiam liquet, quod & illa (§. 401.), & ista (§. 415.), & hæc sit absolute summa (§. 278.). ita ut majorem ea sapientia, bonitate ac potentia, quæ Deo competit, concipi posse repugnet. Insunt Deo per essentiam, quemadmodum ex demonstrationibus superioribus evidenter patet; Adeoque attributa (*Ontol.* §. 146.); Consequenter in se immutabilia (*Ontol.* §. 313.); ut adeo nec ulli decremento obnoxia fieri possint. Ceterum hoc corollarium addere lubuit ob usum, quem spondet in Ethica Christiana.

§. 518.

§. 518.

Deus est ens infinitum (§. 511.). Verum enim vero quicquid enti infinito inest, id vel ad essentialia, vel ad attributa pertinet, aut, si quid modi analogum est, id per modum attributi inest (*Ontol.* §. 841.). Ergo **quicquid Deo inest, id vel ad essentialia, vel ad attributa pertinet, aut, si quid modi analogum est, id per modum attributi inest.** *Quomodo Deo insint, quæ de ipso prædicantur.*

Hinc patet, cur, quæ de Deo prædicantur, dicantur in universum attributa ipsius, ita ut nec actiones ipsius ex eorum numero excludantur. Qui enim methodi ignari sunt, nec notionem entis in genere distincte concipiunt, essentialia ab attributis non distinguunt. Accedit, quod ex attributis tanquam primo inexistentibus assumtis demonstrando colligantur essentialia, ut adeo ex parte cognoscentis essentialium speciem præ se ferant attributa, & vicissim attributorum essentialia. Possunt tamen ea etiam in Deo a se invicem distingui, quemadmodum ex anterioribus abunde liquet. Etsi autem attributa absolute necessario insint (*Ontol.* §. 304.); non tamen ideo Deus absolutæ necessitati subjiciendus, quemadmodum visum est multis. Quod enim modi analogum est, utut per modum attributi insit, alio tamen modo inexistit, quam attributa. Differentiam inexistentiæ rite percipere maximi momenti est. Exponimus itaque eandem in paragrapho sequente.

§. 519.

Numerus I. Si ens quoddam concipiendum, primo loco in eo ponenda sunt, quæ sibi mutuo non repugnant, quæ tamen non per alia determinantur, nec quorum unum determinatur per alterum (*Ontol.* §. 142.); Consequenter cum *Differentia inexistentiæ.*

essentialia entis sint, quæ sibi mutuo non repugnant, nec tamen per se invicem determinantur (*Ontol.* §. 143.); Ens nullum sine essentialibus concipi potest. Quoniam itaque Deus tanquam ens a se (§. 20.) in numero entium est; Nec ipse sine essentialibus concipi potest. Verum enim vero essentiæ rerum sunt absolute necessariæ (*Ontol.* §. 303.); Adeoque essentialia eidem absoluta necessitate inexistunt. **Essentialia itaque Deo absoluta necessitate inexistunt.**

Numerus II. Porro attributa entis cujuscunque absolute necessaria sunt (*Ontol.* §. 304.). Quamobrem cum Deus, ens a se (§. 20.), sit in numero entium, ejus quoque **attributa** absolute necessaria sunt; Consequenter **ipsi absoluta necessitate inexistunt.**

Numerus III. Modi analogum est, cujus oppositum Deo enti infinito (§. 511.) absolute non repugnat, quod tamen rationem sufficientem in eodem non agnoscit, cur actu unquam sit (*Ontol.* §. 842.). Quoniam vero absolute impossibile non est, quod enti non absolute repugnat, seu contradictionem cum ejus essentialibus involvit (*Ontol.* §. 79.); Absolute impossibile non est, ut analogis modorum opposita insint Deo; Consequenter cum absolute necessarium non sit, cujus oppositum absolute impossibile non est (*Ontol.* §. 279. 301.); Nec absolute necessarium est, ut opposita analogis modorum Deo non insint; Consequenter ipsa analoga modorum absoluta necessitate non inexistunt. Et quoniam id actu Deo inesse nequit, cujus ratio sufficiens in eodem non datur, cur insit (*Ontol.* §. 70.); Analogis modorum opposita eidem nunquam inesse possunt actu. Quamobrem cum tantummodo hypothetice necessarium sit, cujus oppositum nonnisi sub data conditione impossibile (*Ontol.* §. 302.), analoga modorum solummodo hypothetice

ce necessaria sunt; Consequenter nonnisi hypothetica necessitate inexistunt. Est vero Deus prorsus immutabilis (§. 37.); Adeoque quod ab æterno, ipsi æterno (§. 65.), inexistit, idem inexistere quoque debet in æternum (*Ontol.* §. 291). Fieri adeo nequit, ut præter hæc analoga modorum, quæ ipsi insunt, alia ipsis opposita unquam actu insint. Quoniam itaque ea in re cum attributis conveniunt, quorum utpote absoluta necessitate inexistentium *per demonstrata* oppositum Deo unquam inesse nequit, per modum attributorum insunt. Et hoc modo liquet, **analoga modorum, etsi Deo insint per modum attributorum, non tamen nisi hypothetica necessitate inesse.**

Unde tota inexistentiæ differentia est, quod **essentialia** *num. I.* **& attributa Deo inexistunt absoluta necessitate** *num.* II.; **modorum vero analoga, etsi per modum attributorum insint, necessitate tamen solummodo hypothetica.**

§. 520.

Modus, quo, quæ de Deo prædicantur, eidem insunt, probe perpendendus, si quidem omnis difficultas circa libertatem voluntatis Divinæ evanescere debet. Sane qui eum probe cognitum atque perspectum habet, ei electio atque creatio mundi optimi libertati non amplius contraria videbitur, ita ut electio alterius pro moraliter impossibili habenda. Nostrum itaque erat eundem distincte exponere, ut distinctam Dei acquiramus notionem, & ut de singulis prædicatis, quæ Deo tribuimus, ex demonstratione judicium fieri possit, qua necessitatis specie eidem tribuenda veniant. Quæ enim vi principii contradictionis inferuntur, qualia sunt, quæ ex aseitate & intellectu Divino pendent, ea *Ulterius explicatur.*

absoluta necessitate Deo conveniunt: Quæ vero vi principii rationis sufficientis consequuntur, qualia sunt, quæ a voluntate Dei pendent, ea nonnisi hypothetica necessitate de Deo enunciantur. In rebus finitis, in quibus successioni est locus, contraria diverso tempore inesse possunt, essentialibus atque attributis manentibus iisdem: Unde modi rebus non insunt instar attributorum, quorum opposita nunquam inesse possunt. Atat! in ente infinito, in quo omnia simul insunt, quæ actu inesse possunt (*Ontol.* §. 838.), id singulare est, quod modorum analogis inexistentibus opposita nunquam actu insint, atque hactenus cum attributis conveniant. Non inutilem operam sumet, qui modum inexistentiæ omnium prædicatorum, quæ ex verbo revelato de Deo in hoc systemate enunciavimus, examinaverit: Ita enim fiet, ut tandem clarissime perspiciat, quomodo Deus velle non possit, nisi quod se decet, tendens ad id, quod optimum, sine ullo tamen libertatis præjudicio; Immo ut intelligat, quomodo in Deo sine ulla mutatione interna locum habeant, quæ a nobis nec concipi, nec explicari possunt nisi per actuum plurium successionem.

§. 521.

Præsentiæ Divinæ magnitudo.

Deus totus intime præsens est toti mundo, & totus singulis, quæ in eodem consistunt, partibus (§. 156.). Quid? quod cum omni creaturæ præsens esse debeat (§. 157.), & potentia ejus ad omnia extendatur (§. 274.); Nullum ens præter ipsum concipi potest tanquam existibile, aut producibile, cui non præsens esse debere intelligatur, quamprimum existit. Quamobrem cum præsentia major concipi nequeat, quam si ens aliquod totum intime præsens est omnibus ceteris a se diversis, præsentia tum omnem limitationem respuente; **Præsentia Dei** utique **omnium maxima** est,

est, quæ concipi potest, quæ omnem respuit limitationem.

§. 522.

Præsentia Divina successionis nescia, seu simultanea.

Intime Deus totus præsens est mundo toti & singulis partibus, quæ in eo sunt (§. 156.), & res omnes per eminentiam ipsi præsentes sunt (*Theol. natur.* §. 1053.). Quamobrem nihil concipi potest, cui non sit præsens, & quod ipsi præsens non sit; sed cui demum præsens fieri, aut quod ipsi præsens fieri possit. **Deus igitur totus simul præsens est rebus omnibus;** Consequenter **præsentia Divina successionis nescia, seu simultanea est.**

Patet adeo, Deo convenire præsentiam, qualis esse debet entis infiniti, in quo sunt omnia simul, quæ eidem actu inesse possunt (*Ontol.* §. 838.). Ceterum in propatulo est, Dei præsentiam pendere ab iis, quæ ipsi insunt, nempe ab actu conservatorio. Non est, quod excipias eum rebus, quæ hodienum generantur, aut a natura producuntur; Adeoque successive existunt præsentem fieri. Hæc præsentia, cum quid Deo extrinsecum sit, qua rebus successivis præsens fit, non obstat, quod ejus præsentia successionis sit nescia: Etenim Deus est immutabilis, ita ut nihil in eo concipi possit, quod non semper sit idem (§. 36.).

§. 523.

Rectitudo actionum Divinarum.

De Deo ita loquitur David *Psalm* XXV, 8. 9. ex versione *Junii* & *Tremellii*: *Bonus & rectus Jehova* (est), *idcirco docet peccatores viam: Facit, ut incedant mansueti ex jure, & docet mansuetos viam suam.* Quod vertit *Vulgatus interpres:* Bonus & rectus Jehova, qui legem dat delinquentibus in via. In textu authentico verba in hunc

modum leguntur: טוב וישר יהוה על כן יורה חטאים בדרך ידרך ענוים במשפט וילמד ענוים דרכו: *Bonus & rectus Jehova, ac ideo docet deerrantes in via: Ducit manſuetos in jure, & docet manſuetos viam ſuam.* Ex his elucet verbis, Deum dici rectum ideo, quod homines rectitudinem actionum ſuarum doceat; Adeoque Deus, ipſiusque actiones rectæ eſſe debent. Unde facile apparet de Deo prædicari rectitudinem reſpectu actionum, ſeu eum appellari rectum ob rectitudinem actionum. Deus ſe ſuperiorem non habet; adeoque actiones ejus rectæ dici nequeunt, quatenus conveniunt voluntati alterius, quemadmodum recte facere dicitur ſervus, quia facit, quod vult Dominus. Relinquitur itaque **actionem Divinam eſſe rectam, quatenus convenit ejus attributis, ſeu quod illa nulli attributo ipſius contradicat.** Etenim **actio libera recta** eſt, quæ rationem ſufficientem in eſſentia & attributis agentis habet; conſequenter nulli determinationi eſſentiali vel attributo contradicit (*Theol. natur.* §. 950.).

Cum Deus ſe ſuperiorem non habeat, actiones ejus liberæ voluntati alterius non ſubjiciendæ veniunt, ſed ab arbitrio ejus ſolummodo pendent. Quamobrem cum actiones omnes liberæ ab arbitrio Dei, ſeu liberrima ejus voluntate pendeant; Adeoque rationem ſufficientem in eadem agnoſcant (*Ontol.* §. 851. 56.); Conſequenter poſito actu voluntatis Divinæ ponantur (*Ontol.* §. 118.), vel ſint ipſi actus liberrimæ voluntatis Divinæ (*Theol. natur.* §. 567.); Deus vero velit, quæ ipſum decent (§. 272.); Actiones liberæ omnes Deum decent. Cum porro ipſum deceat, cujus aliqua in iis, quæ ipſi inſunt, ſeu in eſſentia vel attributis ipſius continetur ratio, cur id potius velle debeat, quam aliud (§. *citato*); Actionum omnino omnium liberarum, ex mente Davidis,

Davidis, ratio aliqua in iis, quæ ipsi insunt, seu in essentia vel attributis ipsius contineri debet. Quamobrem cum actio libera sit recta, quæ rationem aliquam, aut quod perinde est, respectu libertatis sufficientem habet in essentia & attributis agentis, neque adeo ulli determinationi essentiali vel attributo contradicit (*Theol. natur.* §. 950.); **Actiones omnino omnes Divinæ liberæ rectæ sunt, quia illæ omnes rationem sufficientem in attributis vel essentia ipsius Dei habent, nec ulli determinationi essentiali sive attributo contradicunt.**

§. 524.

Probe notandum est, undenam nascatur rectitudo actionum Divinarum, nimirum ab essentia atque attributis Divinis, & quomodo inde nascatur salva libertate, nimirum ut essentiales determinationes atque attributa Divina sint tantummodo motiva earundem, quæ libertati minime nocere constat (*Psychol. empir.* §. 931.). Scilicet si actio aliqua refertur ad Deum, tum necessario essentiæ atque attributis ejusdem vel convenit, vel non convenit (inter contradictoria enim medium non datur) (*Ontol.* §. 53.); Atque adeo rectitudo est quidpiam eidem intrinsecum, nec arbitrio demum ei inducitur. Ast nulla adest coactio interna, vel externa, cur Deus id velit potius quod rectum est, quam quod rectum non est; sed semetipsum ad id, quod rectum est, determinat, cum physice impossibile non foret, ut voluntatem suam quoque determinaret ad id, quod rectum non est. Hæc igitur probe notanda sunt, ut suo loco rectius de actionum humanarum intrinseca honestate ac turpitudine judicetur, & ut agnoscatur, quomodo liberrime faciat, quod rectum est, qui nullis præjudiciis & cupiditatibus noxiis præpeditum habet

Quæ circa eam notanda.

bet animum. Id, quod ex verbis Psalmistæ a nobis postulatur: Cum enim Deus dicatur ישר *rectus*, ideo, quod homines rectitudinem actionum suarum doceat; Rectitudo earundem aliter agnosci non posse, a Psalmista supponitur, quam per agnitionem rectitudinis actionum Divinarum; Adeoque nostrarum actionum rectitudo a Deo nobis docetur eo, quod ipse rectus sit, seu se in omnibus suis actionibus rectum præbeat.

§. 525.

Rectitudo actionum Divinarum quomodo æstimanda.

Actiones Divinæ rectæ sunt, quatenus nulli determinationi essentiali vel attributo Divino contradicunt (§. 523.). Verum enim vero si actionis alicujus rectitudo solummodo æstimaretur ex uno vel aliquot attributis Divinis, vel ex una aut altera determinatione essentiali, neglectis ceteris; fieri posset, ut uni vel alteri determinationi essentiali simpliciter consideratæ contradiceret, veluti si bonitati quidem aut omnipotentiæ conveniret, sapientiæ tamen aut omniscientiæ repugnaret; Consequenter recta dici non posset. **Æstimanda igitur est actionum Divinarum rectitudo ex tota essentia & omnibus attributis Divinis simul sumtis.**

Patet adeo, cur subinde actiones Deo tributæ, non modo in vita vulgo observatæ, verum etiam in ipsa S. S. commemoratæ nonnullis videantur minus rectæ; eas nimirum referentibus ad attributum Dei unum vel alterum, sepositis ceteris, quorum non minus habenda ratio. Caute igitur procedendum, ne temerariis judiciis in sanctitatem Dei simus injurii, inque absurditatum atque errorum abyssus conjiciamur.

§. 526.

Difficultas judicii de recti-

Evicimus modo (§. 525.) rectitudinem actionum Divinarum

narum æstimandam esse ex convenientia cum singulis determinationibus essentialibus atque attributis Divinis. Verum enim vero quid Deus velit; Adeoque agat, ex convenientia cum attributis Dei difficulter a nobis cognoscitur; Sæpius tamen probabiliter cognosci potest. Quamobrem cum in dijudicandis actionibus Dei liberis omnis quæstio redeat ad hoc, quid Deus velit; **Rectitudo actionum Divinarum a nobis difficulter dijudicatur; sæpe tamen probabiliter cognosci potest.** *tudine actionum Divinarum.*

§. 527.

Duplicem agnitio huius veritatis usum habet: Nimirum tum, ut arceantur temeraria judicia de actionibus Dei; tum, ut excitetur attentio ad inquirendas earundem rationes, simulque via, qua in iis indagandis sit eundem, pateat. Ne itaque in sanctitatem Dei simus injurii, aut in errores ruamus, neque attentionem quid effugiat, has duas propositiones adiicere libuit, ita ut nemo habeat, quid jure desiderare possit, sed & ut instituto nostro satisfaciamus, nempe ut attentionem excitemus & veritates, quæ solæ nobis cordi sunt, ad distinctas notiones reducamus, adeoque generi humano utiles simus. *Insignis huius propositionis usus.*

§. 528.

Passim in Sacris Deus dicitur קדוש *Sanctus.* Ita enim *angelorum unus clamat ad alterum* קדוש קדוש קדוש *sanctus, sanctus, sanctus Jehova Deus excercituum.* Et *Levit. XIX, 2.* ipse *Deus* Judæos *sanctos esse jubet, quia ipse sanctus est.* Quoniam porro Paulus I. *Thessal.* IV, 3. affirmat, *hanc esse voluntatem Dei, sanctificationem nostram, ut abstineamus a scortatione*, scortio vel fornicatio vero *Sanctitas Dei;*

in illarum actionum numero est, quæ rectæ non sunt; Sanctitatem referri ad actiones rectas liquet. Sanctitas adeo tribuitur agenti ob actiones rectas; Consequenter denotare nequit nisi voluntatem constantem atque perpetuam faciendi, quod rectum est, & non faciendi, quod rectum non est. Quando itaque sacer codex Deum קדוש aut ἅγιον sanctum prædicat, ideo facit, quia is nunquam vult, nisi quod rectum est, velle autem nequit, quod rectum non est, nec ullo in casu se a proposito suo dimoveri patitur, ut faciat, quod rectum non est. Seu Sanctitas Dei est constans ejus atque perpetua voluntas non faciendi, nisi quod rectum est.

§. 529.

Ulterius explicatur, quid sanctitas & sanctificari sit.

Quando itaque *Deus nos sanctos esse jubet, quia ipse sanctus est Levit. XIX, 2.* Non aliud præcipit, quam ut semper velimus, quod rectum est, & ab hac voluntate nunquam ulla ratione nos dimoveri patiamur, quemadmodum ipse semper vult, quod rectum est (§. 523.), & se ab hac voluntate nulla unquam ratione dimoveri patitur. Cum enim ipsemet velle nequeat, nisi quod rectum est; ideo nec ipsi placere potest, nisi quod rectum est. Hinc sanctificari dicimur, quatenus voluntas dirigitur in id, quod rectum; Consequenter quod Dei voluntati conforme est. Unde sanctificatio consistit in directione voluntatis ad id, quod rectum est; seu voluntati Divinæ conforme. Et sanctum se præbet, qui rectus est judicio Dei, rectis actionibus ex sanctitate provenientibus.

§. 530.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0444
DFG

§. 530.

Summa Dei sanctitas.

Cum Hebræi careant superlativo, nec in textu Hebræo occurrere potest vocabulum, quod Latinorum superlativo respondeat. Dicitur autem sanctus κατ' ἐξοχήν, ita ut adjectivum sanctus sumatur substantive tanquam synonymum Dei veri, veluti *Iesaiæ* XL, 25. dicitur: *Cui ergo assimilaretis me, aut æqualis ero? Ait sanctus.* Ubi adjectivum sanctus substantive sumitur tanquam nomen veri Dei: Etenim verba, ait sanctus, eadem sunt, ac ait Deus. Similiter Deus II. *Regum.* XIX. dicitur *Sanctus Israelis*, & *Iesaiæ* XXIX, 23. *Sanctus Jacobi*, quemadmodum ibidem etiam *Deus Israelis* dicitur. Juxta S. literas itaque ea Dei sanctitas est, qua major enti cuidam alteri, immo cui æqualis alteri convenire nequit. Non igitur dubitari potest, quin ex ejus mente Deo tribuenda sit absolute summa, ita ut sanctitate ipsius majorem concipere non detur.

Idem quoque hoc modo demonstrari potest. Actiones omnino omnes Dei liberæ rectæ sunt (§. 523.); Adeoque nulla earum datur, in qua aliquis notetur defectus. Quamobrem nullo dubitari potest modo, quin Deus semper velit, quod rectum est, cumque voluntas ipsius sit immutabilis (§. 302.), nec fieri potest, ut ab eo, quod rectum est, ullo modo vel tantillum dimoveatur. Quoniam itaque voluntas ipsius constans atque perpetua est non faciendi, nisi quod rectum est; Deum esse sanctum constat (§. 528.). Et quia impossibile est, ut in sanctitate quid desideretur, si omnes actiones liberæ fuerint rectæ, nec minima in ulla a recto notetur deviatio, & agens ita velit, quod rectum est,

ut nunquam fieri possit, quin ab illo vel tantillum quibuscunque rationibus abducatur, quemadmodum id patet de sanctitate Divina (§. 528.). **Quin Deus sit sanctissimus ex mente sacri codicis, ita ut sanctitate ipsius majorem concipere non detur, evidentissimum est.**

§. 531.

Idem ulterius adstruitur, & ab exceptionibus liberatur.

Rectitudo voluntatis deficit, vel ex parte intellectus, quatenus agens ignorat, quid rectum sit, vel ex parte appetitus, quatenus ob rationes extrinsecas, quæ ipsi contrarium repræsentant tanquam appetibile, quod rectum agnoscit, non vult. Neutrum in Deo locum habere potest. Omniscius enim (§. 229.): intime perspicit, quid sit rectum, ut ejus de actionibus rectis judicium ne tantillum quidem a vero aberrare possit. Voluntas ejus non fertur nisi in optimum (§. 296); Adeoque voluptatum apparentium illecebris non flectitur in contrarium, quemadmodum humana. Nihil adeo in Deo est, quod obstet, quo minus sit sanctissimus. Ceterum cum voluntas in eo concipiatur per modum actus, non per modum nudæ potentiæ seu facultatis (§. 264.): Sanctitas vero sit voluntas constans atque perpetua non faciendi, nisi quod rectum est (§. 528.); Ideo patet, cur voluntas Dei dicatur sancta & sanctissima (§. *citato.*). Sane virtutes morales etiam de humana voluntate prædicantur in concreto: Unde qui castus, qui misericors &c. est, ei castum, comiserationis plenam &c. tribuimus voluntatem.

§. 532.

Sanctitas Divina quibus in rebus se exerat.

Deus summe sanctus est, ita ut sanctitatem Divina majorem concipere impossibile sit (§. 530.). Quamobrem cum sanctissimus sit, quatenus in rectitudine actionum ipsius nullus

lus datur defectus (§. 528. 531.): Creatio vero (§. 443.), conservatio (§. 459.) atque gubernatio sint actiones Divinæ (§. 469.); Nec in creatione, conservatione & gubernatione totius hujus universi defectus ullus notari possit; **Deus se sanctissimum probavit in creatione, sanctissimumque se probat in conservatione & gubernatione omnium omnino rerum.**

Quod hoc modo non minus probari potest. Omnis actio Dei recta est (§. 523.); Consequenter & creatio, conservatio, nec non gubernatio hujus universi. Quamobrem cum sanctissimum se probet, qui nunquam facit, nisi quod rectum est (§. 530. 528.); **Deus in creatione, conservatione, itemque gubernatione hujus mundi adspectabilis sanctissimum se probat.**

§. 533.

David Deum celebrans *Psalm.* CXLV, 17. inquit, צדיק יהוה בכל-דרכיו וחסיד בכל-מעשיו *Justus Jehova in omnibus viis suis, & pius (sanctus) in omnibus operibus suis.* Vocabulum חסיד a quibusdam *pius* & simul *sanctus* vertitur. Plurimi consentiunt in eo quod loco hoc citato sanctum indigitet: Unde & *Lutherus* verba hæc, ita vernacule tradit: **Der HERR ist gerecht in allen seinen Wegen, und heilig in allen seinen Wercken.** Deus sanctus est, quatenus non vult, nisi quod rectum est (§. 528.); Consequenter in operibus suis sanctum se probat, quatenus nil facit, nisi quod rectum est. Verum enim vero rectitudo actionum spectatur in earundem ad agentem relatione (*Theol. natur.* §. 950.); Adeoque sanctitas in relatione operum Divinorum, hoc est, omnium, quæ Deus *Justitia summa Deo asserta.*

facit, ad ipſummet ſeu voluntatem ipſius. Si vero aliter vocabulum vertere velis, quoad nos hic perinde erit: etenim manifeſtum eſt ex contextu, quod illud חסיד illi צדיק contradiſtinguitur, ita ut חסיד *ſanctitas* ſpectari nequeat niſi in relatione ad voluntatem ipſius Dei, quatenus nempe ea non dirigitur, niſi in id, quod rectum eſt, ſeu attributis Divinis convenit. Neceſſe igitur eſt, ut צדיק *juſtus* & juſtitia ſpectetur in actionibus Divinis, quatenus extra ipſum referentur ad entia alia ab ipſo diverſa; Conſequenter ad creaturas, quoniam ex anterioribus patet (§. 449. ſqq.), nihil præter Deum exiſtere, quod non ſit creatura: id quod brevitatis gratia prolixa demonſtratione ulterius evincere ſuperſedemus, imprimis cum a nemine, qui mundi dependentiam a Deo uno (§. 151.) admittit, in dubium vocetur. Et ſane ubi in ſacris homines Deo juſtitiæ laudem tribuunt, eum juſtum pronunciant, quatenus in rectitudine actionis Divinæ nihil reprehendi poteſt quoad ipſos. Exemplo eſto Pharao *Exodi*, IX, 27. de quo Moſes hæc refert: *Quapropter cum miſiſſet Pharao, accerſivit Moſen & Aaronem, & dixit eis: peccavi hac vice: Jehova juſtiſſimus, ego vero & populus meus improbiſſimi.* Nimirum cum Hebræos dimittere nollet, & Deus poſt alias plagas, quibus Pharao ad mutandum propoſitum adduci minime poterat, univerſam terram Ægypti grandine prægrandi percuteret inter tonitrua & fulgura, non ſine maximo damno hominum, pecudum, ac frugum cumprimis atque arborum; Pharao Deum hoc facientem juſtum appellat. Deus plagis, quibus afficiebat Ægyptum, utebatur tanquam medio, quo id obtineret, ut Hebræi ſalvi ac incolumes ex terra Ægypti emigrarent, Pharaone Rege non reſiſtente. Pertinet igitur hæc actio ad ſapientiam Divinam

(Pſychol.

(*Psychol. empir.* §. 678.), quam Deo summam tribuendam esse (§. 401.) evicimus.

Durum videbatur tot plagis affici Ægyptum, propterea quod Rex dimittere nollet quosdam subditos, ut pro lubitu emigrarent, & sese imperio ejus subducerent; Adeoque plagæ istæ repugnare videbantur bonitati Divinæ, quam summam esse supra (§. 415.) demonstravimus. Pharao tamen non accusat bonitatem Divinam, nec conqueritur de nimia Numinis severitate; Sed factum Dei ad se referens & agnoscens, quod sit ad voluntatem suam flectendam necessarium, per sapientiam Divinam rectum agnoscit, quod per bonitatem minus rectum dici posse videbatur, ac ideo Deum justum, immo justissimum appellat. Nominat igitur **Deum justum**, quatenus bonitatem sapientiæ attemperat; Adeoque eadem ipsi fuit justitiæ notio, quam quæ *Cl. Wolfius* (*Theol. natur.* §. 1067.) proposuit. Judicium Pharaonis de facto Dei, quemadmodum ex contextu liquet, non alio fine recensetur, quam ut malignus ejus animus pateat, quod plaga vix cessante populum illum dimittendi voluntatem denuo mutaverit, ac ut extra omnem dubitationem ponatur, recte feciſſe Deum, quod plagas duriores præcedentibus adderet. Probatur igitur ab Historico sacro judicium Pharaonis: Sed non probaretur, nisi termini acciperentur eo Sensu, quo sumsit Pharao. **Ex autorum itaque sacri codicis mente dicendum est, justitiam esse temperamentum bonitatis Divinæ per sapientiam summam factum; Adeoque Deum salutandum esse justissimum, quia bonitatem summam, qua majorem concipi repugnat, attemperat sapientia itidem**

itidem ſumma, ita ut juſtitiam Divina majorem concipere non liceat.

§. 534.

Exceptionibus occurritur.

Non ignoro eſſe plurimos, qui cum *juſtitiam* concipiant per virtutem, qua jus alteri ſuum redditur, *& juſtitiam vindicativam* per eam, qua bene meriti premiis decorantur, male facientes puniuntur, facile & ſibi, & aliis perſuadent, ſignificatum vocabuli receptum a nobis immutari, nec ea, quæ de viro juſto prædicantur omnium conſenſu, ex noſtra definitione ad mentem Pharaonis data deduci poſſe. Immo ſi quis ad criminandum prono ſit animo, non ſolum reos nos aget, alienam notionem termino huic jungere, verum etiam argutabitur per hanc definitionem juſtitiam Dei vindicativam tolli. Atat! bona verba, quæſo. Quicquid de juſtitia vel communiter prædicatur, vel de juſtitia Dei, etiam vindicativa, enunciatur, id omne, modo non fictum, ſed verum ſit, ex ipſa hac definitione demonſtrari poteſt. Dabimus fidem oculatam, non modo in ſequentibus quoad ea, quæ Deum concernunt: Unde unum vel alterum paragraphum adiicere, neceſſe ducimus; verum etiam idem conſtabit, ſi quis Theologiam practicam atque Ethicam Chriſtianam illa methodo, qua veritas imota ac certa conſtat, ordinabit. Inprimis clariſſime ex ea patebit, quomodo Deus eſſe poſſit juſtus erga creaturas, etſi iis nihil debeat, quod ex altera non demonſtrari poteſt. Etenim illi vel tacite ſupponere debent homini eſſe aliquod jus, quod a Deo exigere poſſit, ita ut is eidem ad dandum quidpiam, vel faciendum obligetur, quod tamen, quantum ſit a veritate alienum, nullus non videt, aut iis Divina juſtitia ſæpiſſime ſuſpecta eſt: Unde deinceps naſcuntur querelæ, quod impiis omnia ex

voto

voto succedant, bonis vero male sit. Istiusmodi autem querelæ prorsus injustæ protenus evanescunt, ubi justitiam Dei nobiscum per sapientiam & bonitatem ejus concipis, quemadmodum eam jam ex mente Pharaonis (§. 533.) concipi debere insinuavimus. Justitiæ notio cum resolvatur in notionem sapientiæ atque bonitatis, sapientia vero & bonitas Divina in perfectionem intellectus ac voluntatis Numinis; Logicæ peritus facile videt, justitiam Divinam plene intelligi haud quaquam posse, nisi ab eo, qui probe perspecta habet, quæ de intellectu atque voluntate Divina a nobis demonstrata fuere, & quæ ex iis de sapientia, nec non bonitate porro deduximus. Cui enim notionum resolutio perspecta est, is non ignorat, tamdiu notioni alicui obscuritatis quidpiam relinqui, quamdiu notiones, in quas resolvitur, omnes ante clare ac distincte perceptas familiares non experimur. Ita enim insunt perceptioni, quatenus confusa est ob limitatam animæ vim, quæ claritatem causantur, etsi nonnisi resolutione facta ea adesse cognoscamus: In casu autem oppositio, vel ex iis quædam deficiunt, unde obscuritas; vel prorsus contraria tacite immiscentur, unde contradictio latens nascitur, non tollenda, nisi distincta notionum analysi. Contradictio illa latens influit in assensum, ut quandam in se repugnantiam ad assentiendum experiatur, qui eam non animadvertit, atque adeo minus recte suspectam reddit notionem veritati consentaneam, propterea quod illa repugnantia a natura intellectus derivatur, atque adeo vitium cognoscentis tribuitur objecto cognoscendo. Notandum adhuc est ab iis, qui animum ad probationem allatam advertunt, forsan dubitari posse, justitiæ notionem, quam ex mente Pharaonis (§. 533.) stabilivimus, menti S. S. conformem esse. Vix enim credibile videtur, Pharaonem, dum Deum, probante Scriptore sacro, justissimum

appellavit, animo perpendisse, quod plagis horrendis Ægyptum afficiens non agat quidpiam bonitati summæ adversum, quia easdem exigeret sapientia summa. Verum enim vero responsio in promtu est. Non nobis quæstio est de eo, quod distincte expendit Rex Ægypti; sed quod continetur in perceptionibus ejus confusis, quodque adeo distincte perpendisset, siquidem notiones confusas ad distinctas revocasset. Quod igitur facta notionum confusarum evolutione in iis deprehenditur, id omnino in distincta notione ponendum, ne id, quod ex distincta cognoscitur, differat ab eo, quod in confusa latet. Quid vero insit notionibus confusis, ex circumstantiis præsentibus colligendum, observatis legibus animæ in usu facultatum inviolabilibus, quæ in Psychologia *a Cl. Wolfio* exposita veniunt. Etiamsi itaque Pharao ideis confusis laboraverit, tamen id minime obstat, quin iis ad distinctas relatas, quemadmodum fieri necesse est, eadem ex mente Pharaonis, sacroque codice conformis prodeat justitiæ Divinæ notio, quam ex inde deduximus.

§. 535.

Justitia actionum Divinarum.

Deus justissimus est, ita ut ipsius justitia majorem concipi repugnet (§. 533.). Verum enim vero cum justitia versetur circa actiones, quatenus vel directe, vel indirecte respiciunt alios (*Theol. natur.* §. 1069.); Actiones justæ sunt, quatenus a justitia proficiscuntur, aut, si mavis, tales sunt in relatione ad alios, quia agens justus est. Quamobrem patet, **omnes Dei actiones justas esse, sive directe, sive indirecte creaturas respiciant, seu Deus justus est etiam erga alios.**

§. 536.

Justum Deus se in creatione,

Creatio (§. 443.), conservatio (§. 459.) & gubernatio rerum

rerum actiones Divinæ sunt (§. 469.). Enimvero actio Divina omnis recta est (§. 523.), & quatenus sive directe, sive indirecte respicit creaturas, justa (§. 535.). Creatio igitur, conservatio atque gubernatio rerum juita ac recta est. Verum enim vero actiones Divinæ plures involvunt actus, seu nostro saltem concipiendi modo, in plures actus resolvuntur, quemadmodum ex iis patet, quæ de creatione, conservatione, nec non gubernatione totius hujus universi supra demonstravimus. Unde porro manifestum est, **quod, quicquid Deus in prima rerum creatione fecit, quicquid hodienum in earundem conservatione & gubernatione facit, id omne rectum atque iustum sit.** *conservatio ne & gubernatione gerit.*

Propositio hæc utilitatis maximæ est in praxi morali, modo sufficienter perspectum fuerit, quid sit rectum, quid sit justum: vocabula enim non satis intellecta in appetitum minime influunt, influxu a claritate & evidentia notionum pendente.

§. 537.

Quoniam quicquid **Deus** in prima rerum creatione fecit, rectum atque justum est (§. 536.); ipso autem creationis actu, quo mundum hunc adspectabilem produxit, naturæ quoque ordinem constituit (§. 461. & *Theol. natur.* §. 765.); **nihil fecit in ordine naturæ, quod non sit rectum atque iustum,** aut, si mavis, **quod non recte ac iuste fecerit.** *In naturæ ordine nihil nisi quod rectum atque justum.*

Patet ex his, qui naturæ ordinem censuræ subjiciunt, vel ea reprehendere audent, quæ naturæ ordine eveniunt, in sanctitatem (§. 528.) & justitiam Dei esse injurios (§. 533.). Quod vero nobis subinde quædam minus recte, vel minus juste fieri videantur, id vel inde est, quod hæc ipsa non satis a nobis cognoscantur, vel quod rectitudinis ac justitiæ

notionem non satis distinctam habeamus. Ad evitandam adeo temeritatem in judicando praxi morali, adeoque saluti nostræ valde nocuam rectitudinis & justitiæ notiones probe expendendæ sunt.

§. 538.

Malorum ad bonum finem directio cur sit justitiæ Divinæ.

Directio malorum ad bonum finem est bonitatis Divinæ (§. 433.), simul etiam a sapientia Divina proficiscitur (§. 405. 401.). Quamobrem cum Deus mala ad bonum finem dirigat, bonitatem sapientiæ attemperat. Quoniam itaque justus est, qui bonitatem sapientiæ attemperat (§. 533.); **Deus utique iustus est, dum mala ad bonum finem dirigit; Consequenter directio malorum ad bonum finem est quoque iustitiæ Divinæ.**

Quivis facile admittit, Deum, quia justus est, mala dirigere ad bonum finem, modo ad exempla animum advertat, quale est illud Josephi supra (§. 405. 433.) expensum, quod eodem modo ex eo Pharaonis (§. 533.) aliisque evinci posset, si prolixiores esse, unam eandemque rem bis, terve dicere velimus. Ex nostra definitione justitiæ, sacro codici conformi, id veluti sua sponte fluit, manifesto indicio eam a communi significatu non recedere. Ceterum propositione præsente docemur, ad justitiam Divinam agnoscendam prodesse scrutationem directionis malorum ad bonum finem, quæ nullis in justitiam Divinam injuriis querelis concedet locum. Sane quicquid de justitia Dei specialius demonstramus, quemadmodum cetera omnia, non alio fine inculcamus, quam ut sint usui per universam praxin moralem; Adeoque generi humano prosint, dum noscat, quomodo felicitatem suam adipiscatur.

§. 539.

§. 539.

Permissio mali moralis cur sit justitiæ Divinæ.

Deus salva summa atque perfectissima sua sapientia mala moralia ex hac rerum serie tollere nequit, sed ea in bonum finem dirigit (§. 405.), nec non abusum libertatis, quo malum morale irrepit in actiones liberas (*Theol. natur.* §. 580.), sapientissime permittere decrevit (§. 425.), nec hæc permissio bonitati ipsius repugnat (§. 430.). Patet igitur, Deum permittere malum morale, quatenus bonitatem sapientiæ attemperat. Verum enim vero quatenus bonitatem sapientiæ attemperat, justus est (§. 533.). **Justus igitur Deus est, dum malum morale permittit, seu malum morale iuste permittit, aut, si magis arridet, permissio mali moralis non repugnat iustitiæ Divinæ.**

§. 540.

Ab exceptionibus liberatur.

Cum jam sæpe de permissione mali moralis egerimus, & terminus etiam vulgo usitatus sit, immo tanquam talis menti sacrarum literarum conformis (§. 371. 373. 380. 425. 430.) agnoscendus; Neminem puto fore adeo temerarium, ne quid gravius dicam, unde inde inferat, nos malas actiones facere juris permissivi, ita ut Deus homini integrum relinquerit, utrum malum committere, an omittere velit. Superius enim jam evicimus, malum omnino a Deo esse prohibitum (§. 499.). Permissio igitur mali, de qua hic loquimur, physica est, qua Deus malum ne per miraculum quidem tollit; minime autem moralis, quæ a lege oritur. Magnam inter utramque intercedere differentiam, clarissime constat ex Philosophia practica universali, ubi summus Philosophus *Cl. Wolfius* de jure permissivo uberius agit, quæ hic describere supervacaneum est, cum solidæ hæ demonstrationes ibi-

dem evolvi possint. Permissio physica tollit solummodo coactionem externam, ne quis invitus omittere cogatur, quod facere vult: Ast moralis, quæ dicitur, homini confert jus aliquid vel committendi, vel omittendi, & tertium obligat ad non impediendum agentem, qui suo jure utitur.

§. 541.

Justitia vindicativa Deo competit.

David *Psalm* VII, 12. *Deum* vocat *vindicem justum, & Deum fortem quotidie minari* asseverat. Quales vero illæ sint minæ, & quomodo Deus exequatur, quod minatus est, ipsemet docet *Exodi* XX, 5. inquiens: *Ego Jehova Deus tuus* (Deus) *fortis zelotes,* פקד *visitans* (*animadvertens*) *iniquitatem patrum in filios, in nepotes, & in abnepotes, in eos, qui odio prosequuntur me.* Ubi se persequi affirmat iniquitatem parentum in liberos vel ad tertiam & quartam generationem sui osorum. Et Salvator noster inprimis *Math.* XXV, 41. sqq. Supplicio afficiendos æterno docet eos, qui male fecerint in hac vita. Ex his itaque evidenter patet, **Deum decernere pœnas, immo pœnas æternas, easque decretas male facientibus irrogare.** Verum enim vero pœnas decernere & in delinquentes statutas exequi, **iustitiæ vindicativæ** nomine venit (*Theol. natur.* §. 1080.); Consequenter **Codex sacer Deo iustitiam tribuit vindicativam.**

§. 542.

Quæ hic notanda.

Justitiam vindicativam, licet sit terminus ἄγραφος, in S. S. Deo tribui, adeo exploratum est omnibus ex dictis & tot in ea occurrentibus exemplis atque dictis, qui eandem vel obiter legerunt, ut supervacaneum videatur, id ulterius probare velle. Qui vero hebetiores sunt, quam ut de Deo divino, non humano modo cogitare possint, pro pœnis non agnoscunt

agnoscunt mala physica, quæ in nexu rerum continentur; Consequenter re ipsa omnes pœnas temporales tollunt, etsi ipsimet quid faciant, non satis intelligant. Nemo non largitur, pœnarum irrogationem ad gubernationem universi pertinere. Quamobrem si falsum non est, sed potius attributis Divinis conforme, quod in rerum nexu contineatur gubernatio, immo omnis providentia Divina; nec absonum videri debet, aut potest, quod in eodem nexu pœnæ corporales, tam naturales, quæ ex actionibus necessario consequuntur, quam positivæ, quæ ob circumstantias contingentes inde resultant, etiam contineantur. Quæ vero de pœnis æternis S. S. docet, ea hic nondum explicari queunt, quoniam adhuc principia desiderantur, ex quibus demonstrari possit, Deum justissime decernere atque irrogare pœnas temporis infiniti, seu æternas; parte autem posteriori suo loco de iis agetur. Ceterum vides justitiam vindicativam ex definitione justitiæ, quam menti autoris sacri codicis conformem (§. 533.) dedimus, fluere, modo demonstrationes in sua principia resolvere didiceris, quæ (§. 534.) indicavimus; ut adeo vanus ac irritus sit conatus eorum, qui ob ἀβλεψίαν, qua laborant, sibi & aliis persuadere conantur, per eam tolli justitiam vindicativam (§. *citato*).

§. 543.

Justitia vindicativa cur Deum deceat.

Autoritate S. literarum convincimur, Deo malum morale minime placere posse, aut potius maximopere displicere (§. 368.). Verum enim vero cum justitia vindicativa, quæ ipsi competit, male facientibus pœnas decernat, easque exequatur (§. 541.): Malum vero morale, quod actionibus liberis inhæret, uti patet ex ipsa ejus definitione (§. 368. & *Theol. natur.* §. 374.), in imperfectione accidentali consistat (*Theol. natur.* §. 577.), & perfectioni essentiali contrarietur

rietur (*Theol. natur.* §. 578.); Ex justitia vindicativa intelligitur, Deum ex actionibus malis tædium percipere (*Psychol. empir.* §. 518.); Adeoque malum morale, ob quod actiones istæ malæ dicuntur (§. 368. & *Theol. natur.* §. 374.) eidem displicere (*Psychol. empir.* §. 542.). Manifestat igitur justitia vindicativa mali moralis displicentiam, fini ultimo, quem per existentiam hujus universi intendit (§. 379. 377.); Consequenter sapientiæ, qua gaudet, summæ convenienter (§. 401.). Quoniam itaque Deum decet, cujus ratio continetur in iis, quæ ipsi insunt, cur id potius velle debeat, quam aliud (§. 272.); justitiam vindicativam Deum decere, patet, quatenus in iis, quæ ipsi insunt, seu in essentia atque attributis ipsius continetur ratio, cur pœnas potius decernat male facientibus, easque decretas irroget iis, quam non.

§. 544.

Error refellitur.

Qui sibi imaginantur, quasi dedeceat Deum justitia vindicativa; eam bonitati Divinæ adversam judicant, vel cum cupidine vindictæ vitiosis hominum affectibus debitam inopportune comparant, obliti sapientiæ summæ, ac intellectus atque voluntatis summæ perfectionis, unde eam pendere satis superque ex dictis (§. 542 534.) abunde patet, modo nexum veritatum ex demonstrationibus conspicuum intime perspexeris. Quæ igitur sapientia perfectissima suadet, etsi animum ab eadem non sufficienter intellecta avertenti videantur dura, dura minime sunt, nec bonitati summæ quicquam derogant. Lenitas in Principe laudari nequit, qui furta atque latrocinia impune grassari permittit, ut, qui securitatis gratia in societatem coiverant, ab aliorum injuriis securi non sint. Defectu

fectu sapientiæ censuram merito incurrit, qua quicquid facit ad finem civitatis dirigere debebat. Mutat bonitas speciem, nisi cum sapientia in concordiam redeat, ut justitiæ locus sit (§. 533.).

§. 545.

Justitiæ vindicativæ convenientia cum sanctitate Dei.

Cum Deum deceat (§. 543.); cur male facientes punire potius velit, quam impunitos relinquere; in iis, quæ ipsi insunt, seu in essentia & attributis ejusdem ratio continetur (§. 272. 543.). Quamobrem cum actio recta sit, quæ rationem sufficientem in essentia atque attributis agentis habet (§. 523.); Dum Deus punit male facientes justitiæ vindicativæ locum faciens, quod rectum est, facit. Unde David *Psalm.* XXV, 8. eundem *bonum atque rectum* prædicat, & Psalmista *Psalm. XCII, 16. Jehovam rectum annunciat, quod in eo nulla iniquitas sit.* Quamobrem cum idem sanctissimus sit, quatenus nunquam facere vult, nisi quod rectum est, nec unquam se a proposito suo dimoveri patitur, ut, quod rectum non est, faciat (§. 530.); **Justitia Vindicativa ipsi tribuenda, quia sanctissimus est, seu sanctitati ejus summæ convenit.**

Hæc veritas probe notanda, ut sanctitatem Dei in justitia vindicativa tremebundi veneremur, nec non motivum fiat ad salutem nostram cum tremore quærendam, quemadmodum suo loco clarius docebitur.

§. 546.

Beatitudo summa Dei asserta.

Deus I. *Timoth.* VI, 15. ὁ μακάριος *beatus* dicitur. Videndum vero, quonam Sensu: quoniam definitionem beatitudinis Divinæ in Sacris nullibi reperimus. Vocabulo Græco μακάριος respondere illud Hebraicum אשרי nemo linguæ

utriusque vel modice gnarus non novit. Quamobrem ad indagandam notionem beatitudinis ex mente autoris Sacri codicis Deo tribuendæ usui sunt, tum loca veteris fœderis, in quibus vocabulum אשרי occurrit, tum loca novi, in quibus Grcum μακάριος legitur. *Virum* אשרי *beatum* prædicat David *Psalm. I, 1. sqq. qui non ambulat in consilio impiorum, nec viæ peccatorum insistit, & in consessu derisorum non desidet. Sed cujus oblectatio* (est) *in lege Jehovæ, &* (qui) *de lege illius meditatur interdiu ac noctu. Est enim sicut arbor plantata ad rivos aquarum, quæ fructum suum edit in tempore suo, & cujus folium non decidit, ideo quicquid facit, prosperabitur.* Adeoque Psalmista virum dicit beatum, qui nec impiorum consiliis aurem præbet benignam, nec eorum male facta imitatur; Sed cui constans atque perpetua voluntas non faciendi, nisi quæ legi Divinæ conveniunt; Consequenter quæ vult Deus, ac qui ideo in lege Divina die ac nocte meditatur, ut quid voluntati Divinæ conveniat, in dies magis magisque, seu penitius cognoscat. Comparat autem virum beatum cum arbore, ad aquæ rivum sata & fructum suum suo tempore ferente: Quo ipso innuit, eundem in cognitione veritatis ad actiones suas recte dirigendas utilis continuo proficere, nec non actiones suas ad rectitudinem componere, quippe actiones rectæ fructibus comparantur, quos edit arbor. Perficitur intellectus, dum in veritatis ad rectam actionum directionem utilis cognitione proficit. Perficitur voluntas & homo integer, quatenus actiones liberæ spectantur quoad animam atque corpus, dum promptitudinem actiones ad rectitudinem componendi, easque exequendi consequimur. Atque adeo liquet, Davidem hominem salutare beatum ob continuum, eumque non impeditum progressum ad majores indies perfectiones;

Conse-

Consequenter Davidi **Beatitudo** est, non impeditus ad majores indies perfectiones progressus. Jam cum Deus, teste Paulo, prorsus immutabilis sit (§. 36.); Continuo progredi nequit ad majores perfectiones; Consequenter ejus **beatitudo consistere nequit, nisi in non impedita possessione atque fruitione perfectionum, quas habet,** seu **Deus est beatissimus, quia summam perfectionem ita possidet, nec non eadem fruitur, ut in possessione ac fruitione ejusdem nullo modo impediri possit.**

§. 547.

Ulterius illustratur, & vindicatur.

Qui reliqua S. paginarum loca evolvit, ubi vel vocabulum אשרי, vel illud μακάριος legitur, is notionem beatitudinis fere eodem modo, quo ex Psalmo eam deduximus, stabilire potest. Sane beatitudo æterna a Christo fidelibus promissa in progressu ad majores indies perfectiones consistit, quemadmodum facile intelliget, qui, quæ in promissis Divinis contineantur, intelligit, quod suo loco clarius patebit, quando parte altera Theologiæ, conditio pii & impii indaganda veniet. Beatitudinem Dei esse absolute summam, ita ut majorem ea concipi repugnet, evidens est. Beatitudinis enim gradus potissimum æstimatur ex gradu perfectionis, quæ possidetur; simul tamen ratio habenda libertatis ab impedimentis in progressu ad perfectionem, vel in possessione ac fruitione ejusdem. Perfectio Dei summa est, qua major concipi nequit. Sumus adeo esse debet beatitudinis ipsius gradus. Nil quicquam datur, quod Deum in possessione ac fruitione perfectionis suæ quomodocunque turbare possit. Liber igitur est ab omni impedimento, quod

beatitudinem aliquo modo diminuere posset. Quamobrem nec ex hoc capite beatitudine ejusdem major quædam concipi potest. Certissimum igitur est, beatitudine Divina majorem concipi haud quaquam posse. Nulla difficultas est, quod beatitudo summa videatur mutare genus, cum ea consistat in possessione perfectionis, quæ vero summa non est in progressu ad perfectionem: Id enim obtinet in omnibus, quæ enti finito & infinito quasi communia sunt, prædicatis. Sane intellectus finitus facultas est, quia operationes ipsius successivæ sunt per naturam entis finiti (*Ontol.* §. 835.); Ast intellectus absolute maximus, qualis est Divinus (§. 200.), actus est, non facultas (§. 202.), quia operationes ejus simultaneæ sunt (§. 185.) per naturam entis infiniti (*Ontol.* §. 338.). Unde *scholastici* dudum recte annotarunt, Deum non esse in prædicamentis, sed supra prædicamenta, ne confundatur differentia inter ens finitum atque infinitum. Ea autem vis est infinitudinis, ut in prædicatis, quæ ab ente finito ad infinitum salva differentia inter utrumque intercedente transferuntur, mutet genus. Ut hæc clarius pateant, mox (§. 551.). Subiiciemus ea, quæ de modo perveniendi ad notiones perfectionum Divinarum cogitu necessaria sunt.

§. 548.

Incommunicabilitas beatitudinis Divinæ.

Cum ei qui beatissimus est, beatitudo absolute summa competat Deus autem beatissimus sit (§. 546.); Deo competit beatitudo absolute summa. Quamobrem cum ea in possessione ac fruitione non impedita perfectionis summæ consistat (§. *citato*); Non cadere potest in ens, nisi quod perfectionis absolute summæ particeps fieri potest. Verum enim vero perfectio summa Deo tanquam Spiritui perfectissimo (§. 303.) & infinito convenit (§. 511.). Quamobrem cum enti nulli attributa alterius entis communicari possint

(*Psychol.*

(*Psychol. ration.* §. 45.); Nec enti cuidam finito summa perfectio, qua majorem concipi repugnat, communicari potest. Patet itaque **beatitudinem Divinam nulli enti finito cummunicari posse, seu beatitudinem Dei esse incommunicabilem.**

Quoniam quilibet homo ens finitum est (*Ontol.* §. 837.), **beatitudo** autem **Divina** nulli enti finito communicari potest *per modo demonstrata;* **nec ea homini ulli communicari potest.**

§. 549.

Beatitudo Divina a beatitudine humana tanto intervallo distat, quanto summa Dei perfectio ab ea, quæ in hominem cadit, removetur, hoc est, quanto admodum finitum distat ab infinito. Innumeri adeo gradus beatitudinis intermedii inter Divinam & eam, quæ in hominem in hac vita cadit, interjacent, quorum ens finitum particeps fieri potest, & qui nec naturæ humanæ repugnant. **Qui adeo prætendunt Deum, cum sit summe bonus, creaturas rationales ejus beatitudinis, qua ipse gaudet, compotes facere posse, nimirum ut ejusdem gradus cum Divina sit ipsarum beatitudo; bonitatem Divinam ad impossibilia extendunt; adeo que absona statuunt, erroris sui redarguendi.** Volunt enim creaturam, ens finitum, converti in infinitum, seu Deificari: Quam vero sit absurda Deificatio creaturæ cujusdam, satis intelligunt, qui primas philosophiæ primæ notiones de essentiis rerum animo comprehenderunt; Quid de iis sentiendum qui ex revelatione didicere, Deo abomina- *Error refellitur.*

nabiles esse, qui creaturam in creatorem mutant, aut Divina ejus attributa cum creaturis communicare posse somniant, in propatulo est. Ens finitum in infinitum converti nequit, nec Spiritus perfectionum limitatarum in perfectissimum. Ergo & beatitudo Divina, quæ per essentiam atque naturam suam infinito propria, in finitum cadere prorsus impossibile est.

§. 559.

Similitudo Dei & animæ.

Moses historiam creationis conscribens, refert, *Deum hominem fecisse ad imaginem suam, secundum similitudinem suam Gen. I, 26. 27.* Iam nostrum est scrutari in quo similitudo ista constitat, quoad essentiam stricte sic dictam, ut nimirum ratio tantummodo habeatur earum determinationum, ex quibus cetera deducuntur. In Deo continuo existit idea possibilium (§. 172.); Adeoque non modo hujus, qui existit mundi, sed & ceterorum quoque omnium possibilium, vi cujus Deus sibi non modo repræsentat hoc universum, verum etiam cetera omnia quoad omnes status possibiles (§. 130.). Et hæ ideæ omnium mundorum possibilium Deo essentiales sunt (§. 203.), ac per anteriora patet, ex eo, quod Deus sibi omnes mundos possibiles repræsentare possit, derivatam esse rationem ceterorum, quæ ipsi insunt. Patet adeo vim, quæ Deo tanquam substantiæ (§. 512.) simplici (§. 78.) inest, esse universi repræsentativam. Anima itidem sibi repræsentat hoc universum (*Psychol. ration.* §. 62.) per essentiam (*Psychol. ration.* §. 66.) & naturam suam (*Psychol. ration.* §. 67.), producens continuo ideam totius universi non modo quoad statum præsentem; verum etiam quoad omnes præteritos atque futuros, sed pro diversa dependentia status præsentis a præteritis, nec non futurorum a præsente continuo diversam (*Psychol. ration.* §. 190.).

190.). Et ex hac vi repræsentativa ratio reddi potest ceterorum omnium, quæ de anima observantur (*Psychol. ration.* §. 529.). Evidens adeo est, vim, quæ animabus nostris tanquam substantiis simplicibus (*Psychol. ration.* §. 48.) inest, perinde esse universi repræsentativam, quemadmodum ea est, quæ Deo tanquam substantiæ simplici inesse deprehenditur. Quamobrem cum substantiæ simplices distinguantur per vires ipsis inexistentes; Ideo liquet **inter Deum atque animam similitutidinem quandam essentialem intercedere.**

Verum enim vero intuitus ideæ universi in Deo illimitatus est (§. 183 *Num.* I.), in anima valde limitatus (*Theol. natur.* §. 184.), ita ut Deus omnia cognoscat distincte, nihil confuse (§. 169.), & omnia simul (§. 185.); Anima vero non nisi clare ac distincte sibi repræsentat ea, quæ per mutationes in organis Sensoriis corporis explicari possunt (*Psychol. ration.* §. 62.); Consequenter successivæ sunt claræ ejus ac distinctæ perceptiones. Quoniam in ente infinito omnia sunt simul, quæ eidem actu inesse possunt (*Ontol.* §. 838.), finitum autem non simul est, quod esse potest (*Ontol.* §. 837.), indeque finitum limitatum (*Theol. natur.* §. 173.); e contra infinitum illimitatum; **ea inter Deum atque animam intercedit similitudo essentialis, quam admittit differentia inter finitum & infinitum.**

§. 551.

Deus hominem ita creavit, ut inter se & animam similitudo tanta essentialis detur, quantam admittit differentia inter ens finitum atque infinitum (§. 550.). Quoniam itaque

Quomodo ad notiones perfectionum Divinarum perveniatur.

itaque similitudo in identitate eorum consistit, per quæ entia a se invicem discerni debebant (*Ontol.* §. 195.), & quidem si essentialis sit, similitudinem essentialium & eorum, quæ per ea determinantur, supponit (*Ontol.* §. 210.); Necesse est, ut, quæ animæ per essentiam & naturam suam insunt, eadem sint cum iis, quæ insunt Deo per essentiam atque naturam ipsius, quatenus identitas quædam salva differentia inter ens infinitum atque finitum subsistere potest. Quodsi ergo eorum, quæ animæ nostræ per essentiam atque naturam ipsius insunt, notiones distinctas quæsiveris; cum determinationes, quæ eas ingrediuntur, a se invicem distinguere (*Logic.* §. 88.), immo si terminos quoque noveris, quibus illæ exprimuntur, alteri enumerare valeas, limitationes eorum, quæ animæ nostræ per naturam, nec non essentiam ipsam insunt, perspicies. Quamobrem si inde tollas limitationes omnes, quæ adsunt; prodibunt notiones earundem rerum, quatenus conveniunt enti infinito; Consequenter notiones eorum, quæ insunt Deo. Atque adeo evidens est, **nos habere notiones attributorum Divinorum, seu perfectionum Divinarum, si notiones distinctas eorum, quæ animæ nostræ per essentiam, nec non naturam ejus insunt, a limitationibus liberemus.**

§. 552.

Quod ulterius corroboratur. Deum intuitive cognoscere nequimus, cum rerum a nobis diversarum cognitio nostra ad Sensus restringatur, nec non ad imaginandi facultatem, quæ a Sensu pendet (*Psychol. empir.* §. 117.). Deus igitur invisibilis (§. 97.) intuitive a nobis pro præsente cognoscendi modo nullatenus cognosci potest. Cognosci ideo debet per res sensibus subjectas,

jectas, hoc est, per creaturas, quatenus ex iis, quæ ipsis insunt, colligimus, quæ Deo inesse debent, quemadmodum, scriptura magistra, a nobis factum in anterioribus, ubi omnes demonstrationes doctrinæ generali de mundo hoc adspectabili, seu de creaturis in genere superstruximus. Verum enim vero si a rebus materialibus ad Deum argumentari volueris, notiones attributorum habere debes: neque enim eæ abstrahi possunt a rebus, unde fit argumentatio, cum iisdem non insint. Formandæ igitur sunt eo, quem in propositione paragraphi præcedentis insinuavimus, modo. Atque hoc pacto patet, cognitionem Dei, qualis jam in nos cadit, nobis esse possibilem propter animæ cum Deo similitudinem essentialem, quam paulo ante (§. 550.) hunc in finem evicimus. Sane si ista similitudine destitueremur, nec cognitionis Numinis capaces essemus. Præsens igitur propositio utilitatis maximæ est, immo utilitatem spondet tanto majorem, quanto accuratior nobis est animæ cognitio. Quamobrem utilissimam operam sumit, qui naturæ animæ, sive Psychologiæ tam empiricæ, quam rationali addiscendæ gratia lapidem omnem movet. Sed ne in applicanda hac propositione aberremus, exemplo aliquo doceri libuit, quomodo ea rite applicetur. Intellectus noster est facultas res distincte repræsentandi (*Psychol. empir.* §. 275.). Limitatur autem duplici modo, nimirum tum quoad objectum, tum quoad modum repræsentandi objecta (*Psychol. empir.* §. 279.). Quod enim objectum attinet; nemo non novit, se quædam saltem sibi repræsentare posse, non vero omnia. Quod modum repræsentandi concernit, non minus unicuique perspicuum est, se, dum existimat res distincte sibi repræsentare, in confuse perceptis acquiescere, & quantum a perceptione prorsus distincta seu adæquata absimus, Psychologiæ rationalis peritus intimius perspicit; & plane obvium

est, nos nonnisi successive ea, quæ sub cognitionem nostram cadunt, nobis repræsentare valere. Remove igitur limitationes, quæ insunt intellectui nostro (§. 183.). Extende eum ad possibilia omnia quomodocunque spectata; Adeoque non tantummodo in se considerata, verum etiam ad se invicem omni possibili modo relata (§. 198.). Arce, quicquid confuse percipitur, nec admitte nisi destincte repræsentata (§. 169.). Tolle in repræsentando successionem, ut, quæ vi entis intelligentis repræsentari possunt, repræsententur simul (§. 185.). Cum hoc pacto prodeat repræsentatio prorsus distincta atque simultanea omnium possibilium tam in se spectatorum, quam ad se invicem relatorum, facultate repræsentandi in actum purum degenerante (§. 202.); In hoc ipso actu consistit intellectus Divinus (§. 130.). Exemplo hoc clarissime docemur, quomodo, etiam scriptura magistra, per ea, quorum nobis sumus conscii de anima nostra quatenus essentialem quandam similitudinem cum Deo habet, ad notiones eorum, quæ Deo insunt, pervenietur. Cautione tamen non una opus est, ne in applicatione principii heuristici Theologiæ in antropomorphismum incidas, vel etiam notiones incompletas pro completis amplectaris.

CAP. VII.

DE IIS, QUÆ DEO PER EMINENTIAM TRIBUUNTUR.

§. 553.

Imaginatio per eminentiam Deo tribuenda.

DEus imaginatione caret, (§. 187.), atque adeo Sensu proprio eidem tribui nequit. Verum enim vero imaginatio facultas est producendi perceptiones rerum Sensibilium absentium (*Psychol. empir.* §. 92.); Adeoque sibi

sibi repræsentandi præterita non modo atque futura (*Theol. natur.* §. 228.), verum etiam ea, quæ cum possibilia sint, nunquam tamen existunt. Iam constat, Deum sibi repræsentare omnia possibilia tum absolute spectata, tum in systema redacta (§. 198.), distincte prorsus, nihil confuse (§. 169.) atque simul (§. 185.), eaque intuitive cognoscere, ipsa vi intellectus (§. 130.). Et in ea rerum serie, qua continentur ea, quæ ad actum perducenda, seu certo quodam tempore existentia præterita tanquam præterita sibi repræsentat per deprndentiam præsentium, quæ a ceteris eidem serei inexistentibus per concursum suum distinguit (*Theol. natur.* §. 939.), a præteritis, & futura tanquam futura per dependentiam eorundem a præsentibus (*Theol. natur.* §. 940.). Vis igitur repræsentativa mundorum omnium possibilium Deo essentialis (*Theol. natur.* §. 1094), & potentia conservatrix, qua ad omnes creaturarum actiones concurrit (§. 463., supplet vicem imaginationis illimiratæ, si talem fingere licet. Quamobrem cum per eminentiam dicatur inesse, quod proprie loquendo non inest, ejus tamen loco enti inest aliud, quod vicem ejus supplet, quod proprie eidem repugnat (*Ontol.* §. 845.); Dubitari nequit, **quin Deo per eminentiam imaginatio insit, quatenus eidem ea Sensu proprio inesse nequit, interim tamen vis repræsentativa mundorum omnium possibilium ipsi essentialis, & potentia conservatrix, qua ad omnes creaturarum actiones concurrit, supplet imaginationis vicem.**

§. 554.

Phantasmata, quæ vi imaginationis ab hominibus fin- *Quæ hic notanda.*

guntur, sed cum contradictionem involvant distincte intellecta, existere nequeunt, imperfectioni facultatis cognoscendi, quæ animæ humanæ competit, tribuenda sunt; Consequenter a Deo, ab omni etrore prorsus immuni, removenda sunt. Et absonum foret quærere, num facultas fingendi Deo per eminentiam insit. Quatenus tamen omnia impossibilia cognoscit (*Theol. natur.* §. 307.), atque novit, quænam eorum ens unumquodque finitum intelligens pro possibilibus amplectatur (*Theol. natur.* §. 309.), neque ipsum fugiunt omnes errores, qui ab intellectu finito admitti possunt (*Theol. natur.* §. 310.); Istiusmodi phantasmata tanquam aberrationes in ideis rerum intelligentium finitarum perspicit, non vero per se insunt intellectui Divino.

§. 555.

Memoria per eminentiam Deo tribuitur.

Memoria Deo tribuitur *Psalm.* VIII, 5. *Hebr.* II, 6. Ubi dicitur, *quid est homo, ut memor sis ejus?* Cum **memoria** consistat in facultate ideas reproductas recognoscendi (*Psychol. empir.* §. 175); eædem vero vi imaginationis reproducantur (*Psychol. empir.* §. 92.); memoria imaginationem supponit, nec sine ea in ente aliquo datur. Quamobrem cum Deus imaginatione careat (§. 187.), nec memoria ipsi proprie loquendo, hoc est, eo Sensu, quo nobis tribuitur, tribui potest. Verum enim vero constat, Deum integram rerum seriem, quæ actum consequuntur, sibi simul repræsentare (§. 169. 185.), & in ea præsentia a præteritis distinguere, (*Theol. natur.* §. 939. 940.). Quoniam itaque vi memoriæ res per ideas reproductas repræsentatæ tanquam præteritæ agnoscuntur (*Psychol. empir.* §. 175.); Vis repræsentativa hominis eorumque, quæ unquam patravit, immo totius hujus universi simultanea atque

que distincta Deo essentialis (§. 550.), nec non potentia conservatrix, qua ad actiones creaturarum concurrit (§. 462. 463.), memoriæ vicem supplet. Memoria igitur per eminentiam Deo tribuitur, (*Ontol.* §. 845.) quatenus ea sensu proprio, hoc est, eo Sensu, quo nobis tribuitur, tribui nequit, interim tamen vis repræsentativa totius hujus universi simultanea atque distincta, itemque potentia conservatrix Deo essentialis, qua ad actiones creaturarum concurrit, memoriæ vicem supplet.

§. 556.

Et quidem absolute maxima.

Recte Deo tribuitur memoria hominis, omniumque præteritorum & quidem perfectissima. Etenim non modo præterita omnia sibi repræsentat, ita ut ipsi continuo idealiter præsentia sint, eorundemque sibi optime conscius sit, ita ut nihil effugiat conspectum ipsius; Verum etiam novit, quod aliquando fuerint præsentia. Quoniam magnitudo memoriæ æstimatur ex numero rerum, quarum ideas reproducere, & reproductas recognoscere valemus, tum diverso tempore sigillatim perceptarum, tum eodem tempore in continua serie simul perceptarum (*Psychol. empir.* §. 194.); Memoria autem, quæ Deo per eminentiam tribuitur, ad omnia præterita simul extenditur. Memoria Divina majorem concipi minime posse patet. Est adeo absolute maxima.

§. 557.

Vitæ creaturarum dependentia a Deo.

Inter ea, quæ Paulus asseverat, nobis a Deo data esse,

refert etiam vitam noſtram *Actorum. XVII, 28. In ipſo* (Deo) *enim vivimus.* Creatura nulla ſeipſam conſervare poteſt, ſed a Deo conſervetur neceſſe eſt (§. 459.); Adeoque etiam viventes a Deo conſervantur. Iam cum creatura nulla ſine Divina conſervatione quicquam agere poſſit, & ad ſingulas ejus actiones per eorum conſervationem concurrens (§. 463.), vires agendi eis largitur; Homo, immo omnes creaturæ; Viventes quoque vires, quas habent, agendi a Deo habent. Cum vero vivum ſit, quod vi activa præditum (*Theol. natur.* §. 107.), nec non in continua actuoſitate, qua vi intrinſeca in vivente actuantur, quæ per eſſentiam in eodem poſſibilia, vita conſiſtat (*Theol. natur.* §. 108.); **quin homo, immo creatura omnis vivens vitam a Deo habeat, quatenus continuam actuoſitatem, qua vi intrinſeca in ipſis actuantur, quæ per eorum eſſentiam in eodem poſſibilia ſunt, a ſolo Deo habeat, dubitari nequit.**

Hæc propoſitio uſui eſt in Theologia practica, ubi agendum erit de jure hominis in vitam ſuam ac aliorum. Patet autem ex demonſtratione, hominem non vivere niſi dependenter a Deo, ejusdemque vita, modo eandem in ſua principia reſolvere noveris. Vita igitur creaturæ nulla eſt ſine vita Dei, etſi Deus vivat indepedenter a re omni alia (§. 122.). Unde evidens eſt differentia vitæ creaturarum a vita Dei: Hæc enim prorſus independens eſt, illa autem tota dependens.

§. 558.

Qualis cauſa ſit Deus, & qualis creatura.

Numerus I. Ens iſtud neceſſarium, in quo ratio ultima eorum, quæ in hoc mundo adſpectabili ſunt atque fiunt,

unt, continetur, est Deus (§. 76. 21.). Quamobrem cum contingentia in mundo non habeant rationem sufficientem actualitatis suæ in serie successivorum, sed in ente alio extra seriem istam constituto, eoque necessario (*Cosmol.* §. 90.), causa vero prima sit, in qua ratio ultima actualitatis eorum, quæ in hoc mundo adspectabili sunt atque fiunt, continetur (*Ontol.* §. 866. 881.); **Deus utique est rerum omnium causa prima; creatura vero ea esse nequit.**

Numerus II. Cum adeo creaturæ, utpote a Deo creatæ (§. 449.); Adeoque productæ (§. *citato & Psychol. ration.* §. 697.), non sint causæ primæ *per demonstrata num. I.* Causa vero secunda dicitur, quæ primæ subest, seu nonnisi prima existente datur; **Creaturæ non sunt nisi causæ secundæ.**

Numerus III. Verum enim vero creaturæ in agendo a Deo dependent. Quamobrem cum sint causæ secundæ *per demonstrata num. II.* prima autem Deus sit *per demonstrata num. I.* **Causæ secundæ non agunt, sive operantur nisi dependenter a prima.**

Quoniam causæ primæ ac causarum secundarum cum a Theologis, tum a Philosophis frequens mentio fieri solet; propositionem præsentem addere consultum duximus.

§. 559.

Diserte *Petrus* de Deo asseverat II *Epist.* III, 9. quod *nolit ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere* (*ad pœnitentiam redire*). Deus, qui omnia distincte cognoscit, *Voluntas Deo vindicata.*

gnoſcit, nihil confuſe (§. 169.), diſtincte quoque cognoſcit atque diſcernit bonum & malum *Gen.* III, 22. Adeoque infelicitatem hominum verum malum eſſe, eum minime fugere poteſt. Quamobrem cum Petrus affirmet, Deum nolle ut quisquam pereat; eo ipſo docet, Deum infelicitatem hominum, quam diſtincte verum malum eſſe novit, nolle. Addit porro Apoſtolus: quod *velit omnes ad reſipiſcentiam tendere;* Conſequenter noluntas Dei, qua non vult hominis infelicitatem, non eſt nuda volitionis omiſſio: Etenim Petrus peculiarem rationem nolitionis eſſe probat volitionem Dei, ut omnes ad pœnitentiam redeant, felicitatemque ſuam adipiſcantur. Eſt itaque noluntas Dei peculiaris quidam actus Divinus, perinde ac volitio (*Pſychol. empir.* §. 884. 882.); Conſequenter quin ea etiam quædam realitas Dei ſit, dubitari haud quaquam poteſt (*Theol. natur. part.* II. §. 5.). Quoniam vero omnis realitas quæ Deo ineſt, eidem tribui debet in gradu abſolute ſummo; **Deo quoque tribui debet noluntas, eaque in gradu abſolute ſummo, qua omne omnino malum non vult, ſeu nihil prorſus mali vult, nec velle poteſt.**

Communiter noluntas a voluntate non diſtinguitur, ſed actus nolitionis atque volitionis ſimul ad eam referuntur. Quantum vero interſit res diverſas inter ſe, etiam pro diverſis agnoſcere, ac a ſe invicem accurate diſcernere, adeo manifeſtum eſt, ut ejus neceſſitatem annotaſſe, pro ipſa ejus demonſtratione haberi poſſit, fidemque occulatam dabimus in ſubſequentibus. Ceterum ex hac demonſtratione luculenter patet, nolitionem non eſſe nudam volitionis omiſſionem; ſed aliquid amplius ad eam requiri; Conſequenter quid poſitivi accedere debere ad privationem (*Pſychol. empir.* §. 884. 881.).

§. 560.

§. 560.

Revelatione atque ratione ducibus agnoscimus, voluntatem Dei non nisi in optimum ferri (§. 252. & *Theol. natur. parte* II. §. 185.); Consequenter fieri non potest, ut Deus bonum apparens præferat vero bono, vel bonum minus majori. Ponamus enim, si fieri potest, Deum præferre bonum apparens vero, vel minus majori bono. Quoniam bonum apparens bonum non est, sed solummodo tale videtur (*Psychol. empir.* §. 557.); Adeoque multo minus optimum esse potest: Consimiliter bonum minus, quod se majus admittit, optimum esse nequit, cum optimum sit, quo majus dari repugnat; Voluntas Dei non feretur in optimum, quod cum sit absurdum revelatione ac ratione testibus; **Fieri minime potest, ut Deus bonum apparens præferat vero, nec ut minus præferat majori bono.**

Deus nec bonum apparens vero, nec minus majori præferre potest.

Ponamus porro, voluntatem Divinam generaliter quidem determinatam esse ad optimum, quemadmodum humana ad bonum (*Psychol. ration.* §. 521.); hoc tamen non obstante bonum apparens præferre vero ac minus majori. Quoniam ratio aliqua adesse debet, cur id fiat (*Ontol.* §. 70.); Aliam esse non posse per se patet, quam ut apparens videatur verum bonum, idque in casu dato maximum; Adeoque optimum, & bonum minus itidem videatur maximum ac optimum; Quod cum concipi non possit sine aliquo cognitionis defectu, admittenda erit aut cognitio, aut volitio defectum quendam involvens. Verum enim vero cognitio Dei sua natura maxima (§. 212. 200.) & perfectissima est (§. 212. 198.), nec non voluntas perfectissima ei competit (§. 296.); ut adeo nulla in parte defectum patia-

tur: Immo cum in genere Deo tribui nequeat, quod ullo modo defectum aliquem involvit (*Theol. natur. part.* II. §. 37.). Ergo nec tribui potest electio apparentis boni præ vero & minoris boni præ optimo; Consequenter **nec hoc modo fieri potest, ut Deus bonum apparens vero præferre possit, vel minus bonum optimo.**

§. 561.

Errandi ansa detegitur ac profligatur.

Hanc veritatem in genere & ratio, & revelatio docet, exemplisque pluribus corroborat: Nullus enim tam in sacris hospes erit, quin id agnoscat, unde eandem exemplis confirmare nobis supervacaneum esse videtur. Probe vero perpendendum erit, **qui, ubi in genere de voluntate Dei loquuntur, eam optimam vocant,** & optimam Numinis voluntatem tanquam motivum fiduciæ erga Deum & acquiescentiæ in voluntate ipsius commendant, **in casibus tamen particularibus negant optimum esse, quod a Deo electum concedunt; voluntatem Divinam tanquam per essentiam suam ad optimum determinatam supponunt, sed hoc non obstante ob libertatem, qua gaudet, præferre bonum minus majori.** Ut igitur intelligeretur, hanc opinionem cum summa Dei perfectione consistere minime posse, immo qui ita sentiunt, eos in eandem se injurios præbere; Adeoque erroris sui convincendos esse; priori demonstrationi posteriorem subiiciendam esse duximus. Deum non præferre bonum apparens vero, facile admittunt omnes, quod manifestum

festum hoc redarguat defectum sive in intellectu, siquidem naturam voluntatis satis perspectam habent, sive in voluntate, quam hoc pacto per essentiam suam ad malum determinatam esse debere saltem particulariter perspiciunt. Verum enim vero non minus eandem rationem adesse debere vident acutiores, ubi admiseris, Deum præferre minus majori bono. Aut enim in intellectu ponendus erit aliquis defectus, ut scilicet Deus bonum minus habeat pro eo, quo majus non detur, aut in voluntate, quæ tanquam ab intellectu independens spectatur, defectus aliquis admittendus. Quodsi hunc defectum voluntatis distincte resolvere vellemus in sua principia, in defectum intellectus tandem & ipse recideret. Sed tantis ambagibus in re satis manifesta, si notionibus confusis valedixeris, opus non est. Nemo non perfectiorem censeret voluntatem hominis, si semper eligeret, quod optimum est, nec adeo faceret, nisi quod optimum. Quamobrem cum Deo perfectionem absolute summam denegare minime possimus (§. 303.), nec eam ipsi quisquam denegare ausit, qui Deum verum se agnoscere profitetur; Mirum profecto videri posset, cur voluntatis Divinæ tendentiam in id, quod optimum est, in dubium vocare quidam audeant; nisi abunde constaret, quanta sit præjudiciorum vis in illorum animis, qui veritatum nexum distincte expendere minime norunt, aut nolunt.

§. 562.

Omne malum Deus non vult (§. 559.). Quamobrem ex eo, quod quid sit malum, intelligitur, cur Deus id nolit. Quoniam itaque ratio sufficiens noluntatis est, per quod intelligitur, cur Deus quid nolit (*Ontol.* §. 56.); Repræsentatio mali ratio sufficiens est noluntatis Divinæ, aut

Motivum noluntatis Divinæ.

si mavis, nolitionis Divinæ. Et quia ratio sufficiens nolitionis est motivum hujus actus (*Psychol. empir.* §. 887.), **repræsentatio mali est motivum noluntatis Divinæ.**

§. 563.

Quæ hic notanda.

Repræsentatio mali est etiam in nobis motivum nolitionis (*Psychol. empir.* §. 890.), atque adeo quoad gradum perfectionis nulla differentia intercedere videtur inter noluntatem humanam atque Divinam. Verum enim vero notandum est, noluntatem Divinam extendi ad omne malum, ita ut repugnet Deum unquam velle quid mali, cum ex adverso haud raro contingat nos velle malum sub ratione boni; Consequenter id non nolle: Atat! aliter se res habet in voluntate, quæ non ad omne bonum actu extenditur, cum alias, quicquid bonum est, existere etiam deberet. Quemadmodum autem perfectio voluntatis est velle optimum seu bonum maximum; Ita ex adverso perfectio noluntatis est nolle malum vel minimum. Actus enim nolitionis repugnare nequit actui volitionis.

§. 564.

Cur Deus omnia nolit simul.

Si Deus non omnia simul aversaretur, quæ aversatur, sed successive demum id fieret; daretur utique in eodem statuum successio (*Ontol.* §. 705.). Verum enim vero in ipso nulla statuum successio locum habet (§. 176.). **Necesse igitur est, ut omnia nolit, seu aversetur simul, quæ non vult, seu aversatur.**

Idem etiam hoc modo probari potest. Quoniam repræsentatio mali est motivum noluntatis Divinæ (§. 562.); Adeoque nolitionis ratio sufficiens (*Psychol. empir.* §. 887.), posita

posita vero ratione sufficiente nolitionis, ipsa etiam ponatur nolitio (*Ontol.* §. 118.); Necesse est, Deum nolle malum, quam primum id sibi repræsentat. Verum enim vero intellectus Divinus omnia possibilia singularia & universalia (§. 198.); Adeoque etiam malum omne, sibi simul repræsentat (§. 185.). **Necesse igitur est, ut etiam omne malum simul, seu unico noluntatis actu nolit, sive aversetur.**

Nimirum successiva mali nolitio supponit defectum cognitionis mali, scilicet quod non simul cognoscatur; Atque adeo intellectus defectus in noluntatem redundat. Quamobrem cum Deo tribui nequeant, quæ ullo modo defectum aliquem involvunt; nec successiva mali cognitio in eodem locum habere potest.

§. 565.

Deus omne malum unico noluntatis actu, seu simul aversatur (§. 564.); Consequenter una nolitio alteram præcedere, alteraque alteram sequi nequit. Si vero Deus aliquid mali non aversetur ab æterno, sed demum in tempore, una nolitio alteram præcedere & una alteram sequi deberet. Quod cum sit absurdum *per demonstrata;* Fieri haud quaquam potest, ut Deus demum in tempore quid aversetur, quod non aversatus fuerit ab æterno; Adeoque **necesse est, Deum malum omne ab æterno aversari seu nolle, nihil demum in tempore.**

Cur Deus omne malum nolit ab æterno.

§. 566.

Deus omnia cognoscit distincte, nihil prorsus confuse (§. 169.). Verum enim vero appetitus sensitivus oritur ex repræ-

Appetitus sensitivus cur Deo nullo modo convenire queat.

repræsentatione boni confusa (*Psychol. empir.* §. 580.). Appetitus igitur sensitivus proprie loquendo Deo convenire nequit. Sed ex distincta boni repræsentatione nascitur appetitus rationalis, sive voluntas (*Psychol. empir.* §. 880.); Quoniam itaque Deo competit voluntas absolute perfectissima (§. 296.), non alio quodam opus est, quod vicem appetitus sensitivi in eodem suppleat; Consequenter **appetitus sensitivus in Deo nec proprie, nec per eminentiam datur** (*Ontol.* §. 845). **Nullo igitur modo eidem convenire potest.**

§. 567.

Ulterius explicatur & ab exceptionibus liberatur.

Qui sufficiente ad singula attentione non utuntur, forsan mirabuntur, cur Deo per eminentiam tribuantur Sensus (§. 189) atque imaginatio, non vero per eminentiam tribuatur appetitus sensitivus, cum sensus & imaginatio a confusione in percipiendo liberati reducantur ad intellectum (*Theol. natur. parte* II. §. 121.), perinde ac appetitus sensitivus in rationalem seu voluntatem degenerat, si repræsentatio boni ex confusa redditur distincta. Utrobique autem longe dispar ratio est. Etenim appetitus sensitivus & voluntas nullam supponunt differentiam intrinsecam in objecto, qualem supponunt Sensus atque imaginatio, cum constet Sensum supponare rei repræsentandæ præsentiam, imaginationem vero ejus absentiam, ac inprimis vel præteritionem, vel futuritionem. Iam solus intellectus Divinus non sufficit ad dignoscenda præsentia, quod distincte repræsentet, quæ vi sensus atque imaginationis repræsentantur confuse: Sed præterea aliquid in eo supponendum, quod ad ea a se invicem separanda sufficit. Atque adeo in Deo quid inexistit, quod sensuum & imaginationis vicem supplet;

Con-

Conſequenter & Senſus, & imaginatio eidem per eminentiam tribui debent. Intellectus nimirum Divinus, ubi diſtincte repræſentat omnia, ea ſolummodo exhibet tanquam poſſibilia: quæ, cum Deus appercipit, eorum ſibi tanquam nude poſſibilium tantummodo conſcius eſt. Senſu autem, per eminentiam tali, præſentia tanquam præſentia & imaginatione, per eminentiam tali, præterita tanquam præterita ac adhuc futura tanquam olim futura cognoſcit. Probe hæc perpendi velim, ut acumen perficiatur ad diſtinguendum ea, quæ Deo per eminentiam tribui poſſunt, a ceteris, quæ nullo modo eidem conveniunt; ut adeo nihil, ne per eminentiam quidem, tribuatur, quod nullo modo eidem tribui poteſt, ne in hoc vel illud attributum Divinum ſimus injurii, aut in errorem incidamus.

§. 568.

Deus omnia diſtincte, nihil confuſe cognoſcit (§. 169.). Verum enim vero averſatio ſenſitiva oritur ex repræſentatione mali confuſa (*Pſychol. empir.* §. 582.). **Averſatio igitur ſenſitiva in ſenſu proprio eidem convenire nequit.**

Averſatio ſenſitiva cur Deo nullatenus convenire queat.

Et quia ex diſtincta mali reptæſentatione noluntas oritur (*Pſychol. empir.* §. 881.), nec alio quodam opus eſt, quod averſationis ſenſitivæ vicem ſuppleat; **nec averſatio ſenſitiva per eminentiam Deo convenire poteſt** (*Ontol.* §. 845.). **Convenit igitur nullo prorſus modo.**

Quæ jam modo (§. 567.) annotavimus, hic quoque mutatis mutandis ſuum habent locum.

§. 569.

§. 569.

Cur affectibus careat Deus.

Deus caret appetitu sensitivo (§. 566.), caret etiam aversatione sensitiva (§. 568). Quamobrem cum affectus sint actus vehementiores appetitus sensitivi, nec non aversationis sensitivæ (*Psychol. empir.* §. 603.); etiam caret affectibus.

Hoc modo idem quoque demonstrari potest. Affectus ex confusa boni ac mali repræsentatione oriuntur (*Psychol. empir.* §. 605.). Verum enim vero cum Deus omnia distincte, nihil autem confuse cognoscat (§. 169.); Nec boni malique repræsentatio confusa in eodem locum habet; nec ulli affectuum locus esse potest; Adeoque affectibus caret.

§. 570.

Ulterius explicatur.

Facile patet, affectus omnes in specie de Deo negandos esse, quocunque demum nomine veniant, nimirum ut Deo repugnare censeantur eo modo, quo hominibus insunt. Cum in Corpore sanguis ac fluidum nerveum motu extraordinario agitetur, quando anima affectibus commovetur (*Psychol. empir.* §. 611.), & cum hisce motibus harmonica mutatio in anima respondeat (*Psychol. ration.* §. 511. sqq.); in affectibus animæ mutatio quædam ineſt, quæ a corpore pendet, seu per motus in eodem contingentes explicabilis. Hujus mutationis nobis conscii sumus, sed non nisi confuse perceptæ, dum passiones animæ percipimus. Immo hæc ipsa mutatio est proprie id, quod affectus, seu passionis animi nomine communiter insignimus. Hinc *D. Thomas:* Actus, inquit, voluntatis, ut habent mutationem ex

ex parte corporis, non ponuntur in Deo: Quo ipso appetitus sensitivus cum passionibus animæ seu affectibus, quales dantur in nobis, a Deo removentur.

§. 571.

Affectus Deo per eminentiam tribuendi.

Quoniam Deus affectibus caret (§. 569.); Eo quoque sensu iidem tribui nequeunt, quo eos nobis inesse deprehendimus. Deus omne bonum & malum distincte cognoscit: Cognoscit enim omnia possibilia distincte (§. 169.), & voluntas ipsius tendit in id, quod tam in se, quam in relatione ad seipsum optimum est (§. 296.), malum vero morale velle nequit, nec id placere potest (§. 368.). Quoniam itaque affectus ex confusa boni & mali repræsentatione oriuntur (*Psychol. empir.* §. 605.), & in actibus vehementioribus appetitus sensitivi ac aversationis sensitivæ consistunt (*Psychol. empir.* §. 603.); Deo utique conveniunt actus volitionis ac nolitionis ex distincta boni ac mali repræsentatione, qui eodem tendunt, quo tendunt affectus: Atat! cum Dei actiones omnino omnes nonnisi rectæ sint (§. 523.), quatenus non tendunt nisi ad id, quod rectum est (§. 528.). Actus voluntatis & noluntatis Divinæ supplent vicem affectuum; Consequenter **affectus Deo tribui possunt per eminentiam, quatenus actus voluntatis ac noluntatis Divinæ supplent vicem affectuum.**

§. 572.

Veritas hæc vindicatur, errandi ansa detegitur & exploditur.

Ex dictis itaque evidens est, quomodo explicandi sint affectus, quando de Deo usurpantur; quare hæc prælibavimus, ut nobis detur norma, secundum quam affectus in sacris, Deo tributos, absque confusionis ac erroris periculo explicare possimus, ut neque in attributa Divina simus in-

jurii, neque in regulas bonæ methodi, qua Sensus S. S. immotus, certus atque verus invenitur, peccemus. Ceterum **quemadmodum in anthropomorphismum incidunt, qui Deo affectus tribuunt, quales in hominibus observant, Deum imaginantes quoad facultates inferiores similem mortalibus; Ita ex adverso ab uno extremo in alterum delabuntur, qui nec per eminentiam affectus Deo tribuunt: unde inferunt, quæ ab errore noxio non distant.** Atque adeo intelligitur, quam necessaria cognitu sit entis per eminentiam notio, quæ perperam inter steriles nugas & inanes tricas a non nullis refertur. Sane citra notionem entis per eminentiam, non satis distincte intelligi potest, quomodo Deo quædam citra errorem tribui possint, quæ eidem per se non convenire deprehenduntur: Id quod nobis imprimis usui est in interpretanda S. S., ubi multa Deo tribuuntur, quæ nonnisi per eminentiam eidem insunt, nec bene consuleretur autoritati sacri codicis, si ad captum vulgi humano more de Deo loqui dicatur, id quod *Spinosa* etiam defendit.

§. 573.

Summa, qua Deus perenniter fruitur, voluptas.

Numerus I. Deus Spiritus perfectissimus est (§. 303.), & semetipsum (§. 206.) atque possibilia omnia, tam in se spectata, quam in certa systemata redacta cognoscit (§. 198.), & quidem prorsus distincte, nihil confuse (§. 169.), ac intuitive, cum veritatibus omnibus universalibus (§. 229.). Omnem adeo perfectionem possibilem, non modo summam sui ipsius, verum etiam rerum ceterarum omnium quarumcunque simul (§. 185.) intuetur. Quamobrem cum intuitivam

vam perfectionis cognitionem **Voluptatem** cùm *Cl. Wolfio* (*Pſychol. empir.* §. 511.) ſalutemus, & gradus voluptatis pendeat partim a gradu perfectionis (*Pſychol. empir.* §. 516.), partim a certitudine cognitionis (*Pſychol. empir.* §. 517.); **Deus fruitur voluptate maxima, qua major concipi nequit, qua omnem perfectionem poſſibilem, non modo ſummam ſui ipſius, verum etiam omnium omnino rerum ceterarum ſimul atque prorſus diſtincte intuetur, quæ ut ſumma cum creatura nulla communicari poteſt.**

Numerus II. Eſt vero Deus immutabilis (§. 37.); Conſequenter & intuitus perfectionis ſuæ ſummæ, nec non reliquæ omnis poſſibilis perennis eſſe debet. Unde luculenter patet, **ſummam iſtam, qua Deus fruitur, voluptatem perrennem, ſeu immutabilem itidem eſſe.**

§. 574.

Hanc voluptatis notionem diſtinctam *Carteſio* in epiſtola 6. part. 1. p. m. 13. 14. ad *Eliſabetham* principem Palatinam debemus. Diſerte enim inquit: *Tota noſtra voluptas poſita eſt tantum in perfectionis alicujus noſtræ conſcientia*, ac præterea monet, *in æſtimanda perfectione homines ſæpius confundere quod apparet, cum eo, quod eſt.* Quoniam quid intuitive cognoſcimus quatenus ideæ ejus, quam habemus, nobis conſcii ſumus (*Pſychol. empir.* §. 286.); Apparet *Carteſium* voluptatem deducere a cognitione intuitiva perfectionis. Nimirum qui voluptatem ex re percipit, perfectionem eius ſibi repræſentat, quodque hoc *Quæ hic notanda.*

faciat, sibi conscius est. Dum vero idem monet, homines in æstimanda perfectione sæpius confundere quod appareret, cum eo, quod est; Haud obscure innuit, voluptatem non minus percipi ex perfectione apparente, quam ex vera, seu hic perinde in genere esse sive judicium ejus, qui rem perfectam esse judicat, verum sit, sive falsum. Maximi momenti est, ut discamus, voluptatem non minus percipi ab homine ex perfectione apparente, quam vera, cum in eo situm sit semen omnis mali moralis, immo differentia, quæ inter affectus, quos cum sacro codice Deo per eminentiam tribuimus, & eos, qui hominibus insunt, intercedit, clarius pateat. Nimirum voluptas illa, qua Deus fruitur, ab ea, cujus nos participes fieri possumus, prorsus diversa est. Voluptas enim Dei vera est, quæ ex vera oritur perfectione, nullatenus vero ex apparente, id, quod paragrapho sequente evidentius constabit; Cum e contrario homines vulgo voluptatibus apparentibus inhient, veram negligant, vel aliquando prorsus contemnunt. Ceterum nos voluptatis nonnisi perceptionem confusam habemus, quemadmodum plerarumque qualitatum sensibilium, ita ut nominali quadam definitione eam explicare nequeamus. Ast in Deo nulla perceptio confusa locum habet (§. 169.); Ut adeo voluptas Divina nobis sit prorsus ineffabilis. Quatenus tamen in nobis ex intuitu perfectionis voluptas oritur, & Deo denegari nequit intuitus omnis perfectionis possibilis (§. 573. 198.), præsertim summæ perfectionis, quæ ipsi propria est (§. 303. 206.), ac cum ente nullo communicari potest, quin ei per eminentiam tribuamus voluptatem ea, quæ & revelatione & ratione docentibus agnoscimus, permittunt, etsi eandem distincte explicare minime valeamus.

§. 575.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0486
DFG

§. 575.

Voluptas Dei qualis sit.

Deus omnia possibilia (§. 198.); Consequenter & omnem perfectionem possibilem intuetur, & judicium ejus de perfectione sui ipsius ac rerum ceterarum perfectione ab omni errore immune est. Voluptas igitur, quæ ipsi competit, ex vera perfectione oritur (*Psychol. empir.* §. 510.). Quoniam itaque **voluptas vera** est, quæ ex vera oritur perfectione (*Psychol. empir.* §. 514.); **Voluptatem Dei veram esse, non apparentem constat.**

§. 576.

Cur in eam inquirendum.

Homines vulgo voluptatibus apparentibus inhiare, veram negligere, vel aliquando prorsus contemnere, adeo notum est, ut idem dixisse sit demonstrasse. Quamobrem summa necessitas nosse urget, quænam voluptas Divina sit, ut de vero ejus pretio tanto rectius statuamus, nec circa eam errantes in summam Dei cognitionem injurii simus. Qui uberius hac de re instrui amat, ei *Cl. Wolfius* Psychologia empirica §. 511. sqq. & horis subsecivis Anni 1729. trim. æstiv. num. I. pag. 167. sqq. trim. autumn. num. I. pag. 359. sqq. trim. brum. Anni 1730. num. I. pag. 1. sqq. trim. vern. num. I. pag. 179. sqq. satisfaciet.

§. 577.

Quo sensu Deo tædium tribuatur,

Postquam Moses quædam gravia Israelitis nomine Dei interdixit committere peccata, colophonis loco *Levit.* XX, 23. *neque*, inquit, *ambuletis in statutis istius gentis, quam ego ejecturus sum a facie vestra: quia omnia ista fecerunt; Ideo tæduit me eorum.* Peccata, seu actiones minime rectas, sed malas & ipsas imperfecti aliquid in se esse, & imperfectionem agentis, seu peccata committentis arguere,

nemo dubitabit. Quamobrem cum intellectus Divinus omnia possibilia sibi distincte repræsentet (§. 198.); Quin omnem imperfectionem, quæ actionibus malis, nec non iis, quæ easdem patrant, inest, distincte intueatur, dubio caret; Consequenter etiam intuetur & imperfectionem actionum malarum ab ista gente patratarum, & imperfectionem hujus gentis, eadem comittentis. Etsi vero ex intuitu imperfectionis **tædium** sive **molestia** fit (*Psychol. empir.* §. 518.); Quoniam vero Deo voluptas absolute summa (§. 573. *num.* I.) immutabiliter ac perenniter inest (§. 573. *num.* II.); Voluptas summa obstat, quo minus imperfectionem rerum aliarum ad summam suam perfectionem referenti tædium inesse queat (*Ontol.* §. 28.). Deus itaque tædium seu molestiam ex imperfectione, quam in rebus a se diversis intuetur, percipere non potest. Et cum Deus summe perfectus sit (§. 303.); Nullam prorsus molestiam, seu tædium nullum percipere potest, dum seipsum intuetur (*Psychol. empir.* §. 518.); Consequenter proprie loquendo nullum prorsus in Deum cadit tædium: Nec sensu proprio de eodem dici potest, quod eum istius gentis tæduit. Quoniam tamen voluptas ex intuitu perfectionis (§. 573.), tædium ex intuitu imperfectionis est (*Psychol. empir.* §. 518.); Dei autem de perfectione atque imperfectione rerum judicia errori nulli obnoxia, (*Theol. natur. part.* II. §. 136.), atque certa sunt (*Theol. natur. part.* II. §. 133.); Dum imperfectionem rerum intuetur, omnis abest voluptas, & quoniam malum omne actu positivo non vult (§. 559.), seu aversatur ab æterno (§. 565.), motivo noluntatis existente mali repræsentatione (§. 562.), malum vero in se est aliquid, quatenus quædam ipsi imperfectio inhæret (*Theol. natur.* §. 371.); Cum intuitu mali, adeoque absentia voluptatis *per demonstrata*,

ſtrata, connectitur actus nolitionis ſeu averſionis. Patet igitur, quod Moſes Deum de ſemetipſo aſſerentem introducens, quod eum tæduerit gentis iſtius malæ, ſeu actiones imperfectas committentis ac ſemetipſam imperfectam monſtrantis, indigitet abſentiam voluptatis, quæ connotat actum nolitionis ſeu averſionis harum imperfectionum.

§. 578.

Etſi poſito intuitu imperfectionis etiam alienæ ponatur tædium aliquod ſive moleſtia animi (*Pſychol. empir.* §. 519.), id tamen fieri non debere intelligitur, ubi aliquid obſtat in contrarium, quo minus id fiat. In genere nimirum verum eſt, poſita ratione ſufficiente, poni id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt (*Ontol.* §. 118.), niſi ponatur ratio ſufficiens in contrarium, cur hoc non ponatur. Hinc & in mundo materiali cauſa non producit effectum, ſi qua alia ponatur in contrarium, quæ obſtat, quo minus effectus ſequatur. Iam in Deo obſtat ſumma voluptas, quam ex ſeipſo percipit, quo minus tædium aliquod percipiat, ſeu moleſtiam quandam ſentiat ex imperfectione aliena. Non igitur ullum percipere poteſt tædium. Simile quid deprehendimus in nobismet ipſis: Experimur enim nos voluptate perfundi, nullo autem tædio angi, ubi imperfectionem contrariam ei, quæ nobis ineſt, perfectioni intuemur, quatenus nec ab hac avertimus animum. Etſi enim minus acuti non ſemper diſtingunt, quæ in ideis confuſis inſunt, in evolutione confuſarum tamen verſati facile oſtendent, quidnam ſubſit in caſu particulari rationis, cur imperfectionem alienam intuentes nunc tædio, nunc voluptate afficiamur, etſi

Ulterius explicatur.

etsi indifferente alias erga eum fumus animo, cujus intuemur imperfectionem. Ceterum hæc propositio probe notanda venit, ne Deo cum sacris literis per eminentiam affectus tribuentes quicquam tribuamus, quod defectum aliquem involvit; adeoque ipsi repugnat. Sane S. S. subinde Deo tribuit, quæ in nobis sine animi molestia concipi nequeunt, quemadmodum ex hac ipsa propositione evidens est, & ex doctrina affectuum Deo tribuendorum per eminentiam mox adhuc uberius constabit. Verum enim vero cum id fiat eo in casu, quo homines ex eo voluptatem percipiunt, ex quo tædium percipere debebant, Deusque idem aversetur; tædium eidem tribuit, ut nos convincat, abesse in Deo voluptatem, quam nos percipimus, ipsumque idem aversari; Consequenter eidem non tribuitur, nisi quatenus voluptatis absentia connotat actum nolitionis seu aversionis.

§. 579.

Quo sensu Deo quid placeat.

Quo Sensu Deo quid placeat, patet ex II *Petri* I, 17. Ubi Apostolus provocat ad vocem cœlitus demissam, cum Salvator noster se quibusdam suorum discipulorum manifestare vellet, ac a Deo glorificaretur *Math.* XVII, 5. quam se & suos condiscipulos audivisse, quando una cum Christo in monte illo sancto erant. Erat autem vox ista hujusmodi: Οὗτος ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, εἰς ὃν ἐγω εὐδόκησα. *Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui (in quo delector, seu, ex quo voluptatem percipio.).* Deus ipse hac voce asseverat, quod hic filius suus sit filius suus dilectus, seu amatus, & ideo in eo complacere, seu ex eo se voluptatem percipere: Consequenter ratio, quam ipse Deus sui amoris allegat, eadem est, unde noster oritur amor. Nimirum, quem amamus, in eo quid nobis repræsentamus, quod nobis placet, ita ut hæc repræsentatio amoris causa sit (*Psychol.*

chol. empir. §. 649.). Unde liquet, εὐδοκεῖν designare illum animi actum, quo quid nobis repræsentamus tanquam delectabile, seu tale, unde voluptatem percipimus. Illud vero, ex quo voluptatem percipimus **placet** (*Psychol. empir.* §. 542.), aut ut cum interpretibus loquamur **complacet nobis. Deus** igitur **de** semetipso **affirmavit** sibi **placere**, seu **complacere**, quatenus in eo reperitur **actus** ille, **quo quid** sibi **tanquam delectabile repræsentat**, sive **tale, unde voluptatem percipit.**

§. 580.

Numerus I. Deus est spiritus perfectissimus, qui intellectu absolute perfectissimo, & voluntate itidem absolute tali præditus est (§. 303.), nec non potentia absolute maxima gaudet (§. 280.); Adeoque ut quid ipso perfectius sit, impossibile est. Quamobrem cum Deus omnia distincte cognoscat, quæ sibimetipsi insunt, & quibus a rebus omnibus ceteris differt (§. 206.); summæ suæ perfectionis sibimetipsi conscius est, & cum intuitus perfectionis voluptas sit (*Psychol. empir.* §. 511.), tanto quidem major, quanto major perfectio est (*Psychol. empir.* §. 516.); Quin Deus summam ex seipso percipiat voluptatem (§. 573.), nec quicquam detur, ex quo majorem percipere queat, dubitari nequit. Verum enim vero id nobis placet, ex quo voluptatem percipimus (*Psychol. empir.* §. 542.), & Deus de seipso asserit, id sibi placere, ex quo voluptatem percipit (§. 579.). **Deus** igitur **sibimetipsi maxime placet, nec aliud quid placere magis potest.** *Objectum quod Deo placet.*

Numerus II. Deo secundum proprium suum judicium, a Mose in Sacris relatum, quicquid in suo genere perfectissimum est, maxime placet (§. 297.); Adeoque **Deo nihil placere potest, nisi** quod in suo genere perfectissimum est; Conse-

quenter etiam quatenus perfectum est, nec fieri potest, ut Deo quid placeat, quatenus imperfectum est (*Ontol.* §. 28.).

Propositio posterior num. II. etiam hoc modo probari potest. Ex intuitu imperfectionis est tædium (*Psychol. empir.* §. 518.), tædium vero Deo tribui nequit, nisi quatenus absentia voluptatis actum nolitionis seu aversionis connotat (§. 577.); si Deus, cujus judicia de rerum imperfectione certa sunt, intuetur, quod imperfectum est, nullam inde voluptatem percipere valet. Quoniam itaque placere nequit id, ex quo voluptas nulla percipitur (§. 579.); nec fieri potest, ut Deo quid placeat, quatenus imperfectum est.

§. 581.

Quæ hic notanda.

Quæ de eo, quod Deo placet, per legitimas consequentias in genere ex sacris evicimus, pluribus exemplis atque dictis S. literarum demonstrare potuissemus; sed quia eædem solummodo quædam specialia tradunt ejus, quod Numini placet, & placere nequit, objecta, multo demum labore, ubi prolixitas evitari non potest, ostendi potuisset; Adeoque hanc generalem probationem illis specialibus prætulimus, Lectorisque S. S. attentionem excitare libuit, ita ut in sapientia proficere, seque ipsum quotidie erudire possit. Ceterum absit, ut quis sibi persuadeat, hoc arguere in Deo imperfectionem, quod sibi omnium maxime placeat. Fallit enim in ipso homine, quod sibi placere vitium sit, si veræ perfectionis sibi conscius fuerit: Sed quod placere sibi vitio vertatur, aliunde est, si quid nempe vitii adjunctum habet, cum e contrario in Deo nihil vitiosi reperiri possit; sed is absolute perfectissimus sit. Denique propositio *num.* II. paragrapho præcedente allata etiam de nobis valeret, siquidem nostra de rerum perfectione atque imperfectione judicia, quemadmodum divina,

divina, semper forent certa, sicuti ex ipsa notione ejus, quod placet, facile perspicitur. Verum enim vero cum haud raro contingat, homines sibi tanquam perfectum repræsentare, quod imperfectum est; quod imperfectum est, iis placet, non qua tale, sed quatenus perfectum apparet. Imperfectum id est, quod placere per naturam rerum minime potest, nisi per errorem.

§. 582.

Apostolus ad *Hebr.* X. 38. diserte inquit. *Justus autem ex fide vivet: at si se subduxerit,* οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ *non in eo complacet animus meus.* Justus est, qui bonitatem sapientiæ attemperat (§. 533.); Adeoque qui tantundem confert boni, quantum salva sapientia fieri potest, seu tantundem pronus est ad perfectionem aliorum promovendam, quantum salva sapientia possibile est (§. 415.); In actionibus itaque justi inest perfectio, quam Deus distincte cognoscit (§. 169.), ita ut Deo, qui ejus perfectionem intuetur, placeat (§. 579.). Verum enim vero justo huic opponitur is, qui se justitiæ subducit; Adeoque injustus, qui pronus est ad imperfectionem aliorum promovendam. Deus, qui omnia distincte cognoscit (§. 169.), intuetur imperfectionem, quæ huic injusto inest. Cum jam fieri nequeat, ut Deo quid placeat, quod imperfectum est (§. 580. *num. II.*); is, qui se subducit justitiæ, Deo ideo minime placere potest, quia ejus imperfectionem intuetur, ex qua voluptatem minime percipere potest. Cum vero Apostolus addat: animum ejus in eo non complacere, actum simul quendam adesse probat positivum hujus noluntatis, seu aversionis Divinæ. Deo itaque displicet omnis imperfectio, seu id, quod non modo tale est, ut ex eo voluptatem percipere nequeat, sed quod etiam actu positivo non vult, seu aversatur. *Quid Deo displiceat.*

§. 583.

Quomodo Deus velit ſeipſum.

Quod Deus, qui toties in ſacris טוֹב & ἀγαθός *bonus* appellatur, in ſe ſumme bonus ſit (§. 415.), exinde evicimus. Quamobrem cum ſeipſum quam diſtinctiſſime cognoſcat (§. 206.); Se quoque in ſe ſumme bonum; Adeoque omnium entium optimum eſſe cognoſcit. Quoniam itaque voluntas ejus in optimum fertur (§. 252.); ſe eſſe ſumme bonum in ſe vult. Verum enim vero **voluntas**, qua volens id, quod eſſe cognoſcit, eſſe vult, eſt **approbans** (*Theol. natur. part.* II. §. 214.). **Deus** igitur **vult ſe eſſe ſumme bonum in ſe voluntate approbante.**

Dici vulgo ſolet, *quod Deus velit ſeipſum;* ſed non omnes intelligunt, quid ſit ſeipſum velle. Noſtrum igitur eſſe duximus phraſin Theologis receptam ad notionem determinatam revocare, eamque naturæ voluntatis conſentaneam eſſe demonſtrare, ne quid de Deo dicatur, quod non ſatis intelligatur. Præterea acutioribus manifeſtum eſt, præſentem propoſitionem non eſſe mere ſpeculativam, ſed in praxin quoque influere, ibidemque inſignem habere uſum, cum & homo ſeipſum velle poſſit ſimili modo, immo vel debeat, quatenus perfectionem quandam certo gradu a ſe acquiſitam agnoſcit.

§. 584.

Gaudium quo ſenſu Deo tribuatur.

Ipſe Salvator noſter *Lucæ* XV, 7. inquit: *Dico vobis ita fore* χαρὰ *gaudium in cœlo ſuper uno peccatore reſipiſcente.* Stylo Hebraico, itemque Chriſto proprio ipſe Deus dicitur in cœlis eſſe; unde & Pater cœleſtis, vel qui in cœlis eſt, toties nuncupatur. Etſi itaque plurimi interpretum hic per phraſin, *gaudium in cœlo eſſe*, angelos cœli incolas intelligant ſeſe gaudentes, cum quibus litigandi hac in re nobis minime eſt animus, nemo tamen ſane dubitabit Deum non minus,

minus, qui a cœlo nomen Patris cœleſtis nactus eſt, eodem jure hac phraſi comprehendendum eſſe; Adeoque una cum angelis cœlicolis Deum Patrem cœleſtem intelligi debere. Sane res ipſa certa atque immota eſt. Etenim Deus omnia præſentia tanquam præſentia, adeoque bonum præſens tanquam præſens cognoſcit. Cum vero reſipiſcentia peccatoris bonum ſit, quod ſuo loco demonſtrabitur, & hic, quia a nemine, ut puto, negatur, ſupponitur; Deus utique reſipiſcentiam peccatoris eo ipſo momento, quo reſipiſcit, ſibi eam tanquam præſentem fiſtit. Et quoniam ex bono præſenti voluptas percipitur (§. 573. *& Pſychol. empir.* §. 558.); Deus quoque ex reſipiſcentia hominum tanquam ex bono, quod præſens cognoſcit, voluptatem percipere debet. Conſtat porro ex ſacris & principiis non minus rationis, quæ capite V. §. 488. ſqq. ſtabilivimus, cum de jure Dei in creaturas ageremus, Deum velle, ut homo omnes omnino ſuas actiones ad perfectionem ſui, ſtatusque ſui, nec non aliorum, ſtatusque eorundem; Adeoque ad bonum dirigat; Conſequenter ut malus reſipiſcat; Qui itaque is, qui reſipiſcentia ducitur, id agit, quod Deus vult, voluntate nimirum approbante (*Theol. natur. part. II.* §. 214.). Voluptati adeo jungitur voluntas approbans. Gaudere adeo dicitur Deus de homine reſipiſcente, ſeu ad meliorem frugem revertente, quatenus ex reſipiſcentia voluptatem percipit tanquam ex bono præſente, & eam voluntate approbante vult, ſeu denotat voluptatem ex bono præſente perceptam cum voluntate approbante conjunctam.

§. 585.

Notio gaudii cum ſacro codice duce, reſolvatur in no- *Quæ hic notanda.*
tionem voluptatis atque voluntatis; diſtincta utriusque no-

tio uberiorem lucem eidem affundit, ne quid tacite Deo tribuatur, quod defectum quendam involvit. Supponere nimirum debemus notiones voluptatis ac voluntatis ab omni defectu, qui utrique in nobis adhæret; liberatas; Conſequenter non ſubſiſtendum in iis, quas de anima noſtra habemus; ſed transeundum ad eas, quas Deo dignas eſſe in anterioribus oſtendimus. Atque adeo hinc patet, quam neceſſarium ſit Theologiam dogmaticam methodo Geometrarum conformiter in ſyſtema veri nominis compingi, ut de Deo recte cogitemus ac judicemus ſatisfacientes canoni iſti veterum: Quæ de Deo dicuntur ἀνθρωπαθῶς, ea interpretanda eſſe θεοπρεπῶς. Huc inprimis facit, ut omnem differentiam inter Deum atque animam noſtram intimius perſpiciamus: Id quod in præſente nobis ſumimus.

§. 586.

Lætitia Dei de ſeipſo.

Deus in ſe ſumme bonus eſt (§. 415.), & bonitatem hanc eſſentialem quam diſtinctiſſime cognoſcit (§. 206. 169.). Quamobrem cum ex bono præſente, ſiquidem cognoſcitur, percipiatur voluptas (*Pſychol. empir.* §. 558.); Deus quoque ex bonitate ſua eſſentiali, ſeu ex eo, quod ſumme bonus ſit, voluptatem ſummam percipere debet. Vult vero etiam Deus ſe eſſe ſumme bonum in ſe voluntate approbante (§. 583.). Quamobrem dum bonitatem ſuam eſſentialem intuetur, voluptati ſummæ jungitur voluntas approbans. Quoniam itaque gaudium Deo tribuitur, quatenus voluptas ex bono præſente percepta cum voluntate approbante conjungitur (§. 584.); **quin Deus ſumme de ſeipſo gaudeat, aut lætetur, dubitari haudquaquam poteſt.**

Conſtat tam apud Hebræos quam apud Romanos *lætitiam* שמחה denotaſſe ששון *gaudium* ſed מאד in excellentiori gradu. Cum gradus non variet ſpeciem, nomen rei non

non mutatur ob eundem. Gaudii adeo nomen a lætitia distingui non esset opus. Quodsi tamen quis in verbis fuerit scrupulosior, quod linguæ puritatem commaculare religioni sibi ducat; is per nos dicat, Deum de seipso lætari, non, gaudere. Idem enim est gaudium gradus excellentioris ac lætitia.

§. 587.

Propheta *Tzephanias* cap. III, 17. *Jehova Deus tuus,* inquit, *in medio tui potens servator* ישיש עליך בשמחה *gaviſurus est de te lætitia.* Diserte itaque Deo tribuitur gaudium summum, seu lætitia de Israëlitis. Cum Deus summe de seipso gaudeat, seu lætetur, quia ex summa bonitate, qua gaudet, summam voluptatem percipit, eamque voluntati approbanti jungit (§. 586.). Verum enim vero nulla creatura, adeoque nec pii Israëlitæ summæ bonitatis compotes fieri possunt, qua Deus gaudet (§. 415. 416.); Consequenter nec voluptas, quam Deus ex intuitu perfectionis limitatæ Israëlitarum percipit, summa esse potest. Unde & gaudium non potest esse summum, quod ex iis percipit, seu lætari de iis sensu proprio nequit. **Cum vero de Deo diserte dicatur, quod gaviſurus sit de ipsis lætitia, eo indicatur, Deum tantum de piis Israëlitis percipere gaudii gradum, quantum ex intuitu perfectionis eorum percipere potest.**

Lætitia rerum a Deo diversarum quo sensu Deo tribuenda.

§. 588.

Diserte Paulus prohibet *Ephes.* IV, 30. *Ne contriſtate spiritum illum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemtionis.* Nemo non affirmabit per spiritum illum sanctum Dei intelligendum esse tertiam S. S. Trinitatis personam. Omnes tres Triados personas ejusdem essentiæ esse, nullus, nisi Antitrinitariorum erroribus implicitus in dubium vocabit.

Tristitia quo sensu Deo tribui possit.

vocabit. Cum autem horum errorem refellemus, demonstrando, sectione posteiori hujus prioris partis, independenter ab iis, quæ hic dicuntur, omnem personam Trinitatis revera ejusdem essentiæ esse; hic hanc veritatem salvis methodi legibus supponere licet: Unde de tota Trinitate, sive de omnibus personis simul sumtis asseverari licet, quod de una asseritur; Consequenter de Deo affirmare ex mente Apostoli, quod contristari possit. Ex contextu evidens est Deum, aut si mavis, spiritum sanctum Dei contristari peccatis, seu male factis: Etenim pluribus recensitis male factis, ait, ne contristate spiritum illum sanctum Dei. Male facta hæc quando patrantur Deus ea tanquam præsentia cognoscit (§. 169.). Verum enim vero Deus ex male factis hominum nullam percipere voluptatem potest (§. 575.), neque adeo eadem ipsi placere queunt (§. 580.); Atat! potius ex iisdem tædium percipit (§. 577.), nec non eidem displicent (§. 582.). Quamobrem cum tædium nullum in Deum cadere possit, nec ipsi tribui queat, nisi quatenus absentia voluptatis actum nolitionis connotat (§. 577.), mali scilicet præsentis, cujus repræsentatione in nobis tristitia oritur (*Psychol. empir.* §. 621.); Tristitia quoque eidem tribui nequit, nisi quatenus absentia voluptatis connotat actum nolitionis mali præsentis. Quoniam itaque **noluntas reprobrans** est, quando malum præsens nolumus, seu aversamur (*Theol. natur. part. II.* §. 221.), & eadem voluntatem contrarii involvit (*Theol. natur. part. II.* §. 222.), nec non male facta sunt mala, quæ Deus adeo non vult, seu aversatur noluntate reprobante, sed quorum potius contrarium bene facta scilicet, vult; **Contristatur spiritus sanctus Dei, sive Deus, nonnisi quatenus absentia voluptatis connotat noluntatem reprobantem mali facti, seu mali præsentis, cum voluntate contrarii conjunctam.** Quod-

Quodsi quis Deo cum sacro tribuit codice tristitiam, si eam ita explicare velit, ne quid ipsi tribuatur, quod dedecet atque repugnat; dicendum est, Deum ex peccatis, seu male factis hominum nullam percipere voluptatem, neque adeo eadem ipsi placere. Nolle eundem, quod ab hominibus perpetrentur, aut perpetrata fuerint mala; sed malle, ut non faciant, vel non fecerint. Hæc omnia etiam insunt animæ, quando ea tristitia afficitur, nisi quod adsit molestus quidam sensus voluptatem omnem arcens aliunde oriundam (*Psychol. empir.* §. 620.), qui in Deo locum nullatenus habere potest; Quare paragraphum sequentem adjiciendum esse necesse ducimus.

§. 589.

Tristitia in Deo cur non arceat gaudium.

Si nos tristes sumus, tanto tædio afficitur animus, ut voluptatem, si qua adsit, non appercipiamus, aut, si qua adesset, non apperciperemus (*Psychol. empir.* §. 620.); Consequenter prorsus impossibile est, ut ea stante tanta sit voluptas, quæ tædii apperceptionem tollat; ne gaudio locus sit (*Psychol. empir.* §. 615.), adeoque tristitia gaudium arceat. Verum enim vero quando Deo tristitia in sacris tribuitur, nullam saltem voluptatem percipit ex eo, ob quod contristari dicitur, & id esse, vel factum esse non vult, sed vult potius esse, vel factum esse contrarium (§. 588.). Id igitur minime obstat, quin ex bono præsente simul voluptatem percipiat, & id esse, vel fieri velit, voluntate nimirum approbante (§. 573.). Quemobrem cum gaudium Deo tributum non denotet nisi voluptatem ex bono præsente perceptam cum voluntate approbante conjunctam (§. 584.), nil obstat, quo minus eidem & gaudium, & tristitia diverso respectu una tribui possit. **Tristitia igitur in Deo gaudium minime arcet.**

Patet adeo luculenter, gaudium atque triſtitiam ita a nobis ex Sacris explicari literis, ut immutabili Dei naturæ & ſummæ ejusdem perfectioni nil derogetur. Qui doctrinam de malo, quatenus Deum reſpicit, quam in anterioribus explicuimus, profundius hauſtam perpendunt; veritatem quoque propoſitionis præſentis profundius inſpicient. Sed noſtrum jam non eſt in tantas ambagas deſcendere. Sufficit excitaſſe attentionem acutiorum, quorum meditationi relinquenda ſunt, quæ limites noſtros nobis præſcriptos transcendunt.

§. 590.

Amor ſui ipſius in Deo.

Propheta de Jehova Deo affirmat *Tzeph.* III, 17. יחריש באהבתו *quod acquieſcat in amore ſuo.* Cum vero ratio, quam ipſe Deus amoris ſui allegat, eadem ſit, unde noſter oritur amor: Nimirum, quod in eo, quem amamus, quid nobis repræſentemus, quod placet, prouti ex ipſa cœlitus demiſſa voce Dei (§. 579.) evicimus; Deus ſemetipſum amat, quia ſibimetipſi placet. Sibimetipſi autem maxime placet, nec aliud quid placere magis poteſt (§. 580. *num. I.*). Quamobrem major eſſe nequit amor, quam quo ſeipſum amat, nec aliud quid magis quam ſeipſum amare poteſt. **Quin itaque Deus in amore ſuo acquieſcat, ſeu ſummo amore ſeipſum complectatur, & amor ſui ipſius maximus ſummusve ſit, nec detur aliud quidpiam, quod tanto, quanto ſe amore complecti poſſit, dubitari nequit.**

§. 591.

Quæ hic notanda.

Etſi in definitione amoris videamur ſupponere eundem ſemper tendere ad alium, id non obſtat, quod Deo tribuamus amorem ſui ipſius, & quidem abſolute ſummum: Etenim dum nosmetipſos amamus, nos ſpectamus tanquam a nobis

bis diverſos: Id quod levi attentione agnoſcitur. Quamobrem definitioni amoris S. S. conformi non contrariatur, amorem etiam prædicari de ſeipſo. Ceterum exemplo ipſius Dei docemur, amorem ſui ipſius ne quidem in nobis poſſe reprehendi, modo ſit rectus, nec abuſu vitia contrahantur. Etenim in nobis amor noſtrorum ipſorum plerumque defectu laborat, atque ex accidente eſt, ut vel ex recto naſcantur vitia. Suo loco oſtendetur, quomodo præcaveatur, ne a rectitudine deficiat, nec extra limites evagetur, & qua cura rite ordinetur, ne vitiorum fomes ſit. Nimis rigidi morum cenſores attentionem ſuam haud raro deſiderari patiuntur, ut inter id, quod neceſſario & quod ex accidente ſaltem eſt; Adeoque evitari poteſt, non ſatis diſtinguant. Quod in Deo cenſura vacat, id nec in nobis eandem incurrit, niſi quatenus accedit aliquid, quod ſicuti abeſſe debet, ita etiam poteſt.

§. 592.

Summa Dei amabilitas.

Deum ſumme amabilem eſſe *Johanni* tam certa atque immota eſt veritas, ut inde omnem amorem provenire affirmet, & qui Deum & proximum ſuum non diligit, amabilitatem Dei non agnoſcere exinde infert, & e contra, qui amat, illum Deum noſcere & ex Deo natum eſſe concludit I. *Joh.* IV, 7. 8. *Dilecti*, inquit, *diligamus* (*amemus*) *alii alios: nam amor ex Deo eſt: quisquis amat, ex Deo natus eſt, & novit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: nam Deus eſt amor.* Ratio enim, quam allegat, quod is Deum non noſcat, qui non amat, & quod, qui amat, Deum cognoſcat & ex eo natus ſit, eſt, quod Deus ſit amor, ſeu ſumme amabilis. In quo vero amor, ſive amabilitas Dei conſiſtat, docet ſequente *verſu* 9. 10. ubi ait, *per hoc manifeſtus factus eſt amor Dei in nos, quod Filium ſuum illum, unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.*

In hoc est amor, non quod nos amaverimus Deum, sed quod ipse amaverit nos, & miserit Filium suum, ut esset propitiatio pro peccatis nostris. Deus itaque Johanni amor, seu amabilis dicitur, quod ita nos amaverit, ut Filium suum propterea in mundum miserit, ut esset propitiatio pro peccatis nostris, atque ut per eum vivamus; Consequenter quia ex amore Dei nobis gratiose donentur maxima bona; Ut adeo major bonitas concipi nequeat, quam quæ se in Dei amore prodit, ex cujus intuitu oritur voluptas summa (*Psychol. empir.* §. 511.), ob voluptatem vero summam, quam percipimus, ens illud maxime placet (*Psychol. empir.* §. 542.); **Deus itaque amor est, seu summe amabilis, ita ut non detur aliud, quod æque amabile sit, quia non datur ens aliquod, quod placere magis æqueve possit, quam Deus.**

§. 593.

Usus hujus propositionis. Quod alia ab hominibus magis amentur, quam Deus, id minime ex eo est, quod alia magis amabilia sint quam Deus, sed quod, uti Apostolus bene docet, vel Deum non agnoscamus, ut magis placeat, quam cetera omnia, vel quod animum ab eo avertamus, dum eundem ad alia convertimus. Deus, qui summum est bonum (§. 415.), a quo omnia omnino bona pendent (§. 416. sqq.), maxime placet (*Psychol. empir.* §. 542.); Consequenter dum amor Dei supra omnia percipitur, nequaquam percipitur, quod in se impossibile, vel quod quoad hominem impossibile sit, sed quod fieri debet. Etenim & Deus in se spectatus is est, qui magis quam cetera amabilis (§. 592.); Consequenter etiam amari potest & debet, nec per naturam hominis impossibile est, ut Deum supra omnia amet; Sit ita quod praxis hujus officii longe difficillima, ut, si solas naturæ hominis lapsi vires

res ſpectes, in plerisque hominibus pro moraliter impoſſibili habeatur. Quantum hæc propoſitio in parte de œconomia ſalutis, nec non in Ethica Chriſtiana ſpondeat uſum, acutos fugere non licet, & ibidem conſtabit.

§. 594.

Amor quo ſenſu Deo tribuatur tanquam affectus.

Deo tribui amorem univerſalem erga omnes creaturas, & inprimis hominem ex ſacro codice (§. 418.) ſufficienter evicimus. Verum enim vero amor in nobis dicit diſpoſitionem animi ad voluptatem percipiendam ex alterius felicitate (*Pſychol. empir.* §. 633.), & ejus, quem amamus, voluptatem appetimus (*Pſychol. empir.* § 650.). Quamobrem Deus voluptatem percipit, ex felicitate hominum & felicitatem eorundem vult, infelicitatem vero non vult: quod cum valeat de ente quocunque alio felicitatis ac infelicitatis capace, quia ea itidem amat (§. 418. & *Theol. natur. part. II.* §. 236. *in notis*); **Amor Deo qua affectus tribuitur, quatenus voluptas ex felicitate hominum, immo quorumvis entium a ſe diverſorum felicitatis atque infelicitatis capacium percipienda conotat voluntatem hujus felicitatis.**

§. 595.

Veritas hæc ab exceptionibus liberatur.

Etſi Deus facta hominum mala improbet, id tamen eorundem amori minime obſtat. Immo nec obſtat, quod hominem puniat ob male facta. Idem ſane & nobis incumbit, ut amemus homines etiam malos, & juri naturali convenienter Chriſtus inimicos noſtros amare jubet *Math.* V, 44. etſi eorum ſcelera atque vitia odio proſequamur, & proſequi debeamus. Unde illud Germanorum proverbium **der Perſon Freund, der Sache Feind,** quo dicimur amare perſonam, ſed odiſſe factum. Ac inde eſt, quod Deus qua hominibus benefaciat iis, qui mali ſunt, ita ut quoad bonos & malos

& malos nullum videatur discrimen. Sed de hac veritate magni sane momenti dicemus apertius, ubi officia erga inimicos sumus explicaturi. Proderit tunc nosse exemplum ipsius Dei, sive theoriam, sive praxin spectes. In Ethica Christiana amor tanquam officium ab amore, tanquam affectu spectato, bene distinguendus venit. Affectus degenerat in officium, aut, si mavis, in virtutem, si quod in appetitu sensitivo est, reducitur ad voluntatem, quo ipso prodit volitio felicitatis alterius, unde porro pendet actus felicitatem alterius promovendi, infelicitatem avertendi. Cum in Deo non detur appetitus sensitivus (§. 566.), nec id quod affectui respondet, proprie loquendo in Deo datur, quemadmodum affectus omnis in sensu proprio ab eodem removendus (§. 569.), nec tribui potest, nisi quatenus distincta boni ac mali repræsentatio est ratio volitionis ac nolitionis, qualis confusa in nobis excitat affectus (§. 571.). Unde conficitur, Deo proprie loquendo non convenire, nisi quod virtuti ab omni affectu purgatæ respondet. Verum enim vero cum voluptatem Deo tribui non repugnet (§. 573.), in affectu autem potissimum spectetur voluptas ex felicitate alterius percipienda, ac certum sit, vel ex demonstratione propositionis, qua Deo voluptatem in gradu absolute summo vindicavimus (§. *citato*), quod etiam voluptatem ex perfectione rerum aliarum percipiat, non tantummodo ex propria; Si amor Deo per modum affectus tribuendus, quatenus non involvit, quod Deum dedeceat, vel summæ ejus perfectioni repugnet, quin voluptatis quoque ex felicitate entium ejus capacium habenda sit ratio, nemo in dubium revocaverit. Et quemadmodum in nobis virtus ab affectu non sejungitur, facultatibus animæ inferioribus cum superioribus concurrentibus; ita nec in Deo ab amore, tanquam virtute spectato, separari potest voluptas, quæ ipsum efficit affectui similem. Quo intimius

natura

natura animæ noſtræ perſpicitur; eo clarius innoteſcit, quomodo de Deo humano more loquentes cogitare debeamus, quod ipſum deceat.

§. 596.

Diſerte David *Pſalm* V, 6. *Deum odiſſe*, dicit, *omnes, qui operam dant iniquitati.* Actionum humanarum iniquitas non modo ea eſt, ex qua Deus voluptatem percipere nequit; Sed eam quoque actu poſitivo non vult, ſeu averſatur; Adeoque ea ipſi diſplicet (§. 582.). Quamobrem cum **oriatur odium** ex eo, quod quid in altero obſervamus, quod nobis diſplicet (*Pſychol. empir.* §. 677.); Deo tribuitur odium erga homines, qui operam dant iniquitati, quatenus non ſolum nullam voluptatem percipere poteſt ex eorum actionibus, dum operantur iniquitatem, ſed & eas non vult actu poſitivo, ſeu averſatur eas. Verum enim vero odium in nobis eſt diſpoſitio animæ ad voluptatem ex alterius infelicitate percipiendam (*Pſychol. empir.* §. 661.). Deus autem voluptatem ex felicitate hominum percipit, immo entium quoque aliorum felicitatis capacium; Conſequenter fieri nequit, ut voluptatem percipiat ex aliorum infelicitate (*Ontol.* §. 28.). Odium ergo quale eſt hominum Deo prorſus repugnat, nec fingi poteſt quid analogum, quod eidem tribui poſſit. Verum enim vero quoniam Deo in ſacris tribuitur odium erga homines, qui operam iniquitati dant, quatenus non ſolum nullam voluptatem ex eorum actionibus iniquis percipere poteſt, ſed quoque eas non vult actu poſitivo *per demonſtrata;* Nil obſtat, quo minus Deo cum ſacro codice tribuatur odium erga homines, quatenus actu poſitivo non vult, ſeu averſatur id, quod ſibi in iſtis diſplicet. Quoniam itaque **noluntas reprobans** eſt, qua nolens id, quod eſt, eſſe non vult, ſeu averſatur (*Theol. natur.*

Odium quo ſenſu Deo tribui poſſit.

tur. part. II. §. 221.); Evidens est, **Deo erga male facientes odium tribui non posse, nisi quatenus ipsi tribuenda noluntas reprobans ejus, quod in illis ipsi displicet.** Seu **odium Dei in sacris denotat noluntatem reprobantem ejus, quod ipsi displicet.**

§. 597.

Quæ hic notanda.

Ex dictis simul patet, cur Deus dicatur odisse omne malum morale, seu malas hominum actiones, ac clarissime perspicitur, odium non tendere in personam, sed in male facta; Consequenter amori personæ minime obstare. Sit ita, quod hominem odisse dicatur, quatenus odium respicit id, quod eidem inest; Consequenter dum homo spectatur tanquam subjectum mali moralis, præcisis ceteris, quæ insunt. Absit, ut quis sibi persuadeat, vel aliis persuadere conetur, inanes fingi subtilitates quavis distinctione Scholastica subtiliores! Etenim absque hisce, si ita quis loqui amat, subtilitatibus nec præcaveri potest, ut sine contradictione de Deo humano more loquamur, nec efficere licet, ut amor universalis erga homines ulla ex parte deficiat; id quod suo loco abunde constabit. Quamobrem si cui tantum non sit acumen, quantum subtilitatibus istis, ita dictis, discernendis, earumque utilitati prævidendæ sufficit; is per nos contemnat, immo etiam damnet, quæ non sunt ad ipsius palatum, aut quæ captum ejus transcendunt, id unice petimus, ut sibi a malitia temperare velit. Notet vero summo Dei acumine nil esse indignum, quod non sine acumine distinguitur. Unde non minus luculenter patet, quantum requiritur acumen ab eo, qui se interpretem S. literarum profitetur, & nihil dicere allaborat, quod Deo repugnet, sed de singulis juste atque æque, quemadmodum illum decet, statuere vult.

§. 598.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0506
DFG

§. 598.

David de Deo affirmat *Pſ.* CXLV. 9. רחמיו על-כל-מעשיו *miſereri omnium operum ſuorum.* Vocabulum רחם quod interpretes optime reddunt per *miſerationem, commiſerationem* aut *miſericordiam*, illum animi affectum denotat, quo inſigne tædium ſive moleſtia, aut, ſi mavis triſtitia animi ex alterius infelicitate percipitur, quæ *Cl. Wolfii* quoque commiſerationis definitio eſt (*Pſychol. empir.* §. 687.). Quamobrem cum triſtitia Deo tribui nequeat, niſi quatenus abſentia voluptatis connotat noluntatem reprobantem mali præſentis cum voluntate contrarii (§. 588.); Si ipſi tribuitur commiſeratio, non alio ſenſu id fieri poteſt, quam quo denotatur noluntas reprobans infelicitatis alienæ conjuncta cum voluntate felicitatis. Quoniam Deus velle nequit, ut homo vel ens aliud felicitatis atque infelicitatis capax ſit infelix, ſed vult potius, ut ſit felix (§. 594. 418.); **Quin Deo recte tribuatur commiſeratio, ſeu miſericordia, quatenus infelicitatem hominum & omnium ſuorum operum non vult voluntate reprobante, vult autem felicitatem infelicium, ſeu quin denotet noluntatem reprobantem infelicitatis alienæ conjunctam cum voluntate felicitatis, in dubium revocari nequit.**

Commiſeratio quo ſenſu Deo tribuatur.

§. 599.

Quo ſenſu vero in hoc vel illo caſu particulari Deo tribuatur commiſeratio, ut definiatur, hujus non eſt loci. Explicamus enim ea, quæ in genere de Deo ex S. S. agnoſcimus (§. 1.); Adeoque nonniſi terminorum ſignificatum generalem, quem, qui animo probe comprehenderit, facile inde perſpiciet, quomodo formanda ſint judicia particularia,

Quæ hic notanda.

ne qua in iis, quæ Deo rribuuntur, oriatur contradictio. Notandum præterea est voluntatem consequentem, quam vocamus, seu decretoriam, non esse confundendam cum antecedente, quæ spectatur sine relatione ad integram rerum decretarum seriem, quemadmodum ex iis abunde liquet, quæ cap. III. de voluntate Dei, quatenus decretoria est, prolixe satis docuimus. Ceterum vel me tacente constare poterat, si Deo commiseratio tribuenda, non modo noluntatem reprobantem infelicitatis, verum etiam voluntatem felicitatis spectandam esse (*Logic.* §. 349.). Quamobrem si obstet justitia, quatenus sapientia legem quasi præscribit bonitati, quo minus voluntati felicitatis efficaci locus sit; Commiserationi, seu misericordiæ quoque locus esse nequit, etsi salva sit noluntas reprobans infelicitatis. Talia tempestive moneri consultum ducimus, ut notiones fœcundas faciamus, & ut rite intelligantur, quæ de Deo humano more prædicantur.

§. 600.

Commiseratio unde sit.

Salvator noster misericordiæ fontem indicat: Nimirum postquam inculcavit amorem non solum amicorum, sed & ipsorum quoque inimicorum inde commiserationem infert *Lucæ* VI, 36. inquiens, *estote ergo misericordes, prout & Pater vester misericors est.* Docet itaque nos tum demum esse misericordes, quando amamus omnem in universum hominem; Consequenter amor misericordiæ scaturigo est, seu qui alterum amat, ejusdem quoque commiseratur. Quamobrem cum nos misericordia ducimur illius, quem amamus, & a Christo jubeamur misericordes esse, prout & Deus misericors est; Quin Deus quoque eorum, quos amat, etiam commiseretur, dubitari nequit. Deus autem amat omnes suas creaturas & inprimis homines (§. 418.), quatenus nullam voluptatem ex eorum infelicitate percipit, sed vult eorundem

rundem felicitatem (§. 594.). Ergo **Deo, Chriſto Doctore, tribuitur commiſeratio, ſeu miſericordia, quatenus eos amat, qui infelices ſunt.**

Fons quaſi commiſerationis amor eſt. Quamobrem cum ad diſtinctam veritatis notionem etiam requiratur rerum a ſe invicem dependentiam perſpicere; ideo ad miſericordiam quoque Divinam plenius percipiendam animum advertere tenemur ad amorem, unde manat. Difficulter inprimis in doctrina affectuum Deo cum ſacris tribuendorum evitabitur contradictio, niſi probe intuearis, quomodo unus a nobis concipiatur pendere ab altero. Ut adeo hoc exemplo docere voluerimus, quomodo hic ab illo dependeat affectus, ita ut contradictiones evitari poſſint, & ab errandi periculo tuti ſimus.

§. 601.

Invidia cur Deo prorſus repugnet.

Deus קנא *Exodi* XX, 5. & קנוא *Joſ.* XXIV, 19. quod utrumque *Zelotem* innuit, dicitur, eique *Jeſ.* IX, 6. קנאה *Zelus, Zelotypia* tribuitur. Vocabulum קנא *zelavit* aliquando bene per *invidit* redditur & קנאה per *invidiam* veluti *Proverb.* XXVII, 4. *Geneſ.* XXXVII, 11. & alibi; Loco enim poſteriori ſermo eſt de invidia fratrum Joſephi erga fratrem, quæ, uti ex contextu apparet, allegatur tanquam ratio cur fratrem hunc interficere voluerint fratres invidi, & cur eundem vendiderint, unde omne malum, ſeu infelicitas, quam perpeſſus Joſephus, oriebatur, quæ invidia nata eſt ex amore patris erga filium, atque ex ſomnio Joſephi de futura ipſius dignitate, ſeu felicitate. Quin hic vocabulum קנא denotet *invidiam*, ſeu illum animi fratrum Joſephi actum, quo ex ipſius felicitate triſtitiam, & ex ejus infelicitate gaudium percipiebant, dubitari nequit. Verum enim vero triſtitia Deo tribui nequit, niſi quatenus abſentia

voluptatis connotat noluntatem reprobantem mali præsentis cum voluntate contrarii (§. 588.); Si eidem invidia tribueretur, necesse esset, ut felicitatem entis alterius nollet noluntate reprobante, & ex adverso vellet ipsum esse infelicem. Verum enim vero Deus infelicitatem hominum aut entis cujuscunque alterius velle nequit, vult autem ex adverso felicitatem (§. 420. 418.). Quamobrem **invidia eidem prorsus repugnat;** Consequenter **Zelotes, vel cui tribuitur zelus, salutari nequit eo sensu, quo tristitia ex alterius felicitate percipitur.**

Idem etiam per indirectum hoc modo ostenditur. Ponamus, si fieri potest, Deum dici zeloten ab invidia; Adeoque eidem invidiam tribuendam esse. Quoniam invidia oritur, si alterum indignum judicamus bono, quo potitur, vel fruitur (*Psychol. empir.* §. 714.); Deus ens istud, cujus respectu ipsi invidia tribuitur, indignum judicare debet bono, quo fruitur, vel potitur; Consequenter aliis bona, quantum datur, conferendi voluntas eidem non est. Quamobrem cum in alios bonus non sit, qui iisdem bona pro virili conferre minime studet (§. 415.); Deus non erit summe bonus in entia alia. Quod cum sit absurdum (§. 440. 415.). **Deo invidia prorsus repugnat, & ab invidia zelotes dici nequit.**

Ex demonstratione posteriore liquet, invidiam repugnare summæ Dei bonitati erga entia alia; Consequenter eidem tribui minime posse nisi in hanc injurius esse velis. Deus autor omnis boni est, nec quicquam creaturæ boni vel inest, vel obtingere potest, quod non ad eandem referre teneatur. Contrarias adeo in Deo admitteret voluntates, qui eidem invidiam tribueret, id quod cum summa ejus perfectione pugnat. Ceterum hoc ipso exemplo patet, quanta

cautio

cautio adhibenda sit, & quam circumspecte procedendum ei, qui nihil de Deo affirmare vult, nisi quod eidem convenire demonstrare possit.

§. 602.

Psalmista *Psalm* II, 4. *Sedens in cœlis*, inquid, *ridet; Dominus* יִלְעַג־לָמוֹ *subsannat* (*irridet*) *eos*, nimirum qui tumultuantur, inane meditantur, qui consultant contra Jehovam &c. id est, improbos. *Conferatur Psalm* LIX, 9. Itaque Deus dicitur irridere improbos, sive perfide agentes iniquitate summa. Ratio, ob quam irridet eos diserte redditur *Proverb.* I, 26. 27. *Ego etiam in calamitate vestra ridebo, subsannabo quum advenerit id, quod expavescitis. Quum advenerit tanquam fremebunda vastatio id, quod expavescitis, & calamitas vestra tanquam turbo adventaverit; quum irruerit in vos oppressio & angustia.* Mala igitur physica, in quæ sese præcipites dant, qui operam dant iniquitati, seu quæ mala patrant moralia in causa sunt, cur Deus subsannare vel irridere dicatur improbos. Quoniam ex malis moralibus physica necessario consequuntur, nexus vero rerum a Deo est, quin Deus eadem esse velit voluntate approbante, dubitari nequit (*Theol. natur. part. II.* §. 214.). Et quoniam mala physica fiunt secundum naturæ ordinem (*Theol. natur.* §. 559.), ordo autem placet, quod nemo non in seipso experitur; Adeoque voluptas ex eodem percipitur (*Psychol. empir.* §. 542.); Quin Deus ex modo, quo mala physica ex moralibus consequuntur; Adeoque ex nexu eorundem cum moralibus voluptatem percipiat, non minus dubitatione omni exemtum est. Patet itaque tribui Deo subsannationem seu irrisionem, quatenus ex nexu mali moralis atque physici voluptatem percipit, & hæc ipsa mala physica voluntate approbante vult.

Irrisio quo sensu Deo tribuatur.

§. 603.

Veritas hæc ab exceptionibus liberatur.

Nimirum hoc ipso stultitiæ ac imprudentiæ redarguuntur homines, quod per mala moralia in physica sese præcipites dent, quæ prævidere facile poterant. Non est, quod excipias, Deum non posse velle malum; Adeoque irrisionem non posse denotare voluntatem approbantem mali physici. Etenim mala physica in relatione ad mundum integrum non sunt mala (§. 369. & *Theol. natur.* §. 563.). Quamobrem cum Deus non velit, nisi quod sit optimum (§. 252.), quid vero sit in se optimum, judicet in relatione ad totum universum (§. 312.), nec mala physica vult, nisi in relatione ad totum universum. Et licet mala physica censeantur talia respectu partium atque in relatione ad easdem, immo respectu particularum universi ad se invicem (*Theol. natur.* §. 565.), veluti hominum, quibus obtingunt; Deus tamen voluntate sua approbante dum eadem velit, ob convenientiam nexus physici atque moralis eadem velle dicendus sit, adeoque non quatenus mala sunt, sed quatenus bona. Nimirum & pœnæ bonæ sunt in relatione ad civitatem, cujus tranquillitati prospicitur, etsi malæ sint iis, qui iisdem afficiuntur. Unde judex pœnas vult, non quatenus sunt mala physica, sed quatenus censentur bonæ intuitu civitatis. Acumine atque attentione opus est in iis, quæ voluntatem tangunt, siquidem omnia bene concipere, nec a veri tramite aberrare volueris. Quid? quod paragrapho præcedente evicimus, Deum in sacris dici subsannare, seu irridere improbos: disertam autem scripturam mentionem facere malorum physicorum, in quæ sese præcipites dant, & ob hæc irrisionem fieri docere. Nec obstare commiserationi irrisionem, qualis Deo tribuitur, facile vident acutiores. Sane & nos citra vitium commiserantes illos, qui pœnis atrocibus afficiuntur, approbamus tamen easdem, quatenus in eos decretæ, qui eas promeriti sunt.

§. 604.

§. 604.

Dei actiones omnes rectæ sunt (§. 523.), & rectitudo illa summa est (§. 525.). Quamobrem cum Deus gaudeat de seipso (§. 586.), & **acquiescentia in seipso,** quæ nobis convenit, sit gaudium ob bonum, quod patravimus (*Psychol. empir.* §. 747.); Acquiescentia in seipso tribui potest, quatenus denotat gaudium de omnimoda actionum suarum rectitudine, seu, quod novit se non velle, nec facere nisi quod rectum est. Verum enim vero constans illa & perpetua voluntas Dei non faciendi, nisi quod rectum est, sanctitas Divina est (§. 528.). Acquiescentia igitur in seipso, quæ Deo tribuitur, est gaudium de sanctitate sua. Enimvero gaudium Deo tributum denotat voluptatem ex bono præsente perceptam cum voluntate approbante ejusdem conjunctam (§. 584.). Quamobrem **acquiescientia in seipso, quæ Deo tribuitur, denotat voluptatem ex sanctitate perceptam & voluntatem approbantem sanctitatis ejusdem.** *Acquiescentia in seipso Deo tributa.*

§. 605.

Acquiescentiam in seipso esse affectum jucundissimum evidenter probavit summus Philosophus *Cl. Wolfius* (*Psychol. empir.* §. 753.), cumque non sit, nisi gaudium de sanctitate (§. 604.), adeoque de rectitudine actionum (§. 528.), haud postremam felicitatis nostræ partem constituit, quod ex felicitatis definitione evidens est (*Psychol. empir.* §. 636.), siquidem judicium de actionum nostrarum rectitudine sit veritati consentaneum (*Psychol. empir.* §. 514.). Rectitudo actionum non modo loquitur facultatum animæ perfectionem (§. 523.), cujus intuitu ponitur voluptas, uti ex voluptatis definitione luculenter patet (§. 573. & *Psychol. empir.* §. 511.); verum etiam cum actiones liberæ sint, designat habitum *Ulterius illustratur.*

bitum recte faciendi perfectionem a nobis pendentem. Atque ex eo potissimum nascitur illa suavitas, quæ acquiescentiæ in seipso propria est, & gaudium de actionum propriarum rectitudine ab omni affectu reliquo distinguit. Quomodo autem præcaveri debeat, ne sit fomes vitiorum, ut ex felicitate nascatur infelicitas, quemadmodum haud raro in homine accidit; id doceri jam nostri non est officii. Ceterum ex hac notione distincta acquiescentiæ Dei in seipso evidens est, quid intelligi debeat, quando vox cœlitus demissa Dei *Math.* III, 17. ait: *Hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco.* Denique notari meretur, etsi acquiescentia Dei in seipso sit terminus ἄγραφος; Adeoque dicto classico probari nequeat; tamen ab omnibus Theologis receptus, a nobis ad distinctam notionem reducendus fuit, ne quid prætereamus, quod attentionem Lectoris acuti excitare possit: Inprimis cum talia de Deo prædicantur, unde hæc Dei acquiescentia in seipso legitima consequentia infertur, uti ex demonstratione præsente (§. 604.), ac iis, quæ de Trinitate, speciatim de identitate essentiæ filii cum essentia patris, inferius ostendentur, abunde patet.

§. 606.

Pœnitentia quo sensu Deo tribuatur.

Historicus sacer diluvii historiam *Gen.* VI. commemorans, *versu* 6. *Deum pœnituisse, quod feciſſet hominem in terra*, affirmat. Consimiliter *Deum pœnituisse*, legitur I. *Samuel.* XV, 35. *quod Saulum Regem constituisset super Israël.* Idem verbum נחם *pœnitere* eodem modo Deo tribuitur *Jerem.* XVIII. 8. 10. & sæpius alibi. Cum (§. 276.) demonstraremus, Deum non posse pœnitere ejus, quod fecit & vult, evicimus vocabulum Hebraicum נחם idem significare ac Latinis *pœnitere*, atque sumi in significatu communi, quem ex loquendi usu habet. Ibidem simul probavimus, Deum non posse pœnitentia duci ejus, quod facit vel vult, neque pœnitere

pœnitere posse illius, quod decrevit (§. 332.); Consequenter pœnitentia in eum, qualis est hominum, cadere nequit.

Quod pœnitentia, sensu proprio sumta, Deo repugnet etiam hoc modo patet. Pœnitentia sensu proprio, seu in nobis tristitia est ex eo orta, quod a nobis male, vel minus recte factum existimamus (§. 276. *&* (*Psychol. empir.* §. 755.). Quoniam omnes omnino actiones Dei rectæ sunt (§. 523.), & ejus de ipsis judicia ab errore omni exemta, eidemque certa sunt (§. 525.); Fieri haudquaquam potest, ut quid minus recte a se factum existimet; Consequenter nec pœnitentiæ in eodem locus esse potest.

Quando itaque **pœnitentia Deo in sacris tribuitur sensu ajente**, id alio modo intelligi nequit, quam **quod actiones hominum malæ fuissent motivum nolendi, quod fecerat nisi alia motiva fortiora fuissent, cur potius faceret, vel non faceret, ac malum morale permitteret.**

§. 607.

Quæ hic in genere ex principiis S. S. demonstravimus, etiam ex casu quovis speciali, ubi Deo pœnitentia tribuitur, evinci potest. *Ulterius explicatur.* Dicitur enim Deum pœnituisse, quod fecerit homines, cum eos in quævis scelera ac flagitia ruere videret. Saulum constituisse Regem Israëlis, quod non stetisset præcepto a Deo ipsi dato; Adeoque omisit, quæ Deus fieri voluntate approbante voluit, e contrario fecit, quæ Deus fieri noluntate reprobante noluit. Quodsi enim in decernenda existentia hominum sola scelerum ac flagitiorum haberi debuisset ratio, eorum existentiam non decrevisset. Quatenus tamen isti homines continentur in ea serie rerum, quam fini a se intento convenienter producere decrevit; eo-

rum existentiam una decernere debuit, etsi ob flagitia prævisa eos potius non existere maluisset.

§. 608.

Qualis sit pœnitentia Deo tribuenda.

Quoniam in Deum nulla cadit molestia, sive tædium nullum proprie loquendo (§. 577.); **Pœnitentia Deo tributa libera est ab omni molestia, quæ huic affectui in nobis adhæret.**

Pœnitentia quoad nos affectus omnium molestissimus (*Psychol. empir.* §. 758), ita ut non detur alius, qui animum hominis magis perturbare, & sublata tranquillitate inquietum reddere possit (*Psychol. empir.* §. 762.). Absit itaque, ut quis sibi imaginetur, quasi eadem inquietudo cadat in Deum, cui competit felicitas absolute summa, independenter ab omni ente alio! Quem pœnitet, is factum infectum reddi mallet (§. 276. *&* *Psychol. empir.* §. 761.): Quod cum fieri non posse agnoscit, inquietudo animi oritur (*Psychol. empir.* §. 762.). Dei actiones promiscue omnes cum summa emineant rectitudine (§. 523.), in rectitudine autem summa nullus prorsus notetur in voluntate & noluntate atque intellectu defectus (§. 525. *&* *Theol. natur. part. II.* §. 244.); Ea, quæ fecit, facta approbat, nec unquam infecta reddi vult. Cessat igitur inquietudinis ratio; Adeoque in eodem nullus huic locus est (*Ontol.* §. 118.). Ad differentiam inter Deum atque animam nostram intimius perspiciendam opus est, ut inquiramus in rationem, cur quid in anima nostra ponatur: Hæc enim ubi defectum involvit, in Deo locum non habet, quoniam Deo nullatenus tribui queunt, quæ ullo modo defectum aliquem involvunt (*Theol. natur. part. II.* §. 37.); Consequenter & ab eodem removendum, quod per eam fieri debere intelligitur.

§. 609.

Gloria quæ

Cæli dicuntur *Psalm* XIX, 2. *enarrare* כבוד־אל *gloriam* (Dei)

(Dei) *fortis, & opus manuum ſuarum indicare expanſum.* Opera Divina recenſet David, & de iis affirmat, etſi ea non habeant ſermonem, neque iis ſint verba, ſine his tamen intelligi eorum vocem, nimirum, qua Dei enarrant gloriam. Unde evidens eſt, cœlum atque expanſum, ſive opera manuum Dei enarrare gloriam Divinam, hoc eſt, Deo tribuere gloriam. De operibus manuum ejus Paulus *Rom.* I, 20. aſſeverat, *quod Dei inviſibilia, æterna videlicet ejus tum potentia, tum Divinitas*, hoc eſt, omnes ejus perfectiones, *mente perpenſa pervidentur;* Ex operibus itaque Dei, ſeu ex creato mundo ejusdem agnoſcuntur perfectiones, mundique optimi electio ſignum perfectionis ejus eſt (§. 304.), & quoad actiones ſanctitatis ſummæ (§. 532. 530.). Verum enim vero quoniam Deo gaudium tribuitur, quatenus ex bono præſente voluptatem percipit (§. 584.), judicium vero verum de ſumma Dei perfectione & ſanctitate perfectionem intellectus judicantis loquitur, quemadmodum nemo non largitur; Adeoque Deus omnem perfectionem poſſibilem continuo intuens, ex iſto judicio, etiam quatenus poſſibile ſpectatur, voluptatem percipit (§. 573. *& Pſychol. empir.* §. 511.); Gloria Dei enarratur, quatenus entia intelligentia opera Divina intuentia, de iis vere judicantia eidem nonniſi perfectionem atque ſanctitatem abſolute ſummam tribui poſſe judicant, ex quorum judicio Deus voluptatem percipit; Gloria eidem tribuitur, quatenus voluptatem percipit ex eo, quod novit vero judicio entium intelligentium ſibi non poſſe tribui niſi perfectionem & ſanctitatem abſolute ſummam. Et quia porro gaudium Deo tributum connotat voluntatem approbantem boni præſentis (§. 584.); Deus vero aliter velle nequit, niſi ut ens intelligens verum de ſumma ejus perfectione atque ſanctitate judicium ferat, quod ex *verſu* 21. per ſe patet; Quin voluntate approbante judicium iſtud velit, dubitari

ſenſu Deo tribuatur.

dubitari nequit. Quare gloria Deo tributa involvit quoque voluntatem approbantem judicii entium intelligentium, quod ipsi conveniat summa perfectio & quoad actionis sanctitas summa; Consequenter gloria Deo tribuitur, quatenus voluptatem percipit ex eo, quod novit vero judicio entium intelligentium, etiamsi per impossibile ponatur ens intelligens præter Deum, quod eodem, quo ipse modo de opere ipsius judicare valeat, sibi non posse tribui nisi perfectionem atque sanctitatem absolute summam, & judicium hoc quatenus in intellectum limitatum cadere potest, voluntate approbante vult.

§. 610.

Adhuc illustratur.

Deus non modo semetipsum (§. 206.), sed necessario quoque omnia, quæ præter ipsum possibilia (§. 200.) cognoscit, quam distinctissime (§. 169.), & hæc, quatenus seipsum cognoscit (*Theol. natur. part. II.* §. 102.), ac novit, quid sub data conditione futurum esset (§. 245.). Quamobrem cum ipsemet sit spiritus perfectissimus (§. 303.), & actiones ipsius omnes rectæ sint (§. 523.); Novit utique si præter ipsum daretur adhuc aliud ens intellectus perfectissimi, ejus judicio summam sibi perfectionem atque summam actionum rectitudinem, adeoque sanctitatem summam tributum iri (§. 530.): Quid? quod nec aliter ens ullum finitum judicare posset, siquidem judicium verum sit. Ex notione itaque gloriæ nostræ, quæ gaudium est, quod percipitur ex aliorum de nobis, nostrisque benigno judicio, quo scilicet, quæ fecimus, bene ac recte a nobis facta, & quæ nobis sunt, bona esse affirmatur (*Psychol. empir.* §. 765.), intelligitur, quatenus eam ab omni imperfectione liberatam Deo tribuimus,

Deum

Deum ita agere, ut nec quoad intellectum, nec quoad voluntatem judicio entis intellectus prorsus illimitati seu perfectissimi aliquis notari possit defectus; Consequenter ut, quod fecit, probetur ipso Dei judicio: Cui simile quid est in artifice, quem gloria impellit ad faciendum opus a se approbandum, si vel maxime non intelligerent defectus ceteri, ubi quos admitteret. Gloriæ adeo Deo tribuendæ notionem animo distinctæ comprehensam non tenent, quotquot mundi optimi electionem reprobant.

§. 611.

Paulus asseverat *Hebr.* XI, 16. ἐκ ἐπαισχύνεται αὐτὸς ὁ Θεὸς, *non pudet eorum Deum, vocari Deus eorum, paraverat enim eis urbem.* Loquitur hic de patriarchis *Abrahamo, Isaaco & Jacobo, quorum* Numen *se vocavit Deum Exodi* III, 6. Quid sibi velit phrasis, *parare urbem*, & quid sit, parare patriarchis his urbem, nec hic explicari potest, nec opus est. Sufficit enim in genere scire, Deum iis salutem æternam præparasse convenienter attributis suis, eosque salvatos esse, itidem attributis Divinis conformiter, ita ut ratio salutis eorum in essentia atque attributis Dei sufficiens reperiatur; Consequenter Deum recte egisse (§. 523. *& Theol. natur.* §. 950.): Ipsos vero patriarchas per fidem sanctificatos esse; Adeoque voluntatem suum direxisse in id, quod rectum, seu quod voluntati Divinæ conforme est (§. 529.); Consequenter quod Deus fecit iis, & quid illi tanquam sanctificati fecere, rectum ac justum fuit. Quoniam adeo Deus fecit, quod a nemine reprehendi scit, pudor autem oritur ex opinione censuræ aliorum, quam incurrimus ob malum a nobis perpetratum (§. 779. *Psychol. empir.*); ideo Apostolus negat Deum pudere eorum, quæ fecit, quatenus nihil in iis reperitur, quod reprehendi possit. *Pudor cur Deo repugnet.*

Impossibile adeo est, ut ratio pudoris in Deo ponatur. Quamobrem nec fieri potest, ut eidem ullo modo pudor tribuatur (*Ontol.* §. 118.), sed idem potius eidem prorsus repugnat (*Ontol.* §. 79.).

§. 612.

Ab exceptionibus liberatur.

Pudor, qua affectus tristitiæ quædam species est (*Psychol. empir.* §. 774.). Quamobrem cum tristitiam Deo tribui non prorsus repugnet (§. 588.); Nec repugnare videbitur pudor, ast aliquis potius sensus concipi posse censebitur, quo Deo tribuatur. Verum enim vero si quis demonstrationem veritatis hujus (§. 611.) rite perpendit, dubium hoc protinus evanescit. Etenim ratio pudoris alia est, quam tristitiæ, & pudoris ratio sufficiens Deo prorsus repugnat, quemadmodum ex eadem abunde patet. Quamobrem cum affectus eidem tribui nequeat, nisi quatenus distincta boni ac mali repræsentatio est ratio volitionis atque nolitionis, qualis confusa in nobis excitat affectus (§. 571.); Facile intelligitur, Deo nec per eminentiam quidem affectum tribui posse, ubi mali repræsentatio, quemadmodum in casu præsente obtinet, nulla in eodem dari potest.

§. 613.

Gratitudo cur Deo repugnet.

Gratitudinem Deo repugnare Paulus *Rom.* XI, 35. docet: *Quis*, inquit, *prior dedit ei, & reddetur ei?* & *Actorum* XVII, 25. de eodem affirmat, *quod nullius rei egeat, quum ipse det omnibus vitam & halitum & omnia.* Adeoque tantum abest, ut ens ullum ad felicitatem Dei conferre quicquam valeat, ut potius omnia ea, quæ entia promiscue omnia præter Deum existentia habent, ab ipso Deo acceperint; Adeoque ipse benefactorem nullum agnoscere potest, sibimetipsi sufficientissimus (§. 308.). Quamobrem impossibile est, ut in Deo concipiatur amor benefactoris ob beneficia; In hoc amore cum gratitudo consistat (*Psychol. empir.*

pir. §. 784.); Gratitudo ipsi nullo modo tribui potest, seu ea Deo repugnat.

Cum Deus sit summe bonus erga entia alia (§. 415.), benefactor summus ipse est, ast benefactorem non habet, nec eodem habet opus. Ipsi igitur debetur gratitudo, sed gratitudinem ipse nemini debet. Quamobrem S. S. nobis gratum in Deum sæpissime inculcat animum, at Deo gratitudinem nullibi tribuit, atat! potius eam ab eodem removet, quemadmodum ex ipsa demonstratione luculenter patet. Unde evidens est, scripturam sacram nunquam de Deo humano more loqui, nisi ubi verba admittunt sensum Deo minime repugnantem: Id quod notasse non exigui momenti est.

§. 614.

Favor quo sensu Deo tribuatur.

De Noacho Gen. VI, 8. dicitur, *quod invenerit* חן בעיני יהוה *favorem* (*gratiam*) *in oculis Dei.* Ratio vero favoris hujus Divini legitur *Gen.* VII, 1. Ubi Moses refert, *Jehovam dixisse Noacho, ingredere tu & universa familia tua in arcam hanc: te enim perspexi justum coram me in ætate hac.* Ex verbis igitur ipsius Dei, favoris istius rationem esse, intelligitur, quod Noachus fuerit justus, reliqui vero tunc temporis omnes injusti, *malitia quippe hominis augescebat in terra, & omne figmentum ac cogitationes cordis, tantummodo malum erat.* Secundum ipsius Dei judicium, quod idem servus Dei fidelis refert *Gen.* VI, 5. Deus favebat Noacho, quia recte egit, reliquis vero non, qui recte non egerunt, quosque hinc in aquis diluvii perire sivit. Verum enim vero cum providentia Divina universalis sit, ita ut nihil quicquam eidem subduci possit (§. 476.), hæc tamen minime obstet, quod providentia speciali, uti dicitur, singularem quandam curam habeat hominis recte agentis; Quin Deo favor tribuatur, quatenus providentia generali provideat

videat omnibus ſuis creaturis, recte tamen agentes ceteris præferat, dubitari nequit, ſeu, quod perinde eſt, Favor Dei tribuitur, quatenus placet recte agendi ſtudium, & ob hoc ipſum recte agentium felicitatem Deus magis curæ habet, quam quorumvis aliorum.

§. 615.

Quæ hic notanda.

Nullus, niſi in ſacris plane hoſpes fuerit, dubitare poteſt, in illis doceri, Deum ſingularem quandam curam habere hominum recte agentium, quæ providentiæ ſpecialis nomine Theologis nota eſt. Unde etſi promiſcue benefaciat omnibus hominibus, quatenus providentia providet omnibus generali (§. 418.), recte tamen agentes ceteris præfert, quemadmodum nos eum aliis, quos amamus, in promovenda felicitate præferimus, cui favemus (*Pſychol. empir.* §. 793.). Et recte id fieri, luculenter demonſtravit Philoſophorum Princeps *Cl. Wolfius* in philoſophia practica, ubi oſtendit, quando rectus fuerit favor. Etſi enim vulgo improbetur, quod favori dentur omnia; Id tamen nonniſi inde eſt, quod favori plus tribuatur, quam juſtitiæ ac veritatis. Aliter vero ſeſe res habet quoad Deum, cui ſumma tribuenda actionum rectitudo (§. 525. 523.), ab omni defectu tam quoad intellectum, quam quoad voluntatem ac noluntatem libera.

§. 616.

Spes quo ſenſu Deo tribuatur.

Numerus I. Deus futura omnia ab æterno præſcivit (§. 350.) diſtincte (§. 169.); Conſequenter & bonum, quod futurum novit, præſcivit diſtincte. Quoniam vero affectus Deo tribui nequit, niſi quatenus diſtincta boni repræſentatio eſt ratio volitionis, qualis in nobis affectum excitat (§. 571.), & in nobis **ſpes oritur**, ſi bonum nobis repræſentamus tanquam obtentu

tu possibile (*Psychol. empir.* §. 799.), & consistit in voluptate ex bono obtinendo; Consequenter quod habere volumus, percepta (*Psychol. empir.* §. 796.); **Spes Deo tribuitur, at non alio sensu, nisi quatenus bonum, quod futurum novit, vult.**

Numerus II. Id in spe Deo tribuenda spectatur tanquam futurum *per demonstrata num. I.*, quod nos, dum speramus, nobis tanquam obtentu possibile repræsentamus (*Psychol. empir.* §. 799.). Quamobrem cum ea non speremus, quæ obtentu impossibilia a nobis spectantur (*Psychol. empir.* §. 798.); **Nec Deus dici potest sperare, quæ nunquam eventura sunt.**

§. 617.

Ex Sacris Deo præscientiam futurorum (§. 350.) distinctam competere (§. 169.) evicimus, ex iisdem porro evidens est, eundem ex omni bono; Adeoque & ex eo, quod futurum agnoscit, voluptatem percipere (§. 573.); Consequenter id velle (§. 252.). Quoniam vero voluntas approbans illius, quod is tanquam bonum futurum noscit, spes Dei est (§. 616.); Quin Deo, spes tribuenda sit, dubitari nequit (*Logic.* §. 349.). Ceterum ex ipsa demonstratione evidenter patet, spem Divinam minime fallacem esse, qualis sæpe est spes hominum aliquid tanquam obtentu possibile existimantium, quod tamen non est. Quodsi enim Deo tribueremus spem eorum, quæ nunquam eventura sunt, etsi humano more de ipso loquentes, eidem tribueremus judicium incertum de eo, quod futurum: id, quod repugnat certitudini universali judiciorum Divinorum, & pugnat cum principio heuristico, quod Deo tribuenda non sint, quæ ullo modo defectum aliquem involvunt. *Ulterius evincitur, errandique ansa præscinditur.*

§. 618.

Expectatio quo sensu tribuatur Deo.

Propheta *Jesaias* V, 2. de Deo inquit: *quum exspectasset, ut ederet vinea sua uvas, edidit labruscas.* *Versu* vero 7. indicatur, quid per vineam hanc, per uvas atque labruscas sit intelligendum: ibi enim dicitur: *Vinea Jehovæ exercitium domus Israëlis, & viri Judæ planta* (sunt) *deliciarum ejus: & quamvis expectaverit jus, ecce iniquitas, justitiam, ecce autem clamor.* Ut adeo *vinea* indigitet domum Israëlis & viros Judæ, id est, populum Israëliticum, cui sese Deus specialiter manifestavit, bonaque varia atque insignia in eum contulit, cui sua dedit præcepta & suas prohibitiones; *Uvas* denotare jus ac justitiam, seu actionum rectitudinem; *labruscas* autem iniquitatem atque clamorem, sive actiones malas, ex ipsis his verbis abunde patet. Sensus verborum Prophetæ est: Deus a populo Israëlitico expectavit actionum eorundem rectitudinem, ecce autem ediderunt non nisi actiones malas. Nos aliquid expectare vulgo dicimur, quando aliquid ab alio fieri debere scimus, seu, ut alter id agat, obligatum esse noscimus; ut vero idem faciat, ad quod obstrictus est, nec ne, ex libero ejus arbitrio dependet. Deus noscit (§. 169.) homines ad actionum rectitudinem obligatos esse (§. 493.). Quamobrem cum motivum voluntatis Divinæ sit, quod optimum est (§. 252.); Quin Deus velit, homines ad actionum rectitudinem obstrictos esse; Consequenter obligationi suæ satisfacere, dubitari nequit. Hoc tamen non obstante abusum libertatis voluntatis non per miraculum tollere (§. 426.), sed permittere decrevit (§. 425.). **Deo igitur expectatio tribui nequit, nisi quatenus is voluntate approbante vult actionum rectitudinem, ad quam homo obligatus, contrarium vero non vult voluntate reprobante, ita tamen ut abusum voluntatis liberæ permitte-**

mittere decreverit. Seu expectatio est actus voluntatis Divinæ, quo vult, ut homo faciat, ad quod obstrictus est, conjunctus cum decreto abusus libertatis voluntatis.

§. 619.

Elihu de Deo asserit, quod a metu omnino sit alienus. Ait enim *Jobi* XXXVII, 24. לא יראה *non metuit ullos sapientes animo.* Quod de Deo loquatur, *versu* præcedente 23. probat; est enim sermo de שדי *Omnisufficienti Deo.* Verbum ירא, quod hic occurrit, vel mediocriter linguæ Hebrææ perito notum est, denotare idem ac *metuere, timere;* Atque innuere tædium ex malo adventuro perceptum, seu ex opinione mali adventuri, ita enim sumitur *Gen.* XXXII, 11. Ubi Jacob inquit: *metuo Esavum, ne veniens cædat me & matrem cum liberis.* Optime Elihu omnem de Deo removet metum. Etenim metus est tædium ex opinione mali adventuri *per demonstrata* (*& Psychol. empir.* §. 820.); Adeoque defectum quendam cognitionis futuri involvit, quod ex definitione opinionis patet (*Logic.* §. 602.). Quamobrem cum Deus omnia futura præsciat, ita ut eorum præscientia ipsi soli propria sit (§. 350.); Consequenter defectus cognitionis futuri eidem prorsus repugnet; Deo metus quoque prorsus repugnat; tribui itaque eidem nullo modo potest. *Metus cur Deo nullo modo tribui possit.*

Idem etiam sic probari potest. Metus est affectus, qui oritur, si quod malum nobis tanquam eventu possibile repræsentamus (*Psychol. empir.* §. 822.). Hoc sensu vocabulum sumi debere, ex Jacobi metu colligitur. Malum in relatione ad nos spectatum, cum ad imperfectionem nostram quid conferat (*Theol. natur.* §. 371.), Deus autem ens absolute perfectissimum (§. 304.), qui ita immutabilis, ut nihil in eo

concipi possit, quod non semper sit idem (§. 37.); Consequenter quoad summam suam perfectionem immutabilis sit; Impossibile est, ut mali quicquam ipsi eveniat. **Metus igitur eidem nullo modo tribui potest.**

Metus, cum sit affectus, qui vel perfectionis mutabilitatem, vel simul etiam defectum quendam cognitionis supponit, Deo prorsus repugnat; Adeoque nullo sensu tribui potest. Ut hoc clare pateat, utramque demonstrationem confecimus. Ceterum probe perpendi meretur, ipsum sacrum codicem nullibi, etsi de Deo humano loquatur more, eidem quid tribuere, sed potius semper ab eodem removere, quæ defectum quendam indicant. Unde in propatulo est, nihil in eodem occurrere, quod Deum dedeceat. Id annotasse lubuit, ut Divinitas hujus libri eo luculentius cerni possit, & quod nonnisi male sane negetur, appareat.

§. 620.

Timor, desperatio ac terror cur Deo prorsus repugnent.

Numerus I. **Timor** in nobis oritur, si malum aliquod nobis tanquam appropinquans repræsentamus (*Psychol. empir.* §. 823.). Unde porro eodem, quo ante (§. 619.), modo ostenditur, **eundem Deo repugnare; nec adeo tribui ullo modo posse.**

Numerus II. Eodem, quo ante (§. 619.), modo demonstratur, cum in nobis **desperatio** oriatur, si nobis malum repræsentamus tanquam inevitabile, inprimis ubi simul idem nobis repræsentamus tanquam intolerabile (*Psychol. empir.* §. 825.), **desperationem Deo nullo modo tribui posse.**

Numerus III. **Terror** in nobis oritur ex adventu mali improviso (*Psychol. empir.* §. 827.). Quamobrem cum (§. 619.) pateat, in Deum nullum malum cadere posse; Adeoque

que multo minus evenire ex improviso, adventu improviso præscientiæ futurorum repugnante (§. 350.); **Terror Deo prorsus repugnat, neque ullo modo eidem tribui potest.**

Timor, desperatio ac terror Deo vi perfectionis suæ absolute summæ immutabilis repugnant; Adeoque ei eodem, quo metus, modo tribui nequeunt. Terror in nobis major est, si præter spem omnem ac opinionem malum ingruit (*Psychol. empir.* § 829.). Unde denuo patet, pugnare terrorem cum omniscientia Dei, ac inprimis cum præscientia, quæ ejus aliqua pars est. Ceterum equidem inutile videri potest a Deo removere, quæ eidem non facile quisquam tribuerit, propterea quod ei repugnare levi ad notiones etiam confusas attentione deprehenduntur. Verum enim vero non solum nostri instituti ratio postulat, ne omittantur, quæ intellectu facilia sunt, modo sint vera; verum etiam ratio, cur ea Deo repugnent, distincte exponenda, ut, quorum est de Deo loqui ἀνθρωποπαθῶς, linguam temperare norint, ne, recte de Deo sentientes, verbis utantur, quibus aliis instillent, quæ defectum aliquem involvunt, & cum perfectione Numinis summa pugnant. Facile enim est, ut, dum de Deo humano more loquimur, dictio aliquid vitii contrahat, & ad autoritatem S. S. confirmandam & aliis persuadendam facit, si ostenditur, illam de Deo humano more loquentem uti dictione, quæ nihil prorsus vitii habet, si vel summo rigore examinetur (*Theol. natur.* §. 496.).

§. 621.

Bonum & optimum quid Deo dicatur.

Numerus I. Deus est spiritus perfectissimus (§. 303.), ac prorsus immutabilis quoad perfectionem suam (§. 37.); Consequenter nihil perfectioni ejus accedere, vel etiam decedere potest, quod, ut restauretur, habeat opus. Est simul

& sibimetipsi sufficientissimus, qui nulla prorsus re extra se quomodocunque indigeat (§. 308.) ad sui perfectionem, ac præterea impassibilis (*Theol. natur.* §. 75.), ut nihil quicquam a se diversum in perfectionem ipsius influere possit (*Ontol.* §. 714.). Quamobrem cum bonum quoad ens aliquod sit, quod in perfectionem ipsius influit, vel ejusdem signum est (*Theol. natur.* §. 370.); **Quin Deo nihil dici possit bonum, quia ad perfectionem ipsius nil quicquam conferre, aut quomodocunque influere in eandem potest,** dubitari nequit.

Signum perfectionis entis alterius est, quod facit, ut colligere detur, quænam ipsi insit perfectio (§. 295. & *Ontol.* §. 952.). Quamobrem cum actiones Dei omnino omnes sint rectæ (§. 523.); Adeoque rationem sufficientem in essentia ac attributis ejus habeant (§. *citato*); Ex ejus actionibus, adeoque iis, quæ facit, colligere datur, quænam ipsi insint perfectiones; Consequenter alia ab eo diversa signum esse possunt perfectionis ejus summæ (§. 295. & *Ontol.* §. 952.). Bonum igitur quid Deo dici potest, quatenus est signum perfectionis ejus summæ (*Theol. natur.* §. 370.). Verum enim vero gloria Divina est complexus attributorum Divinorum, quatenus a creatura rationali agnoscitur (*Theol. natur.* §. 610.); Adeoque per ea, quæ sunt illorum signa, patefit. Quamobrem **Deo seu ratione Dei bonum dici potest, quod facit ad patefactionem gloriæ ipsius** (§. 379.).

Numerus II. Quoniam bonum est in relatione ad Deum, quod ad gloriam ipsius patefaciendam facit *per demonstrata num.* I; **In relatione ad ipsum optimum est, quod ad gloriam ejus patefaciendam omnium maxime facit.**

Probe

Probe notandum est, quo sensu quidpiam dici possit Deo bonum & optimum, etsi re nulla extra se indigeat, sibimetipsi sufficientissimus (§. 308.). Notio enim boni & optimi distincta facit ad intimiorem ac faciliorem uti voluntatis, ita & quorundam affectuum Deo per eminentiam tribuendorum cognitionem.

§. 622.

Quo sensu Deo cupiditas tribuenda veniat, nos docet *Jacobus cap.* I, 18. ubi inquit: *Pater luminum*, βουληθεὶς *cupiens, progenuit nos sermone veritatis, ut essemus primitiæ quædam eorum, quæ creavit.* Quod per τὰς ἀπαρχὰς *primitias* intelligendi sint beati, qui a Christo salvantur, & ex primitiis Deo sub veteri fœdere consecratis, & ex prædicato iis *Apocal.* XIV, 4. adjecto patet: ibi enim sermo est de iis, *qui emti sunt ex hominibus*, illi ipsi nominantur *primitiæ Deo & agno sacræ.* Unde manifestum est, *primitias eorum, quæ creatæ sunt*, esse beatos, seu a Christo redemtos ad salutem æternam. Deum per beatos maximopere glorificari, parte altera, nimirum in œconomia salutis evidentius demonstrabitur, & veritas est, quam nullus Christianorum in dubium vocat. Ex mente itaque Jacobi Deus Apostolos progenuit sermone veritatis, quia cupiebat eos esse beatos; Consequenter per eos gloria ipsius maximopere manifestatur. Quare cum Deo nihil dici possit bonum, nisi quod facit ad manifestationem gloriæ ipsius (§. 622. *num.* I.); Beandorum beatitudo Deo bona dici potest, quia facit ad gloriæ ipsius manifestationem. Verum enim vero quod nos cupimus, id nobis repræsentamus tanquam nobis valde bonum (*Psychol. empir.* §. 808.); Consequenter cum appetamus, quod nobis tanquam bonum repræsentamus (*Psychol. empir.* §. 589.), idem appetimus. Quamobrem cum affectus Deo tribui nequeant, nisi quatenus distincta boni ac mali repræsentatio

Cupiditas quo sensu Deo tribuenda.

sentatio est ratio volitionis atque nolitionis, qualis confusa in nobis excitat affectus (§. 571.), & Deus, qui omnia distincte cognoscit (§. 169.), distincte quoque cognoscat beatitudinem beandorum facere ad manifestationem gloriæ suæ, sibique adeo bonam esse; cupiditas ex mente Jacobi eidem nonnisi tribuitur, quam quatenus vult beandos beari propterea, quod per eos gloria ipsius manifestatur, seu cupiditas in genere Deo tribui nequit, nisi quatenus vult futurum, quia tendit ad patefactionem gloriæ suæ.

Unde *Jobus* cap. XXIII, 13. *Quod animus ejus*, inquit, *cupit, id efficit.* Oritur nimirum cupiditas ex repræsentatione boni absentis, quatenus scilicet tanquam nobis bonum spectatur (*Psychol. empir.* §. 810. 805.). Quamobrem respectu Dei, quod tendit ad patefactionem gloriæ suæ, spectari debet tanquam futurum, ubi cupiditatem eidem tribuere volueris. Quemadmodum autem in nobis cupiditas, utpote affectus, vehementem arguit appetitum (*Psychol. empir.* §. 603.); Ita Deo cupiditatem tribuimus, ut indigitemus, eum vehementer aliquid velle, seu ad significandam seriam ejus voluntatem, in gratiam eorum, qui non satis intelligunt, quid dicatur, nisi de Deo humano more loquamur.

§. 623.

Malum quid quoad Deum dici possit.

Deo, seu quod perinde est, in relatione ad ipsum nihil dici potest bonum, nisi quod facit ad patefactionem gloriæ ipsius (§. 622. *num. I.*); Consequenter signum est summæ ipsius perfectionis (*Ontol.* §. 952.). Quamobrem cum malum in relatione ad aliud dicatur, non modo quod ad imperfectionem alterius quid confert, verum etiam quod ejusdem signum est (*Theol. natur.* §. 371.); Quoad Deum malum

malum quid dici nequit, niſi quod foret ſignum imperfectiones ipſius, ſeu, quod ſi in eum caderet, imperfectionem quandam in eodem argueret.

§. 625.

Non quæritur hic, quid ſit malum Deo, neque enim tale quid datur; Sed ſolummodo quid in relatione ad Deum malum dici poſſit, ſeu quid ſit בעיני יהוה רע *malum in oculis Jehovæ Gen.* XXXVIII, 7., quoniam id ſuo non deſtituitur uſu. Nimirum vi notionis hujus intelligitur, quomodo præcaveri debeat, ne Deo tribuatur, quod a ſumma ejus perfectione abhorret. Etenim ſi quid de eodem affirmes, quod eidem convenire non poſſe intelligitur, niſi neges ſummam, eidem ineſſe perfectionem; id erit quoad Deum malum, adeoque malo eum obnoxium facies. In genere quidem hoc facile concedunt omnes: Verum enim vero ubi venit idem affirmandum, applicando principium generale ad caſum particularam, haud raro hæſitant plurimi, aut errant ignorantia. Quamobrem probe perpendi velim, quid quoad Deum malum dici poſſit. *Ab exceptione liberatur, & uſus hujus propoſitionis indicatur.*

§. 626.

Numerus I. Deo, nil placere poteſt, quatenus imperfectum eſt (§. 580. *num.* II.), adeoque, Paulo quoque teſte *Hebr.* X, 38., quatenus imperfectum eſt, diſplicet (§. 582.). Quamobrem cum malum quoad Deum dicatur, quod foret ſignum imperfectionis, ſeu in ipſo imperfectionem argueret (§. 624.); **quod quoad ipſum malum dici poteſt, placere nequit, ſed diſplicet.** *Cur Deo diſpliceat, nec is velle queat, quod malum, quoad ipſum.*

Numerus II. Quoniam Deo diſplicet id, quod non modo tale eſt, ut ex eo voluptatem percipere non poſſit,

seu quod etiam actu positivo non vult, seu aversatur (§. 582.), quod vero malum quoad ipsum dici potest, id ipsi displicet *per demonstrata num.* I. **Quod quoad Deum malum dici potest, ex eo non modo nullam voluptatem percipit, sed idem quoque actu positivo non vult, seu aversatur.**

Idem etiam sequitur ex eo, quod voluntas Divina feratur in optimum (§. 252.).

§. 627.

Fuga quo sensu Deo tribuatur.

Fuga mali simpliciter est prægustus tædii, vel tristitiæ ex malo absente percipiendæ, si nobis præsens fieret (*Psychol. empir.* §. 813.), oriturque ex repræsentatione mali absentis quoad nos (*Psychol. empir.* §. 818.). Verum enim vero, teste Scriptura, nil potest dici malum quoad Deum, nisi quod foret signum imperfectionis, aut, si in ipsum caderet, imperfectionem quandam argueret (§. 624.), & tristitia Deo tribui nequit, nisi quatenus absentia voluptatis denotat noluntatem reprobantem mali præsentis cum voluntate contrarii (§. 588.). Quoniam itaque, quod malum dici potest quoad Deum, id Deus actu positivo non vult, nec ullam ex eo voluptatem percipit (§. 626. *num.* II.); **Fuga mali Deo tribui nequit, nisi quatenus actu positivo non vult, quod foret signum imperfectionis, seu imperfectionem quandam in ipso argueret, nec ex eo voluptatem percipere potest.**

§. 628.

Quæ hac notanda.

In nobis fuga mali potissimum respicit malum physicum, & morale, quatenus cum physico connectitur. Verum enim vero cum ob summam Dei perfectionem (§. 303.), eamque prorsus immutabilem (§. 37.) ac independentem

(§. 139.)

(§. 139.) in Deum malum physicum cadere nequeat, nec fuga eidem tribui potest respectu mali physici. Probe hoc notandum est, ne notio fugæ, Deo tribuendæ, cum ea, quæ nobis est, misceatur nec aliquid ipsi, quod summæ ejus perfectioni adversatur, adscribatur. Velim autem, ut notionem fugæ Deo tribuendæ probe perpendant, qui sibi aliisque persuadere conantur, quasi Deus velle possit, quæ forent signum imperfectionis ipsius, quatenus non perpendunt, quæ non sunt signum summæ perfectionis, ea redarguere quandam imperfectionem. Etsi fuga Deo tribuenda sit terminus ἀγραφος, quoniam tamen in sacro codice principia, ex quibus Sensus distincte erui potest, quomodo eidem illa tribui possit, continentur, & ut his, quos modo descripsimus errandi ansa adimeretur, ne in summam Dei perfectionem injurii sint, hinc eandem ad notionem distinctam referre placuit. Unde manifestum est, Sacras literas sufficientes quoque omni errori detegendo atque refellendo, modo ea, quæ in iis traduntur, ad notiones distinctas revocentur.

§. 629.

Per Prophetam Deus *Ezechiel* XVIII, 32. ita loquitur: *Non enim desidero mortem morientis, dictum Jehovæ; avertite vero vos, & vivite.* Deus dicitur non desiderare mortem morientis, seu qui ob suas actiones malas, tanquam malum morale, malum physicum tandemque summum, quod mortis nomine venit, sibi contrahit; sed potius vult, ut sese a malis actionibus avertat, seu tales semper edat actiones, quæ bonæ sunt, id est, ut moraliter bonus sit, atque ita vivat, seu bona cuncta physica obtineat. Deum per vitam viventium, seu quod perinde est, per salutem æternam beatorum, glorificari veritas adeo manifesta

Desiderium quo Sensu Deo tribuatur

eſt, ut a nullo, qui S. S. fidem dat, negari queat, quod ſuo loco clarius conſtabit. Quoniam itaque Deus de ſemetipſo affirmat, quod non deſideret mortem morientis, ſed potius, ut ſe avertat, & vivat, ſufficienter indicat, quod velit, ut homines, quos actiones ſuas ad manifeſtationem gloriæ ſuæ non directuros novit, ad eandem eas dirigant, & ex mora, quam nectunt, voluptatem nullam percipiat, eamque nolit noluntate reprobante. Patet adeo, **Deum de ſemetipſo teſtari, quod habeat deſiderium, quatenus vult homines, quos actiones ſuas ad manifeſtationem gloriæ ſuæ non directuros novit, id facere, & ex mora, quam nectunt, voluptatem nullam percipit, eamque non vult noluntate reprobante.**

Idem etiam hoc modo domonſtrari poteſt. In nobis **Deſiderium** eſt tædium ex mora boni venturi, quod ſperamus, perceptum (*Pſychol. empir.* §. 852.). Spes Deo tribui nequit, niſi quatenus bonum, quod futurum novit, vult (§. 616.). Quamobrem cum in relatione ad Deum nihil dici poſſit bonum, niſi quod facit ad patifactionem gloriæ ipſius (§. 622. *num. I.*); Actiones hominum ad manifeſtationem gloriæ ſuæ dirigendas ſperat, quatenus futuras præſciens vult. Verum enim vero tædium ipſi tribui nequit, niſi quatenus abſentia voluptatis connotat actum nolitionis (§. 577.). Ex mora igitur, quam homo nectit in dirigendis actionibus ad patefactionem gloriæ ſuæ tædium percipere nequit, niſi quatenus ex eadem nullam percipit voluptatem, eamque non vult (§. 493. *num. IV.*), & quidem noluntate reprobante (*Theol. natur. part. II.* §. 221). **Patet itaque Deo tribui poſſe deſiderium, quatenus**

nus vult homines, quos actiones ſuas ad manifeſtationem gloriæ ſuæ non directuros novit, id facere, & ex mora, quam nectunt, voluptatem nullam percipit, eamque noluntate reprobante non vult.

§. 630.

Quoniam verba Dei per Prophetam commemorata prolixiori explicatione indigent, quam quæ hic confici poteſt, & parte ſequente demum tradenda; hinc poſteriorem adjecimus demonſtrationem ex ſacrarum paginarum principiis evidentibus deductam, ne hæſitare debeant, quibus prior non ſatis perſpecta. Ceterum quod deſiderium Divinum reſtringamus ad ſolas hominum actiones, quæ ad manifeſtationem gloriæ Divinæ diriguntur, nemo miretur. Sequimur enim ſacrum codicem. Quid? quod, & revelatione & ratione teſtibus, nihil in relatione ad Deum bonum eſt, niſi quod ad manifeſtationem gloriæ ipſius facit (§. 622. *num. I. & Theol. natur. part. II.* §. 261.), bonum vero venturum non patitur moram quoad Deum, quod per ſe patet. *Quæ hic notanda.*

§. 631.

Paſſim in ſacro codice Deo tribuitur ira, veluti *Num.* XI, 10. XXV, 3. *Deutr.* VI, 15. VII, 4. XI, 17. & toties alibi de אף *ira* Dei loquitur in veteri, & de ὀργὴ, quod ſimiliter *iram* innuit in novo fœdere, veluti *Hebr.* III, 11. IV, 3. *Joh.* III, 36. *Rom.* I, 18. III, 5. IX, 22. *Eph.* V, 6. *Coloſ.* III, 6. &c. loco poſteriori dicitur: Δι' ἃ ἔρχεται ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τοὺς ὑιοὺς τῆς ἀπειθείας. *Ob quæ venit ira Dei ſuper filios contumaces.* Rationem iræ, ob quam venit, indicavit *verſu* præcedente 5. ubi ſermo eſt *de membris terreſtribus*, *Ira quo ſenſu Deo tribuatur.*

reſtribus, de ſcortatione, impuritate, mollitie, cupiditate mala & avaritia, quam vocat *idolatriam* Apoſtolus. Actiones malas, a Deo prohibitas, & voluntati Divinæ contrarias, enumerat Gentium doctor, & de iis affirmat, quod ob easdem veniat Dei ira. Deo competit, teſte ſcriptura, jus obligandi hominem ad actiones non ſuo arbitratu, ſed juxta voluntatem Divinam determinandas (§. 493. *num. I.* 491.). Quamobrem cum, jure ſuo uſus, eundem ad hanc actionum determinationem obliget (§. 494.); Juri Divino in ſe contrariatur; Adeoque Deo injuriam facit, qui voluntati Divinæ contrarias edit actiones. Ex mente Apoſtoli palam eſt, Deo injuriam facere, qui non mortificat membra ſua terreſtria, abſtinendo a ſcortantione, impuritate, mollitie, cupiditate mala, & avaritia, quæ eſt idololatria, tanquam actionibus voluntati ipſius contrariis. Quoniam porro Deo tribuitur tædium, quatenus, abſentia voluptatis connotat actum nolitionis (§. 577.), & odium Divinum non denotat, niſi noluntatem reprobantem ejus. quod ipſi diſplicet in ente alio (§. 596.); Conſequenter quod non modo tale eſt, ut ex eo voluptatem percipere non poſſit, ſed quod etiam actu poſitivo non **vult**, ſed averſatur (§. 582.); **Ex mente Apoſtoli Deo ira tribuitur, quatenus nullam ex actionibus recenſitis, quæ voluntati ejus contrariæ, voluptatem percipit, easque non vult, ſeu averſatur.** Et quoniam in hominem ob malefacta pœnas, immo æternas pœnas decernit, easque decretas iisdem irrogat (§. 541.), **quatenus in male facientes pœnas, immo pœnas æternas decernit, easque decretas exequitur**, ſeu, quod perinde eſt, **quatenus vult punire hominem ob actiones voluntati ipſius contrarias.** §. 632.

§. 632.

Quæ capite V. de jure Dei in homines & VI. de justitia vindicativa demonstrata sunt, nituntur principiis, quibus indigemus, si S. S. conformiter ad notionem iræ Deo tribuendæ distinctam pervenire, nec aliquid dicere volumus, quod Deo indignum. Consimiliter odium atque vindictæ cupido in nobis plerumque aliquid vitii habet: quamobrem multa circumspectione opus est, ne Deo iram tribuentes, quod ipsum dedeceat, adscribamus. Hoc vero metuendum non est, quamdiu iram Divinam non extendimus ultra ea, quæ in propositione (§. 631.) eidem asseruntur. Irascimur etiam ei, qui alteri, quem amamus, injuriam infert (*Psychol. empir.* §. 874.). Quamobrem cum Deus amet entia cetera a se diversa (§. 418.). ac inprimis recte agentibus faveat (§. 614.); Ira quoque ipsi tribuenda videtur respectu entium aliorum, ac præsertim recte agentium; Consequenter notio iræ Divinæ a nobis insufficienter explicata videtur. Qui sic sentiunt, se, animo distinctis notionibus imbuto carere, ostendunt: Obligamur enim ad actiones nostras ad aliorum, statusque eorundem perfectionem dirigendas (§. 493. *num.* II); Omnis itaque actio, qua alteri injuria infertur, voluntati Divinæ contraria est; & per consequens in nostra de ira Divina notione comprehensa. *Exceptionibus occurritur.*

§. 633.

Iram Divinam omnium maximam esse patet ex adiectis synonymis veluti חמה & θυμὸς *excadescentia*, *æstus*, *ira æstuans*, quæ Deo attribuuntur in sacris, veluti *Num.* XXV, 11. *Deutr.* IX, 19. & sæpius alibi *Apocal.* XIV, 10. 19. XV, 1. 7. XIX, 15. &c. Verba *Deutr.* IX, 19. hæc sunt; *metuebam enim ab ira illa*, inquit Moses, *& excandescentia, qua efferbuerat Jehova contra vos ad perdendum vos.* Hac *Excandescentia quo Sensu Deo tribuatur.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0537
DFG

Hac ira, qua excandeſcentia efferveſcere dicebatur Deus *verſu ſequente* 20. nominatur ira maxima: Ita enim pergit Moſes: *In Aaronem quoque ira percitus eſt Jehova* מאד *valde ad perdendum eum.* Particula מאד *valde*, ſubſtantivo adjecta, Hebræis loco Latinorum ſuperlativo eſt, quo utriusque linguæ vel modice gnarus non dubitat. Ut adeo quoad ſenſum idem ſit, ſive verba Moſis vertas: *in Aaronem ira percitus eſt Jehova valde*, ſive dicas, *Jehova ira maxima in Aaronem percitus eſt.* De ira Johovæ, excandeſcentia juncta affirmat Moſes, quod illa perituri ſint Iſraelitæ, & de ira maxima idem aſſerit eventurum Aaroni; Conſequenter ira excandeſcentia eſſerveſcens, eadem eſt cum ira maxima, ſeu ira excandeſcens eſt ira maxima. Ira vehementior avadit cum ubi injuria, quæ nobis, vel aliis infertur, major fit, tum etiam, quo magis eum amamus, cui ab altero fit injuria; alterum vero, qui injuriam infert, odio proſequimur. Injuria, quare Deus hic excandeſcentia iraſci dicitur, erat, quod Iſraëlitiæ ſibi *fecere vitulum fuſilem, atque celeriter receſſere ab ea via, quam præſtituerat Jehova iis verſu* 16. Sive idololatria erat, quæ eſt graviſſima in Numen colendum injuria. Deus ſemetipſum maxime amat, nec datur aliud ens, quod tanto, quanto ſe, amore complecti poſſit (§. 590.) Quamobrem cum idololatria injuria ſit in ipſum Deum illata; Quin propterea maxime iraſcatur, dubitari nequit. Nemo denique ſanus negabit, quod idololatria tale quid ſit, ut Deus ex eo non ſolum nullam voluptatem percipere queat, ſed quod eam quoque actu poſitivo nolit, ſeu averſetur (quod etiam paſſim in ſacro codice inculcatur); Adeoque idololatria eidem diſpliceat (§. 582.); & per conſequens quod idololatram odio proſequatur (§. 596.), & in eundem propterea ira efferveſcat. Quamobrem cum omne id, per quod

quod ira Dei intenditur, in idololatra & idololatria reperiatur, ira Dei propterea est maxima. Cum vero ira maxima, & ira excandescens idem sit *per demonstrata*; Excandescentia, seu ira maxima ex mente sacri codicis, Deo tribuitur, quantenus ex actionibus, voluntati ejus quam maxime contrariis, ne minimam quidem voluptatem percipere potest, easque plane non vult, seu maximopere aversatur, atque in eos, qui pessimas edunt actiones, gravissimas decernit pœnas, easque exequitur.

§. 634.

Deus vocatur קנא *zelotes Exodi* XX, 5. XXXIV, 14. *Deutr.* IV, 24. V, 9. (15.) VI, 15. itemque קנוא *zelotes Josuæ* XXIV, 19. *Nahum* I, 2. In prioribus locis Deus zelotes nuncupatur, quia maximopere prohibet cultum Deorum alienorum, seu idololatriam: posteriori vero loco Propheta ait: (Deus) *fortis zelotes & ultor* (est) *Jehova, ultor est Jehova & excandescens; ultor* (est) *Jehova in hostes suos, & asservat* (iram) *in inimicos suos.* Idololatria causa iræ Divinæ maximæ, seu excandescentiæ est (§. 633.), itemque Deus ob excandescentiam in idololatras קנא seu קנוא, Ζηλωτὴς *zelotes* appellatur, uti ex locis citatis luculenter patet, & ex eo Nehemiæ satis evidens est, eum excandescentiam suam tanquam zelotem in hostes atque inimicos suos necessario exercere: ter enim ibidem ultor dicitur hic zelotes. Ut adeo luce meridiana clarius pateat, Deum קנא, קנוא, Ζηλωτὴν zeloten vocari ab excandescentia sua in eos, qui pessimas committunt actiones. *Zelotes cur Deus dicatur.*

§. 635.

Exceptionibus occurritur. Cum ira, eo sensu, quo nos eam Deo tribuimus, minime eundem dedeceat (§. 630.), nec excandescentia eo Sensu, quo eandem de ipso, S. S. conformiter, asseveramus, ipsi repugnare potest, quod facile agnoscet, qui modo (§. *citato*) dicta probe perpendit. Non est, quod excipias, Deum non semper idololatras puniviſſe, sed in ipsis Sacris literis excempla esse eorum, qui salvati sunt. Hic perpendere velis, obsecro, nos de Deo, convenienter verbo ipsius, affirmare eundem idololatras, seu omnes, qui malas patrant actiones necessario punire debere, ut justitiæ suæ vindicativæ satisfiat, quæ pœnas necessario exigit (§. 541.). Atat! si idololatra, aut quivis, qui malis actionibus adhuc mancipatus fuit, mutet animum ita ut desinat male agere, & in posterum bene agat, tunc non solum deest ratio sufficiens justitiæ vindicativæ; (§. *citato*) adeoque & iræ (§. 631.), multo magis excandescentiæ (§. 633.), sed e contrario cum Deus ex conversione voluptatem percipiat, hæc ei placet (§. 579.), illum jam potius amat (§. 594.). Quoniam itaque nihil est sit sine ratione sufficiente (*Ontol.* §. 70.), nec justitia vindicativa, & hinc nec ira, nec candescentia sine ea esse potest. Posita vero eadem & illæ ponuntur necessario (*Ontol.* §. 118.); Adeoque immota est veritas, Deum necessario irasci, & excandescentia efferveſcere tamdiu in male agentes & idololatras, quamdiu male agunt vel alienos Deos colunt. Quanti hæ propositiones usus sint in Theologia omni, & præsertim in Ethica Christiana, illis etiam a priori notum est, qui notionum fœcunditatem distincte sibi repræsentare, & de ea judicium ferre norunt.

§. 636.

Fastidium quo Fastidium in nobis oritur, si, quod nobis tanquam bonum

num repræsentabamus, idem deinceps tanquam malum repræsentamus (*Psychol. empir.* §. 859.): Ita sumitur vocabulum געל *fastidivit*, quando de hominibus adhibetur, uti videri potest *Levit.* XXVI, 15. 43. Conferatur *Ezech.* XVI, 45.; Adeoque hoc sensu locum habere nequit, nisi intellectus quodam defectu. Quoniam itaque ille Deo tribui nullatenus potest (§. 200. 169.); nec fastidium eo sensu, quo de hominibus sumitur, per eminentiam, seu ullo modo tribui potest. *Sensu Deo repugnat.*

Pugnat nimirum fastidium, hoc sensu sumtum, cum summa intellectus Divini perfectione; Adeoque eo sensu Deo plane repugnat.

§. 537.

Quando tamen hoc non obstante Sacra scriptura expressis verbis Deo fastidium tribuit; Eodem indicatur non-nisi diversa relatio voluntatis Divinæ ad idem objectum pro diverso ejus statu, quatenus scilicet, quod antea erat bonum, nunc effectum est malum, seu facta mutatione in objecto. Clarissime hoc perspicitur *Levitic.* XXVI, 30. & *Ierem.* XIV, 19. loco enim priori de Deo dicitur געלה נפשי אתכם *fastidiet anima mea vos* quod *Lutherus* bene vertit: Meine Seele wird an euch Eckel haben. Et *versu* 14. 15. Jehova sic ait: *Quod si non auscultabitis mihi, neque facietis omnia mandata ista. Si inquam statuta mea spernitis, & si judicia mea fastidiet anima vestra, ut non faciatis omnia mandata mea;* (sed) *faciatis irritum fœdum meum.* Nimirum *si non auscultaverint ei, sed ambulaverint secum temere Levit.* XXVI, 27. Ast loco posteriori & *Levit.* XXVI, 11. ait ולא־תגעל נפשי אתכם: *neque fastidiet anima mea vos.* Ubi *Lutherus* a proprio verborum significatu male recedit, cum verba reddit, und meine Seele soll *Quo sensu vero ei asseritur.*

euch nicht verwerfen, potius ſecundum propriam ſuam jam modo citatam verſionem: meine Seele wird an euch keinen Eckel haben. Ratio redditur verſu 3. *Si ambulaveritis in in ſtatutis meis, & mandata mea ſervantes feceritis ea.* Etenim cum Deus ſanctus (§. 528.), immo ſanctiſſimus ſit (§. 530.). Nos vero ſanctos eſſe velit, quemadmodum ipſe ſanctus eſt *Levit.* XIX, 2. & ſanctitas conſiſtat in rectitudine actionum (§. 528.); Conſequenter nos ſancti ſimus, quatenus ſtatuta Divina & mandata ejus ſervamus, tales ſumus, quales nos Deus eſſe vult, quamdiu ſtatuta & mandata ejus ſervamus, nec fœdus ſuum irritum facimus; Atat! eſſe deſimus, quamprimum ſtatuta ejus ſpernimus, & judicia ſua faſtidit anima noſtra, ut non faciamus omnia ejus mandata; ſed irritum facimus fœdus ſuum. **Unde conficitur, faſtidium improprie Deo tribui, quatenus homines, qui antea erant boni, nunc facti ſunt mali, primum placuerant, poſtea vero diſplicent.**

§. 638.

Ab exceptionibus liberatur.

Nemo miretur, nos affirmare Deo etiam per eminentiam repugnare faſtidium; eidem tamen Senſu improprio tribui poſſe. Sane & ratio & revelatio unanimi conſenſu probant, Deo eo Senſu, quo nos aliquem, vel aliquid faſtidire dicimur, eidem faſtidium repugnare: Quoniam hoc ſenſu defectum intellectus Divini arguit, uti ex demonſtratione (§. 636.) luculenter patet. Verum enim vero lingua Hebraica, cum inopia verborum laboret, quod unicuique, qui vel modice hujus linguæ peritus, per ſe notum eſt, verbum ejusdem radicis, vel in diverſis toto inter ſe cœlo, uti dicitur, ſignificationibus ſumit, vel, ubi quædam ſaltem convenientia reperitur, in utroque ſignificatu eodem utitur; ut itaque mirum eſſe nequeat, vocabulum

lum נעל, quando de hominibus ſacer codex loquitur, adhiberi Senſu proprio, & quidem qui Deo plane repugnat, quando autem de Deo ſermo eſt, idem ſumendum eſſe Senſu ab hoc diverſo, nimirum improprio. Præſertim cum adhuc quædam datur convenientia inter ſignificatum proprium & improprium, etſi maxima reperiatur differentia inter modum, quo tribuitur. Faſtidium ratione ſubjecti Deo nullo modo tribui poteſt. Etenim illud in nobis oritur, quando, quod nobis tanquam bonum repræſentavimus, idem deinceps tanquam malum repræſentamus (*Pſychol. nmpir.* §. 859.), hoc vero fit, quando id, quod nobis bonum videbatur, idem poſtea malum deprehenditur (§. *citato*); Adeoque vel malum verum habuimus pro bono, vel bonum verum nobis videtur poſtea eſſe malum, manente interim re eadem, & hoc Senſu plane de Deo negatur faſtidium (§. 636.) Ratione vero objecti, id eſt, Senſu improproprio Deus de ſemetipſo affirmat animam ſuam faſtidire: Ibi enim res non amplius manet eadem: etenim vel diverſa poſſunt eſſe individua, quorum unum, quia revera bonum eſt, non faſtiditur a Deo (§. 637. *num.* I.), alterum vero, quod revera malum eſt, omnino faſtidtur (§. 637. *num.* II.); vel idem objectum mutari poteſt, ut is, qui antea malus revera erat, evadat bonus, & ab anima Divina non faſtidiatur adhuc (§. *citato num. I.*), aut is, qui antea bonus erat, ſeu mandata ejus obſervabat, recedat, malusque revera fiat, a Deo tunc faſtidiatur (§. *citato num. II.*). Adeoque diſſenſus faſtidii Divini, & ejus, quod eſt hominibus, in eo conſiſtit, quod ratio faſtidii quod hominibus proprie tribuitur, ipſi ſubjecto, ſeu homini male de re judicium ferenti inſit, non vero objecto ſeu rei, e contrario quando Deo improprie tribuitur, defectus nullus eſt in ju-

dicio Divino, aſt objecto ineſt ratio, quia quod antea bonum erat, malefactum, aut, quod de diverſis objectis ſive individuis ſermo eſt, quorum unum revera bonum, alterum revera malum. Convenientia inter faſtidium Senſu improprio Deo tribuendum, & inter illud, Senſu proprio hominibus inexiſtens, in ſola repræſentatione boni & mali conſiſtit; & ob hanc convenientiam nos eam Deo improprie, cum S. literis, tribuimus, præſertim cum lingua Hebræa inopia verborum radicalium idem verbum in diverſo plane inter ſe ſignificatu adhibere conſueta ſit. Hæc, qui probe perpendit, exceptiones inanes nobis non objiciet, ſimulque intuebitur, quid requiratur ad Senſum genuinum in ſacris inveniendum, ita ut, nec autoritati ejusdem quid detrahatur, nec quid ſtatuatur, quod Deum dedeceat; itaque ab omni erroris metu tutus ſit.

§. 639.

Benignitas quo Senſu Deo tribuatur.

Deo paſſim tribuitur *benignitas* cum ſub veteri fœdere vocabulo חסד veluti *Gen.* XXIV, 12. 14. *Deutr.* V, 10. (16.) VII, 9. II. *Samuel.* VII, 15. *Pſalm.* V, 8. XIII, 6. XXXI, 8. 17. XXXIII, 22. XXXVI, 6. 8. 11. XLIV, 27. &c. tum ſub novo voce Græca χρηστότης *Röm.* II, 4. XI, 22. *Eph.* II, 7. &c. Paſalmiſta *Pſalm.* XLIV, 27. inquit: *Surge ad auxilium nobis, & redime nos propter benignitatem tuam.* Auxilium & redemtionem, quam a Deo petit Pſaltes, a Divina benignitate expectat. Auxilium atque redemtionem eſſe inſignia bona, quibus perfectio illius, qui eorum particeps fit, promovetur, nullus ſane dubitare poteſt; Conſequenter ex ſacris docemur, maxima bona, quibus noſtra perfectio promovetur, expectanda eſſe a benignitate Divina. Quamobrem cum affectus Deo tribui nequeat: niſi quatenus actus voluntatis ac noluntatis Divinæ ſupplet vicem affectuum (§. 571.), & Deus ſumme bonus ſit, quatenus

tenus enti cuique, adeoque præsertim homini tandundem confert boni, quantum salva ejusdem sapientia fieri potest (§. 415.); **Deo tribuitur benignitas, quatenus enti cuicunque, & inprimis homini tantundem conferre vult boni, quantum salva sapientia ejus fieri potest.**

§. 640.

Ex hac definitione benignitatis Divinæ fluunt cetera omnia, quæ in sacris de ea dicuntur veluti *Lucæ* VI, 35. ὁ ὕψιστος χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους καὶ πονηρούς. **Altissimus (Deus) benignus est erga ingratos & malos.** Deus benignitate sua vult conferre enti cuicunque tantundem boni, quantum salva sapientia sua fieri potest; Adeoque & ingratis atque malis tantundem conferre vult boni, quantum salva sapientia ejus summa fieri potest. Etsi ingrati ac mali sint, id non obstet, quo minus is tantum illis conferat bonum, quantum salva sapientia ejusdem fieri potest: sunt enim in entium numero; Adeoque ratio adest sufficiens, nimirum bonitas Divina, cur iis ea bona conferre possit, quæ salva sapientia conferri queunt (§. 415 & *Ontol.* §. 118.) **Exercere vero benignitatem** dicitur *Deutr.* V, 10. (16.) *in millesimos, qui diligunt eum, id est, qui observant mandata ejus.* Sæpius jam monuisse meminiscimur eos, qui mandata Dei observant, seu qui Deum diligunt; facere id, quod judicio ipsius Dei rectum est, id est, sanctos se præbere (§. 529.), & ipse Deus sanctus est, quod nihil velit, nisi quod rectum est (§. 528.); Adeoque præter Dei bonitatem, qua entibus promiscue omnibus tanta confert bona, quanta salva sua Sapientia conferre potest, & quæ ratio sufficiens est, cur ingratis & malis

ulterius expenditur.

lis benignus sit *per demonstrata*, adhuc ipsa Divina sanctitas superaccedit, quæ ratio sufficiens est, cur in eos, qui se sanctos præbent, majora atque plura bona conferre velit, quam in reliquos. Merito igitur, in eos benignitatem exercere, dicitur. Quoniam & in ipsos ingratos tantundem confert boni, quantum salva sapientia fieri potest *per demonstrata*, & simul benignitatem exercet in eos, qui se sanctos præbent *iterum per demonstrata*; Hinc jure de eo dicitur, *quod sit* רב־חסד **multus benignitate.** Cui placebit, reliqua dicta S. S. examinare, ubi Deo benignitas tribuitur, inveniet eadem eodem modo, quo ea, quæ jam attulimus, resolvi in definitionem benignitatis Divinæ, quam (§. 639.) ex verbis Psalmistæ formavimus. Unde ea vera, certa & immota est.

Gratiosus cur Deus dicendus.

§. 641.

Sæpius Deus dicitur חנון *gratiosus* veluti *Exodi* XXXIV, 6. II *Paral.* XXX, 9. *Nehem.* IX, 17. 31. *Psalm.* LXXXVI, 15. CIII, 8. CXI, 4. & alibi pluries. Vocatur Deus gratiosus ab eo, quod gratiosus sit, seu gratiam faciat aliis. De semetipso Numen colendum *Exodi* XXXIII, 19. affirmat: וחנתי את־אשר אחן *& gratiosus ero, cui fuero gratiosus.* Gratiæ Divinæ objectum David diserte describit *Psalm* XXV, 16. Jehova *respice ad me, & gratiam fac mihi; quia solitarius & pauper (miser, afflictus) sum.* Homo afflictus, qui semetipsum nullo modo a sua infelicitate liberare potest, & cui nihil inest, cur Deus eundem ab infelicitate sua liberaret, ex mente sacri scriptoris, objectum gratiæ Divinæ est. Ex eo jam agnoscimus, Deum, quando inquit, se gratiosum futurum esse, cui gratiosus futurus, de semetipso asserere, quod sola liberrima sua voluntas causa sit, ut homini, quem infelicem esse distincte intuetur; &

qui

qui se ab ea nullo modo liberare potest, benefaciat, cum etiam, si ita ipsi placeret, beneficia largiri non deberet, seu nihil esse, quod Deum ad benefaciendum obstringeret. Quamobrem cum Deo affectus tribui nequeat, nisi quatenus actus voluntatis ac noluntatis Divinæ supplet vicem affectuum (§. 571.); **Deus Gratiosus dicitur, quatenus voluntate liberrima infelici benefacere vult, cui beneficium nullo modo debet**, aut, si magis arridet, **Deus, se ipso teste, Gratiosus est, quatenus liberrime infelici benefacit, quem etiam liberrime infelicem relinquere potest.**

Nimirum liberrima Dei voluntas omnis gratiæ fons est. Qui itaque probe perspexit, quæ de voluntate Dei liberrima (§. 132.) dicta sunt, is distincte agnoscet, quid sit gratia Divina, & cur in sacris nullus, nisi solus Deus gratiosus dicatur.

§. 642.

Deus dicitur ארך אפים *longus irarum* veluti *Exodi* XXXIV, 6. *Numer.* XIV, 18. *Nehem.* IX, 17. *Psalm* LXXXVI, 15. CIII, 8. CXLV, 8. *Joël* II, 13. *Jonæ* IV, 2. *Nahumi* I, I, 3. Huic τῷ ארך אפים opponitur illud τὸ קצר אפים *brevis irarum*, *promtus iræ*, *iracundus*, quod legitur *Proverb.* XIV, 17. קצר־אפים יעשה אולת (*promtus iræ, iracundus,*) *præceps ad iram efficit stultitiam.* Quod *Lutherus* reddit, ein ungedultiger thut närrisch, potius ein gehzorniger. ארך אפים *longus irarum*, *tardus ad iram*, seu *longanimis*, quod *Lutherus* vertit gedultig, cum vocabulum Germanicum langmüthig genium verborum authenticorum *Longanimitas quo Sensu Deo tribuatur.*

rum potius exprimat. Hæc verba *Numer.* XIV, 18. leguntur: *Jehova* (est) *longanimis & multus benignitate, condonans iniquitatem ac defectionem; qui prorsus non absolvit* (sontem), *visitans iniquitatem patrum in filios, in nepotes & in abnepotes.* Ex phrasi, visitans iniquitatem patrum in filios, in nepotes ac in abnepotes (§. 541.) evicimus, Deo competere justitiam vindicativam. Quamobrem cum Deus longanimis dicatur, qui prorsus non absolvit sontem, visitans iniquitatem &c. Longanimitas Deo tribuitur, cui competit justitia vindicativa. Condonat iniquitatem ac defectionem tanquam multus benignitate. Quoniam jure de Deo dicitur, quod multus sit benignitate, quod & in ipsos ingratos atque malos tantundem conferat boni, quantum salva sua sapientia fieri potest, (§. 640.); Deus iniquitatem & defectionem condonans iniquis atque deficientibus tantundem confert boni, quantum salva sapientia sua fieri potest. Et quia non prorsus absolvit sontem, visitans iniquitatem &c.; iniquitatem & defectionem condonans, observat leges sapientiæ suæ. Quamobrem cum benignitas a bonitate Dei summa dependeat (§. 639. 415.); Ex sacro codice luculenter patet Deo tribuendam esse longanimitatem, quatenus vult justitiam suam vindicativam in sontem ita exercere, ut simul etiam tantam iis exhibeat bonitatem, quantam salva sapientia fieri potest. Aut, si magis placet, quatenus vult, ut sons non fiat infelicior, quam salva sapientia fieri potest.

§. 643.

§. 643.

Inter affectus coronidis loco longanitatem Deo per eminentiam instar ceterorum affectuum rribuendam, explicavimus: Quoniam eorum omnium & præsertim etiam hujus agnitio distincta in omnibus fere Theologiæ partibus, inprimis autem in Ethica Christiana maximum spondet usum. Etenim sine distincta cognitione eorum tanta in libris Theologorum, qui confusis litant notionibus, confusio, ne quid gravius dicam, reperitur, ut ex iis vel plane non, vel saltem difficulter sapere liceat. Ceterum noscimus quosdam, etymologiæ solum operam dantes, longanimitatem difinire, quod Deus iram differat, seu peracto scelere non statim puniat. Acutiores ex nostra demonstratione, sacris ad amussim respondente (§. 642.), statim percipiunt, hanc etymologicam definitionem deficere: Etenim Deus non semper pœnam differt, sed plura etiam in sacris inveniuntur exempla, quæ nos docent, statim patrato scelere pœnam luisse sceleștos; e contrario, quod Deus differat aliquando pœnæ decretæ executionem, solummodo unum longanimitatis Divinæ consequens est; Ut adeo definitioni inseri nequeat, nisi in Longicæ verioris nominis regulas peccare velis. Si quis probe scrutetur id, quod in nobis accidit, quando nolumus alium infeliciorem fieri, quam salva sapientia fieri debet, is simul animadvertat, quando quis longanimis dicitur atque facilime agnoscat definitionis nostræ veritatem. *Quæ hic notanda.*

§. 644.

Historicus sacer *Genes.* VIII, 21. hæc refert: *Quumque* וירח יהוה את-ריח *odoratus esset Jehova odorem illum gra-* *Olfactus quo Sensu Deo tribuatur.*

gratum. Juxta S. S. Deus Sensu caret (§. 187.), & Sensus Deo tribui nequit, nisi per eminentiam (§. 189.). Quoniam odoratus, seu olfactus in numero Sensuum est (*Psychol empir.* §. 68.); Olfactus Deo non nisi improprie & per eminentiam tribui potest. Sensus per eminentiam Deo tributi, actum intellectus Divini denotant, quo omnia præsentia tanquam præsentia cognoscit (§. 190.). Quare cum olfactus per eminentiam tribuatur *per demonstrata;* Nonnisi actum intellectus denotare potest, quo aliquid præsens, adeoque actu existens (*Theol. natur.* §. 228.), tanquam momento dato extra se actu existens cognoscit. Verum enim vero nemo non novit, se Olfactu percipere vel gratos vel ingratos odores rerum, adeoque ex rebus odoriferis voluptatem quandam, vel molestiam, consequenter eas quæ odorem gratum spargunt, nobis placere; **Olfactus igitur odoris grati, Deo per eminentiam tributus, denotare debet illum intellectus Divini actum, quo rem præsentem approbat, quæ ipsi placet.**

§. 645.

Quæ hic notanda.

Quæ de Sensibus in genere (§. 187. sqq.) & de visu atque auditu in specie Deo per eminentiam tribuendis dicenda sunt, satis distincte (§. 192. sqq.) explicavimus; ut adeo ea hic denuo repeti non sit opus. Qui probe perspicit, quæ ibidem dicta sunt, videbit nos Deo olfactum tribuere eo, quo Deum decet, modo, nec quicquam affirmare, quod iis, quæ in sacris de eodem revelata sunt, non ad amussim respondeat.

§. 646.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0550
DFG

§. 646.

Moſes inquit *Deuter.* XXXIII, 10. *apponunt ſuffitum ad naſum tuum.* Naſus, tanquam organum olfactus (*Pſychol. empir.* §. 71.), organum ſenſorium eſt (*Pſychol. empir.* §. 66). Aſt ex mente verbi revelati organa ſenſoria Deo tribui nequeunt, niſi Senſu quodam metaphorico (§. 143.). Quamobrem **nec naſus eidem niſi metaphorice tribui poteſt.** *Naſus quo Senſu Deo tribuatur.*

Verum enim vero organum ſenſorium Deo metaphorice tribuitur, quatenus actus intellectus Divini præſentia tanquam præſentia cognoſcendi poſſibilis (§. 143. & *Theol. natur. part. II.* §. 163.), in quo Senſus per eminentiam Deo competens conſiſtit (§. 193.). Quamobrem cum olfactus Deo per eminentiam tributus, denotet actum Divini intellectus, quo rem, quæ ipſi placet & quia ipſi placet approbat, **naſus metaphorice Deo tribuendus** *per modo demonſtrata*, **non tribui poteſt, niſi ad denotandam actus illius intellectus Divini poſſibilitatem, quo rem præſentem, quæ ipſi placet, approbat, quia placet.**

Errores, quos Anthropomorphitæ ac Anthropomorphiſtæ fovent, aut eorum, qui ajunt, Deum nihil ſingulare, ſed ad captum, ignorantiam, immo errores hominum revelaſſe (§. 197.) profligavimus, nec, quæ ibi dicta ſunt, utut etiam hic applicanda, repetimus.

CON-

CONSPECTUS
PARTIS PRIORIS SECTIONIS PRIORIS THEOLOGIÆ DOGMATICÆ.

CAPUT I.

De existentia Dei & attributis inde pendentibus. 1.

CAPUT II.

De intellectu Dei & attributis inde pendentibus. 97.

CAPUT III.

De potentia & voluntate Dei. 175.

CAPUT IV.

De Sapientia & bonitate Dei. 279.

CAPUT V.

De creatione & providentia Divina. 345.

CAPUT VI.

De attributis Divinis, quæ per anteriora demonstrantur. 420.

CAPVT VII.

De iis, quæ Deo per eminentiam tribuuntur. 458.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346323/phys_0552
DFG

ers.	paragr.	Cap.
4.	451	X.
7.	546	XI.
6.	98	
7.	116	

MOTH

9.	257.925	
T I.		I.
.	792	II.

ÆOR.

839.840	II.
720.721	
749	III
648.756	IV.
756	V.
10 48	
698.699	
714.732	
736	I.
10 48	
698.699	
48 62	II.
698 699	
555	III.
797	
631	
169 183	
194.239.	
714	
714.756	I.
756	IV.
631	
330.331	
699	V.
83	
781	
797	

vers.	paragr.
38.	582.626
3.	443 444
10.	211
16.	611
27.	96

JACOBI.

17.	34 56
	438
18.	622
26.	535

I. PETRI.

22.	162
23.	105
12.	108
19.	445
6.	108

II. PETRI.

12.	793
17.	579
21.	793
18.	744
19.	505
8.	58
9.	559
16.	434

I. JOHAN.

5.	82. 793
7-10.	592
9.	653
19.	418
24.	757
5.	714 716
7.	648 799
	807 821
	873

V.